BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLI
F
10
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

OPERE

DI MONSIGNOR

GIOVANNI DELLA CASA

Dopo l'edizione di Fiorenza del MDCCVII. e di Venezia del MDCCXXVIII. molto illuſtrate e di coſe inedite accreſciute.

TOMO SESTO.



IN NAPOLI MDCCXXXIII.

CON LICENZA DE'SUPERIORI, E PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

INDICE

Delle coſe contenute in queſto Terzo Tomo.

HAnnibalis Oricellarii, & Petri Victorii Epiſtolæ, ſeu præfationes.
Aloyſii Priuli ad Joannem Caſam.
Joannis Caſæ Carmina.
Carmina nonnulla, quæ Joanni Caſæ tribuuntur.
De Officiis inter tenuiores, & potentiores amicos.
Vita Petri Cardinalis Bembi, ab Apoſtolo Zeno notis illuſtrata.
Gaſparis Contareni Vita.
Præfatio ad Petrum Medicem in vita Alfonſi Regis.
Alfonſi Regis vita.
Orationes complures Thucydidis in latinum converſæ.
Deſcriptio Peſtis Athenienſis ex Thucydide lib. 2.
Platonis Menexenus, ſive Epitaphius, aut oratio funebris.
Fragmentum Orationis funebris.
Epiſtolæ, ac Diplomata quædam Pontificia.
Diſſertatio adverſus Paullum Vergerium.
Quæſtio Lepidiſſima, an Uxor ſit ducenda.

Digitized by Google



HANNIBAL
ORICELLARIUS
PETRO VICTORIO
SALUTEM.

NON videor mihi poſſe amplius, ob preces multorum, qui undique idem hoc etiam, atque etiam petunt, vel potius flagitant, in conſilio permanere; nec, quæ primum ſupprimenda cenſueram, JOANNIS CASÆ, *avunculi mei, latina ingenii monimenta domi tenere: quibus omnibus omnis hominum generis poſtulatis, non parvi apud me ponderis, acceſſit auctoritas tua, qui diligenter mihi ſuaſiſti, ut hoc ſine ulla dubitatione facerem; nec paterer diutius, tam ſuaves admirabilis naturæ fructus reconditos, abditoſque jacere, privaremque cupidos ipſorum magna, ſolidaque voluptate, quam ſe inde hauſturos ſperant; nec fruſtra ita, ut tu idem aſſeverabas, ac ſine cauſa ſperant. Cum tu igitur auctor acceſſeris, vel (ut verius loquar) ſponſor, qui quaſi damni infecti promiſeris, me-*

que hoc tuo periculo facere juſſeris; vix poſſum amplius tot honeſtorum hominum voluntati refragari: quare totam rem tibi trado, & amori tuo magno erga auctorem ipſum, fideique committo: facies igitur, quod ex dignitate illius, communique utilitate eſſe judicabis. Unum ego illud doleo, & moleſte in primis fero, quod ea, quæ majore animo, nec minori (ut arbitror) conſilio, aut jam inchoaverat, aut tota mente complexus fuerat, abſolvere non potuit: ita enim fortaſſe ſitis illa ingens, quæ animos fere omnium invaſit, legendi ipſius ſcripta, expleri potuiſſet, niſi potius ipſa eo pacto excitata fuiſſet: neque enim modus ullus eſt, finiſque honeſtarum, & ingenuo viro dignarum voluptatum, ſed quanto plus aliquis earum capit, tanto magis deſiderio ipſarum inflammatur, ac ſemper ulterius aliquid ardenter appetit. Unde autem id factum ſit, tu probe noſti; vel cuncti potius, qui cognitum hominem habuerunt, atque in iiſdem, quibus ipſe, locis aliquando vixerunt. Cui enim perſpectæ non ſunt multæ, magnæque ipſius occupationes? Cui itidem inaudita eſt imbecillitas corporis, dolorque acer articulorum, quo ſæpe ille miſerabilem in modum conficiebatur? Ut de vitæ, ſi non brevitate, ſaltem non longinquitate taceam; cum illa potiſſimum ætate mors eum oppreſſerit, qua mens hominis perfici incipit, & plenos, integroſque fructus edere poteſt. Sed huic quoque rei tu occurris, affirmaſque, hujuſcemodi partus optimorum ingeniorum non ex numero, moleque ipſorum, ſed ex vi, naturaque ſpectari debere; & hanc ſemper conſuetudinem fuiſſe eorum, qui recte, & ordine judicarunt: quorum inſtitutum verum eſſe multis & veterum, & recentium laboribus perſpici poſſe; cum videamus, quædam parva monimenta ingenioſorum hominum in honore, & pretio eſſe; alia autem magna aliorum, qui non tam polite ſua ſcripta limarunt, nec laborem illum emendandi tulerunt, contemni magnopere ab eruditis, & omni laude carere: nihil vero ipſum minus unquam ſtuduiſſe, quam populo placere; contentumque ſemper fuiſſe omnibus in rebus judicio paucorum. Poſtremum autem hoc quin verum ſit, ac prorſus iſto modo ſe habeat, non poſſum inficiari. Reſtat igitur unum, quod valde me pungit: vereor enim ne parum pie faciam, ſi adverſer voluntati mortui, & hominis ejus mortui, cujus in primis voluntatem

tatem

tatem ratam eſſe, & mandata omnia firma optare, & pro viribus etiam eniti debeo: non multos enim dies ante, quam e vita diſcederet, cum mentio facta eſſet horum laborum, quid fieri de illis vellet, ſiquid ipſi accidiſſet, plane ſignificavit: deleri enim funditus ipſos, in ignemque imponi ſtatim imperavit. Cum tamen ſocios multos habeam hujus culpæ, ſi culpa illa appellanda eſt, exſtiterintque omnibus temporibus alii, qui hac in re ultimæ voluntati mortuorum non obtemperarint, ſed potius communi bono conſuluerint, ſtudioque, ac cupiditati honeſtorum virorum morem geſſerint: facilius (ut opinor) crimen hoc ſuſtinebo, & a Manibus ipſius mortui veniam impetrabo. Nuper certe idem factum eſt ab heredibus ſummi, ac ſingularis viri Franciſci Guicciardini, qui cum hiſtoriam illam ſuam, tantopere nunc omnibus probatam, imperfectam, ac minime expolitam relinqueret, mandaverat diligenter, ut occultaretur; vel potius interrogatus a ſcriba, dum teſtamentum componeret, quid de illa ſtatueret, magno, & conſtanti animo reſpondit: comburatur. Illi tamen recte feciſſe exiſtimantur, quod ipſam ediderint; & non ſolum ſcelere liberantur, verum etiam eximia quadam laude digni putantur, & maximo beneficio cunctos mortales affeciſſe creduntur. Idem igitur mihi eventurum, ſi idem effecero, prorſus confido; id eſt, apud multos me gratiam initurum, & affinem quoque meum mihi ignoturum. Præſertim cum id, quod ille omnino voluit, præſtari a me nulla ratione potuerit: neque enim valeo plurimos cohibere, in quorum manus jam pridem non pauca ſcriptorum illorum pervenerunt, &, ne ipſi ea divulgent, impedire. Quod jam de nonnullis ipſorum uſuvenit, ac non ſine magno meo dolore factum eſt. Poſtquam igitur animo ipſius ſatisfieri vix poteſt, cum ipſa undique emanent, ac formis etiam ubique excudantur, exiſtimavi, me rectius facturum, ſi omnibus iis de cauſſis ipſe illa integriora, correctioraque edidiſſem, atque ita aſſiduis vocibus multorum, acerrimiſque deſideriis obſecundaſſem. Quod tamen tui judicii eſſe volo, & (ut initio dixi) a te totum proficiſci, cum diligenter prius, an fieri debeat, cogitaris. Cur enim ego in hac re non ſequar ſententiam tuam, &, quod tibi probatum fuerit, id verum eſſe prorſus putem, quem de his literis recte exiſtimare poſſe una

 omni-

omnium voce compertum, atque exploratum eſt. Avunculus certe meus tibi primas deferebat, ac de tua eruditione divinitus ſentiebat. Sed, ut omittam nunc doctrinam, & præclaram multarum honeſtarum artium cognitionem, illud in primis me in hac opinione confirmavit, quod video, quanto amore illum mortuum proſequare, quantaque benevolentia memoriam ipſius colas. Cur igitur hoc tuæ potiſſimum curæ non committam, quod unum nomen ipſius plurimum illuſtrare poteſt, & ab omni injuria temporis, oblivioneque vindicare? Nam, cum mos ſemper fuerit, ut tu optime ſcis, conſuetudoque etiam veterum illorum Græcorum, doctiſſimorum virorum, labores ſuos mittendi ad fortunatos homines, & maximos reges, quod ita putarent, ſe patrocinii multum, gratiæque ſuis ſcriptis comparaturos, nec non laudis etiam aliquid illorum ipſorum nomini allaturos, cum aliter ſe cupidos eorum eſſe oſtendere non poſſent; ſtatui ego, quicquid honoris, ac dignitatis hoc pacto ad quempiam pervenire poteſt, tibi potiſſimum deferre, & tuis propriis laudibus, ingeniique commendationibus aggregari: quem animi mei ſenſum tibi non ſemel antea ſignificavi, etſi tu ſemper id modeſtiæ cauſſa vehementer recuſaſti. In eo vero ego non ſolum judicium meum ſequor, & id, quod magnopere multis modis convenire intelligo, facio; verum etiam aliquo pacto voluntati illius, cujus honori, laudique ambo toto animo ſtudemus, pareo; quodque ipſe præſtare non potuit, & ad exitum perducere, gero: ſcio enim illum in animo habuiſſe magnum opus efficere, ac ſubtiliter, copioſeque de tribus plenioribus, politioribuſque linguis, tanquam alterum M. Varronem, uno volumine diſputare, ac tuo nomini vigilias has ſuas, qui in idem ſtudium toto pectore incubueris, & ad ſummam intelligentiam ipſarum perveneris, apte, (ut ajebat) congruenterque dicare: etſi ille doctiſſimus vir ſuum in primis, propriumque ſermonem celebravit; ipſe vero non eum tantum, in quo natus erat, ſed Græcum etiam, Latinumque, cujus imago quædam, ac veſtigium noſter eſt, frequentare, & colere cogitabat, & veterem etiam ipſorum originem, fontemque aperire, atque omnem denique conjunctionem ipſorum, ornatumque explicare. Cum igitur magnus hic ipſius conatus impeditus fuerit, & in medio curſu tam præclara voluntas fracta, qua ego ra-

tio-

tione potui, volui deſiderium ipſius implere. Quare hoc amantiſſimi tui hominis læto animo munus accipe; teque id ab auctore ipſo, architectoque hujus operis accipere exiſtimato, qui tui ſemper ſtudioſiſſimus fuit, ac dum vixit demum, (nihil enim majus excogitare valeo ad oſtendendam egregiam ipſius voluntatem erga te) cumulate tibi in amore reſpondit. Vale. Romæ. Idib. Novemb. MDLXIII.

PETRUS VICTORIUS
HANNIBALI ORICELLARIO
SALUTEM.

Quod mihi, ſuaviſſime Hannibal, onus impoſuiſti, quamvis ſua ſponte magnum fuerit, nunquam tamen grave mihi duxi: libenter enim id tuli, & in ſingulis ipſius partibus tractandis voluptatem non parvam inveni. Nam, quod in primis alicui moleſtum eſſe potuiſſet, dubiumque ipſum habere, an edi hæc ſcripta oporteret, mihi negotium non exhibuit, nec ullam in partem ſuſpenſum me tenuit: jam pridem enim mecum ſtatueram, rectum hoc eſſe; dolebamque potius, tam ſero id fieri, ac de re, quæ ſcrupulum non magnum in ſe haberet, tantopere deliberari. Impulit autem me in hanc mentem, fecitque, ut certi prorſus animi eſſem de omni hoc facto, judicium, quod olim feceram de ingenio, doctrinaque hujus eximii viri, in quo me ſocios, comiteſque multos habere præclare intelligebam; qui & ipſi exiſtimabant nihil limatius, ac politius his monimentis inveniri poſſe; nihil auctoris ingenio acutius, perfectiuſque. Quos certe fructus antea admirabilis naturæ ipſius videram; videram autem multos: hanc profecto opinionem de illo in animo meo excitarant. Poſſem autem multa de ſummo ingenio hujus hominis, infinitaque cura, quam in hoc genere ſcriptorum poneret, vere prædicare, quæ me ab omni reprehenſione, culpaque temeritatis (ut opinor) vindicarent: atque id non tam, ut me tibi, cui hæc omnia nota, & perſpecta ſunt, quam ut aliis omnibus purgarem. Sed, cum res in eum locum jam venerit, ut cuncti mortales ex his præclaris monimentis ſpecimen aliquod capere illarum rerum facile poſſint, vel potius perfecte de ipſis exiſtimare,

ju-

judicia ipſorum non præoccupabo, nec crimen arrogantiæ ſubibo: de his ſolum alienis ſcriptis illud ex animo pronuntiabo, quod M. Cicero aliquando de ſuo quodam libro, quem valde probabat, ac perfectum undique eſſe arbitrabatur, in epiſtola quadam ſcripſit; me non recuſare, ſi forte aliter, quam ego ſentiam de illis, aliquando exiſtimatum fuerit, quin quantum de his libris, tantundem de mei judicii fama (ſi ulla ipſa eſt) detrahatur. Nam non parvi etiam ponderis, ut hoc ſecuro animo facerem, apud me fuit, quod videbam hos viros his ſcriptis ſempiternæ memoriæ commendatos, quorum laudem, ac gloriam libenter omnes probi, & honeſti homines audituri eſſent, ac ſiquid etiam maculæ, ac vitii adſperſum foret in eorum ſplendore, decoreque illuſtrando, ipſum illos dignitate eorum captos, & jucunditate illa perfuſos, non animadverſuros: improbum vero fuiſſet, ac nefarii ſceleris profecto ſimile, tam præclarum argumentum occultare, ac vitam horum honeſtiſſimorum virorum perpetuis tenebris dicare: quamvis enim ingenti ipſorum virtuti ſcriptores deeſſe potuiſſe non videantur, non tamen (niſi fallor) facile parem huic noſtro, & judicio, & facultate dicendi, præconem illa inveniſſet. Quod vero pertinet ad labores, quos magnos, varioſque ſuſtinui, ut liber purgatus, & ab omni macula vacuus exiret, omnem ego hanc moleſtiam, indignitatemque devoravi, ut amici hominis laudi, honorique ſervirem; nec unquam odioſos mihi labores illos eſſe cognovi: non modo enim ipſos grata memoria ſodalis condivit, ſed omnem penitus inde triſtitiam, amaroremque depulit. Levavit quoque nonnihil hunc meum laborem, quod eodem tempore me gratum tibi facturum eſſe cognovi, quem etiam perſpexi eidem rei toto animo ſtudere, ac curare quanta maxima diligentia poſſes, ut hæc affinis tui monimenta integra prodirent. In quo ego officium hoc tuum, vel pietatem potius, vehementer laudo; ac majus quidem te in illum beneficium contuliſſe judico, cum memoriam ipſius ita vivam tenueris, quam ſi illum in vitam revocaſſes: cum enim ille mortalis natus eſſet, neceſſario non multo poſt extinctus fuiſſet; hæc autem (ut ſpero) æterna erunt, & nulla injuria temporis, vetuſtateque delebuntur. Remitto igitur ad te librum excuſum, & jam communem omnium, publicumque factum, qui prius tuus,

pri-

privatuſque erat, vel potius magis nunc, quam unquam, tuum, cum ornet plurimum, atque omni dignitate augeat eum, qui tibi avunculus fuit, ac veris, propriiſque ipſius laudibus celebret non ſuſpectis, & aliunde, ut ſæpe contingit, adſcitis; quin autem redundet quoque in te aliquid hujus gloriæ, dubitandum non eſt, neque etiam parvi illud æſtimandum. Gaude igitur non parum eximio hoc tuo, ac præſtanti bono, contigiſſeque tibi in vita cum aliis multis animi, & fortunæ donis, ut naſcerere e ſorore hujus præclari viri: & ſi es tuo nomine nobiliſſimus, non mediocri tibi laudi ducito, præſtatoque te dignum, ut facis, tanta ſanguinis, egregiæque virtutis conjunctione; quin certe te ille plurimum amarit, & ſumma cura, ſtudioque mores, ingeniumque tuum expoliverit, dubium non eſt. Sed hæc non ſunt hujus temporis. Illud magis addendum eſt, & ipſo tota hæc epiſtola concludenda: gratum admodum, acceptumque mihi munus tuum fuiſſe, præclariſſimum, honeſtiſſimumque munerum omnium, exiſtimareque me beneficio hoc valde honorem meum creviſſe, poſtquam, de quo tecum prius ſedulo egeram, efficere noluiſti, ut perſonam aliquam tanto dono digniorem invenires: ſatis enim me, ſatiſque teſtimoniis ipſius crebris in hoc volumine ornatum putabam, ac mihi aliquo modo æternitatem partam rebar. Nam conſuetudinem illam antiquorum Græcorum non improbo, quam tu in tuis literis attigiſti; unde memoriæ proditum eſt, quendam ex illis, ſapientiæ ſtudioſum, habitum fuiſſe eo tempore contumacem, qui nullum unquam ſuum opus ad principem aliquem virum miſerit, cum multa præclare ſcripſiſſet, quaſi eos contemſerit, & illo honore indignos putarit. Romani vero ſcriptores illi veteres, & qui floruere ante, quam Reſp. in unius poteſtatem caderet, hoc non faciebant, neque inſtitutum illud ſervabant, quia majores nullos ſe, aut opulentiores habebant: quare ad amicos, familiareſque ſuos hoc traducebant, quos tu imitari voluiſti, cum tamen contra hac ætate magna copia ipſorum ſit. Sed poſtquam tu affirmas, hoc etiam in mentem auctori ipſi veniſſe, ut me hujuſcemodi aliquo munere honeſtaret, non poſſum id, ut cætera ipſius omnia conſilia, factaque, non magnopere laudare; eoque nomine immortales tibi gratias agere. Vale. Florentiæ. IV. Id. Jun. MDLXIV.

PE-

Digitized by Google

PETRUS VICTORIUS
LECTORI
SALUTEM.

NON putavi alienum, humaniſſime Lector, de nonnullis te admonere, quæ tibi cognita eſſe oportet initio hujus novi operis perlegendi; non tam noſtri muneris ornandi cauſſa, & auctoris ipſius celebrandi, quam ut laborem tuum levem, & inſtruam te ita, ut verius judicare de omnibus his parvis ingenii magni monimentis poſſis. Præſertim autem iis ipſorum partibus, in quibus quidpiam ignoratum, aut exiſtimationi ipſius labis aliquid adportare, aut ſenſum animi tui impedire poſſet, diligentius id faciam. Nam quædam ſunt, quæ nulla mea opera egent, nec ſuſpenſum te ullo pacto tenere poſſunt, quia non minus ipſe, quam ego, ſtatim ut legeris, percipies cujuſmodi illa ſint, & quantum ipſis tribui debeat. Hæc autem ſunt primum carmina, quæ primum etiam locum obtinuerunt. Illa vero variis temporibus condita fuere; quamvis majorem ipſorum partem ſcripſerit poſtremis vitæ ſuæ annis, cum ſe in Euganeos montes abdidiſſet, receſſumque illum coleret, in quo non parvo temporis ſpatio bene, beateque vixit. Nam & multo melius illic, quam alibi unquam valuit, & totum ſe literis, ſcriptionibuſque involvit: unde ſi ſe avelli paſſus non eſſet, & vivum adhuc eum, ſuperſtitemque haberemus; & volumen hoc plenius, copioſiuſque manibus tereremus. Sed multo plus apud eum conſilia aliorum valuerunt, quam verum ipſius judicium, quod fecerat de fortunæ varietate, inconſtantiaque rerum humanarum; quæ non ſatis prudentia conſilia invitum ipſum illinc retraxerunt, & quaſi de ſtatu mentis dejecerunt. Hujus autem animi ipſius teſtis ego (ut opinor) non omnino levis eſſe poſſum, qui cum eo illo ipſo tempore totum pene diem locutus ſum in itinere, cum ille, Pontificiis literis evocatus, Flaminia via Romam proficiſceretur: occurri autem ipſi Piſauri: viſus enim mihi eſt, non valde ſecu-

ſecuri animi fuiſſe de eventu illius conſilii; doluitque, ſibi invito, ac recuſanti extortam fuiſſe bonam mentem, in qua manendum ſibi eſſe, quod reliquum erat vitæ, ſecum deliberaverat. Quod ſequitur in editione hac, pertinetque ad vitam noſtram informandam, & multis, gravibuſque moleſtiis liberandam, multo prius ab ipſo ſcriptum fuerat; cumque illud ſæpe Romæ lectum, & ponderatum eſſet ab eruditis, & ingenioſis viris, quorum in ea urbe, omni ætate, magna copia fuit, ſemper eorum judiciis maxime probatum fuit, & ſummis laudibus in cœlum ſublatum, & propter orationis elegantiam, & propter ſententiarum gravitatem, totiuſque illius diſputationis acumen, & ſubtilitatem. Vita præterea Petri Bembi, in qua ille literis mandanda multum laboravit, ut amici hominis, & qui in iiſdem ſtudiis, quibus ipſe deditus erat, totus occupatus fuerat, atque in ipſis vitam cum ſumma laude conſumſerat, (quamvis in ipſa nihil amicitiæ dederit, & omnia ſumma cum fide, vereque expoſuerit) perfecta ab eo, expolitaque fuit. Contareni vero vita, nunquam ſatis laudati hominis, quamvis omnes graves, & honeſti viri in ejus doctrina, probitate, caſtitate, prudentia, pietate erga Deum celebranda inter ſe contendere videantur, non omnes numeros abſolutionis aſſequuta eſt, neque extremam Auctoris manum obtinuit, ut, quemadmodum ille vir integer, & undique perfectus, abſolutuſque fuerat, ita etiam libellus, qui vitam ipſius explicat, & cuncta hominis conſilia, factaque memoriæ prodit, nulla parte mancus, debiliſque foret. Invidiſſe igitur tantæ ipſius gloriæ aliquo modo fortuna viſa eſt, nec paſſa fuiſſe, ut quemadmodum in hujus ſummi viri vita nihil labis, aut culpæ ineſſet, ita etiam omnis macula, notaque ab his politiſſimis ſcriptis abeſſet: quanto magis autem illa fini, extremoque propinqua eſt, tanto magis rudis, inchoataque eſt; quod iis omnibus, qui legent, cognitum eſſe debere exiſtimavi, ne ſiquid forte illic incuriæ, vitiique aliquando offendatur, illud auctori aſſignetur, ipſiuſque inſcitia, aut negligentia commiſſum eſſe credatur: nemo enim eſt ſcriptor eruditus, laudiſque

alicujus, & gloriæ cupidus, qui non diligenter ſua ſcripta relegat, ac novo quodam ſtudio, laboreque ſuo illa purgare, ac nitidiora reddere conetur: cum hic noſter in primis in ea re diligens, accuratuſque foret, & plurimum ſtudii in ſuis omnibus laboribus emendandis adhiberet, quod morte præventus, aut ſubitis, magniſque occupationibus inde abreptus, præſtare in eo, quod maxime ornare, & omni virtute expolire cupiebat, non potuit; cum argumentum ex ſententia nactus eſſet, & quod omnem ornatum, lumenque orationis ſuſtineret: patet autem quanto animi ardore aggreſſus hoc ſit, & quale quaſi veſtibulum, aditumque hujus præclari operis ſtruxerit. Reſtat nunc, in quo major adhuc ſcrupulus mea ſententia eſt, quodque magis me ſollicitat, honoris cauſſa, hujus præſtantiſſimi viri labor, quem poſuit in vertendis in Latinum ſermonem concionibus Thucydidis: cum enim ſemper arduum eſſe, ac difficile exiſtimaverim convertere aliquid e Græcis ſcriptoribus, (ſi quis recte, & cum mediocri etiam laude munus hoc obire velit: nam, ut plerique hoc faciunt, qui nullo ornatu adhibito, nullo ſelectu verborum, nullo judicio, quoquo modo ſententias expreſſiſſe contenti ſunt: ſi hoc etiam ipſum præſtare poſſent, nihil eſt tam proclive, & paratum) in primis ſemper durum, & laborioſum putavi attingere hunc Scriptorem, & aliquam ipſius partem in alium quempiam ſermonem comportare: conciones vero has propter obſcuritatem ſententiarum, orationiſque brevitatem, ne dicam aſperitatem, & duritiem, majorem adhuc moleſtiam in ſe continere, non ſine cauſſa (ut arbitror) credidi. Et tamen hic noſter tot, tantiſque difficultatibus deterritus non eſt, ſperavitque, ſe poſſe ſtudio, & diligentia ſua ipſas ſuperare; vel potius ingenii, & induſtriæ ſuæ periculum facere voluit, experirique, ut fuit ſemper avidus veræ laudis, ac gloriæ, an ex hoc quaſi certamine honeſte diſcedere poſſet, & tanquam palmam inde domum reportare: nihil enim ſibi unquam facile, pronumque propoſuit, ſed ſemper cum iis, qui ſummum locum in qualibet laude tenent, contendendum putavit, & aliquos etiam ipſorum

for-

fortaſſe vicit, & omni honore ſpoliavit: hoc enim verius eſſe puto, cum compertum habeam, majorem partem horum laborum ab ipſo exercitationis cauſſa fuiſſe ſuſceptam, cum majora quædam meditaretur, ac doctrina, ingenioque ſuo digniora. Ipſas tamen quoque edendas putavi, magis utilitatis aliorum cauſſa, quam illius ipſius decorandi, qui multum operæ, ac diligentiæ in ipſis poſuit, quippe cum nihil tentatum ab ipſo judicem negligendum, hujuſcemodique, ut nullum fructum ferre poſſit ſtudioſis, habendum. Nec tamen hoc quoque (ut apparet) opus abſolvit: nam conatum hunc magnum ingenii ipſius ſummam laudem inventurum fuiſſe, ſi exitum habuiſſet, dubitandum non eſt: feciſſet enim, ut prudentiſſimi, graviſſimique Scriptoris orationes ſubtiliſſimæ, & magnorum conſiliorum pleniſſimæ, eleganter, & erudite ſcriptæ, ab iis etiam legi poſſent, qui illius ipſius ſermonis, quo primum ſcriptæ fuere, rudes, & expertes omnino ſunt: ac ne nunc quidem, etſi omnes illæ expreſſæ non ſunt, dici poteſt, id non aliquo modo præſtitiſſe; vel prope ſaltem ad id ipſum acceſſiſſe: qui enim primi ad rem aliquam arduam aggrediuntur, rationemque illius laboris ſuperandi, ac viam monſtrant, ii aliquo modo illius negotii, difficiliſque operis confectores haberi, & appellari poſſunt. Si qui autem exſtiterint, qui in aliquibus locis ab hoc noſtro interprete diſſentiant, atque alium fuiſſe ſenſum Auctoris, quam qui ab ipſo expreſſus eſt, contendant; ii meminiſſe debebunt, ſemper habitas eſſe has orationes obſcuriſſimas, & iis etiam temporibus, quibus ſermo Græcus vigebat, & hic luculentus ſcriptor in manibus diſertorum erat, negotium ipſas faceſſere ſolitas iis, qui ipſas accurate legerent; quippe cum M. etiam Cicero ita de illis exiſtimaverit, & hoc ſuum judicium monimentis literarum mandarit: cum enim Thucydidem ipſum magnopere laudaſſet, quamvis, contra ſententiam quorundam, oratori nullo modo utilem, nec forenſi generi dicendi accommodatum affirmaſſet, hæc addidit: Ipſæ illæ conciones ita multas habent obſcuras, abditaſque ſententias, vix ut intelligantur. Si igitur tanta cali-

go ipſas ſemper texit, ut vix luminibus penetrari ad multas partes ipſarum eo quoque tempore potuerit; quid mirum ſi nunc, in majore multo harum rerum cæcitate, diverſa ingenia, & ea quidem acuta, & valde exercitata, diverſos ſenſus inde eliciant, & aliqua opinionum varietate diſtrahantur? Nam judicium hujus noſtri auctoris nullo modo arbitror contemnendum, cum ſit notum omnibus, & exploratum quanta fuerit acies ingenii illius, & quantam curam, diligentiamque ille adhibere ſit ſolitus in iis omnibus, quæ literis prodebat, & in manus eruditorum perventura videbat. Præterquamquod cum ille natura, conſuetudineque factus eſſet ad res magnas, publicaſque, & cogitandas, & adminiſtrandas, multo melius ad occultos hos, reconditoſque ſenſus pervenire poterat, quam qui nunquam in Republica gubernanda verſatus eſſet, nec ullo tempore cogitationem aliquam talis hominis propriam ſuſcepiſſet. Conſideret demum ſecum, ſi forte ipſe antea hoc opus aggreſſus eſſet, quam ſæpe, multumque ſecum dubitaturus fuiſſet, & in non paucis fortaſſe locis hæſurus, ut humanius, clementiuſque poſtea de ſcriptis aliorum judicet: nam hoc in primis genus exercitationis expoſitum eſſe vocibus malevolorum, & facile ab obtrectatoribus reprehendi, accuſarique poſſe, omnes noverunt: nulli enim adhuc in hoc negotio ita felices fuerunt, ut non incurrerint in maledicta invidorum, invenerintque aliquos, qui ex eorum erroribus laudem ſibi comparare ſtuduerint. Sed hoc relicto, in quo ille aut vacuus eſt ab hoc omni periculo, maloque, aut ſiqua illic offenſio eſt, noſtra eſt, qui ea, quæ ipſe, animi cauſſa, exercitationiſque ſtudio ſcripſerat, edere, & in manus doctorum hominum tradere voluimus: cum ſciamus, ipſum plures epiſtolas ſumma elegantia, & eruditione refertas, variis temporibus ſcripſiſſe, paucas tantum, quas ederemus invenire potuimus; cum bona pars illarum, aut amiſſa ſit, aut una cum aliis quibuſdam ipſius diverſi generis ſcriptis cuſtodiatur, quæ in his locis collocata ſunt, ut his temporibus commode tractari, inveſtigarique non potuerint. Nam doctam illam, & gravem

epi-

epiſtolam (ſi tamen epiſtola ipſa appellanda eſt, quæ ante hiſtoriam Petri Bembi, ſine nomine, jam excuſa fuerat) putavi auctori reſtituendam: quod enim ipſum tunc movit, poſtquam ut ſcriberet eam coactus eſt, ne cujus eſſet eo tempore intelligeretur (noluit enim exiſtimari nimis honoris cupidus, ſi ſuum nomen in fronte alieni operis, & illius quidem valde illuſtris, & clari, adfixiſſet; nec ſuæ dignitatis id eſſe ullo pacto arbitrabatur) cum incommodi nihil nunc gignere poſſit, non putavi attendendum; contra enim hoc tempore nulli alii rei ſtudetur, niſi ut quantum fuerit ingenium hominis ab omnibus intelligatur: atque ita ope horum monimentorum vivum ipſum, celebreque contra tenebras mortis, vetuſtatemque teneatur. Quare non putavi, partum illum eſſe negligendum, qui & ipſe, meo judicio, ad nomen ipſius celebrandum valde aptus eſt. Quod autem narravi, verum eſſe novit cuncta illa nobilis, & beata civitas. Si ipſæ igitur, quæ adhuc latent, & abditæ ſunt, & hæc, quæ reddita ipſi eſt, colligi potuiſſent, non parum (ut arbitror) volumen hoc auxiſſent, & utilitatem etiam non parvam iis, qui legerent, attuliſſent. Idem etiam accidit de aliis nonnullis, quæ præclare inchoaverat, ut alia de cauſſa, quia ſcilicet plane perfecta non ſunt, ipſa conjungi cum his non potuerint, & ſpecimen quoque & ipſa dare cum reliquis magni ingenii, ſingulariſque doctrinæ hujus ſummi viri. Sed multo major jactura fuit, quod ipſe mature extinctus eſt, qui non ſolum hæc, quæ inſtituerat, abſolvere, & expolire potuiſſet, verum etiam alia majora multo, & grandiora conficere, quod ipſe, ut jam dictum a me eſt, & multis quoque notum, tota mente cogitabat, & magna cupiditate hujus eximii operis efficiendi ardebat: is enim profecto fuit, & tali ingenio præditus is vir, ut, ſi diutius vixiſſet, gloriam omnium, qui inferiore hac ætate vixerunt, omni genere ſuorum ſcriptorum, non ſolum adæquaturus, verum etiam ſuperaturus eſſet. Vale.

ALOY-

ALOYSII PRIULI
AD JOANNEM CASAM.

SI cupis ex animo cognoſcere, quid ſit agendum
Nunc tibi, jam temet conſule, non alios.
Te nemo id melius poterit tibi dicere, ſi, quæ
Sæpe aliis dixti, dixeris ipſe tibi.
Dicere, quæ Gibertus, ſi nunc viveret: Ah quid,
Dic miſer, ah Roma quid, Galathee, facis?
Oblitus decoriſque tui, ſponſæque ſalutis,
Pro qua vel vitam ponere debueras.
Diceret hæc, inquam, tibi: quæ, ſi viveret, ille
Increpitans, tumet dic, Galathee, tibi.
Arreptaque fuga ſponſam pete, quam licet ipſe
Spreveris, haut alium vult tamen illa virum.
Deperit illa unum tantum te, te expetit unum:
Tu pater, & frater, atque maritus ei es.
Ruſtica ſit quamvis, tamen eſt ea amabilis uno hoc
Nomine, quod te unum diligit, atque vocat.
Rumpe moras, moneo: ſponſam ne ſperne vocantem,
Dic, miſer, ah Roma quid, Galathee, facis?
Quid nova cum veteri divortia conjuge tentas?
An non illa Deo eſt auſpice nupta tibi?
An non, Parthenopes quamvis deceptus amore
Illam liquiſſes, maluit illa tamen
In viduo mœrens tabeſcere frigida lecto,
Quam, ſpreto te, alio vivere juncta viro?
Rumpe moras, iterum moneo, ſemperque monebo:
Rumpe moras: Roma quid, Galathee, facis?
Oblitus decoriſque tui, ſponſæque ſalutis,
Pro qua vel vitam ponere debueras.

JOANNIS
CASÆ
CARMINA.

Digitized by Google

Digitized by Google



JOANNIS CASÆ CARMINA.

AD ALOYSIUM PRIULUM.

FLAMINII *Manes , inſtar mihi numinis umbra*
Flaminii , hæc campis cernis ab Elyſiis ?
An tibi , quæ noſtri fuerat tam fervida cura ,
Cocytus nigris eluit amnis aquis ?
Tu ſolitus Priulique auſus compeſcere inanes ,
Et molli verſus frangere voce truces .
At nunc ille malo Galateum carmine vexat ,
Et ſanctum nobis pellit ab Vrbe virum .
Tune auſus , Priule , es Galateum pellere ab Vrbe ,
Aſperaque in dulcem dicere verba ſenem ?
Tune auctor , Romæ montani ut munera vici ,
Fumoſi ut curam præferat ille laris ,

Aureus ille ſenex, vitæ cui licia Parcæ
Intacta ducunt candidiora nive?
Qui nec Principibus, Vrbi nec ſcilicet ægræ
Formidet medicas adplicuiſſe manus;
Quemque adeo nemorum cuſtos, pecoriſque magiſter
Mandarit ſacro ſummus adeſſe gregi,
Hinc eat, & fuſcas ignoti ad flumina Melphæ
Paſcere cum vili conjuge pergat oves?
Quid ſi animis juvenumque, ſenumque eſt illius aque
Dulcior Hybleis alba ſenecta favis?
Quid ſi illum retinent quicunque Amaryllida curant,
Hujus ad exemplum peccet ut illa minus?
Vxorem hunc tamen ad vetulamque, humilemque releges,
Frigida ut in viduo ne cubet illa toro?
Quæ puras pridem didicit perducere noctes,
Et monitis caſta eſt, & proba facta viri.
Sed tu Flaminii potius jam nobilis umbra,
Et multum inſigni conſpicienda lyra,
Ni te cæca hujus cepere oblivia lucis,
Cum tibi mors avidas intulit atra manus;
Huc ades, & Priulum compeſcas: nam male nobis
Jamdudum inſolito verſus in ore ſonat.

UT capta rediens Helene cum conjuge Troja,
Lento homine, atque animi lenis, nimiumque remiſſi
Incidit in cædem ipſam, & funus forte ſororis,
Quam præceps miſeri virtus jugularat Oreſtis,
Succiſam de more comam miſſura ſepulto
Germanæ cineri, fertur demſiſſe capillo
Vix tandem e ſummo paullum, ne forte placeret
Tonſa minus metuens Spartanis improba mœchis:
Haut aliter, Galatee, malis erroribus actus
Nuper ego, & Phrygios nautas, Paridemque ſequutus
Aufugi longe: atque idem, rediit tamen ut mens
Ad ſeſe peregre nimium remorata, protervæ
Ornamenta fugæ ſenſim, lenteque repono:
Parvi etenim refert, Veneriſne cupidine, ut illa,

In-

Incenſus, pulchra vel ſaucius ambitione,
Tramite declinem recto, violemque pudorem:
Debueram dudum crinem ſecuiſſe decorum;
Hoc eſt argentum, comites, & ſtragula, cænas;
Luſuſque, & Muſas miſſas feciſſe loquaces,
Intrepidus nuper curatæ mentis, & acer
Corrector: ſed enim pravus populi pudor obſtat:
Hunc propter pavidi phaleris amicimur ineptis;
Nec ſicci madidam audemus, veriti bene potum
Convivam vulgus, collo demſiſſe coronam.
Dedecus ambitio pulchrum eſt, vitiumque faventis
Laudatum populi ſtudio: I, bone, quo tua virtus
Te vocat: I pede fauſto, & nomen laudibus auge.
Æquales ajunt comiteſque, piique propinqui:
Quod ſi natura, aut ratio virtutis habendos
Germanas, propriaſque notas evincat honores,
Publice ut æs ſignant, extemplo ut noſcere, nummus
Quanti quiſque ſiet, poſſint; per turbida Ponti
Curramus rapidi maria, & gelidas properemus
Ipſa hieme in media tantum ad decus ire per Alpes,
Obliti podagræ nervos urentis, & artus.
Nunc pravos inter tituli diſcrimen inanes,
Atque bonos nullum ſignant; ſæpe & toga pectus
Candidius multo, & majus pulla arctaque texit,
Quam laxi, Tyrioque infecti murice amictus:
Nam ſi legitimum nobis virtutis inurant
Faſces, & tituli ſignum; mercetur honores
Ipſa vel vita, informis ne prodeat, inque
Excuſus, Priuluſque bonus, ſimplexque Faërnus,
Prudens, & veræ virtutis cultor uterque,
Vitrea quos nunquam titillat gloria, febris
Purgatos hujus. Nos quamvis ceſſerit horror,
Atque æſtus, ſani nondum tamen uſque valemus;
Sicque animus poſitam reminiſcitur ambitionem,
Vulnus ut obductum prurit tamen, hæret aſello
Ut nudo clitellis nonnunquam ulcus in armo.
Vos agite aureolum tondete a vertice crinem

A 2 La-

Laſcivo huic capiti, atque domi cohibete ſeveri,
Non Menelaus uti, erronem me tu, Priuluſque,
Vtroque & melior Polus (quod dicere veſtra
Pace mihi liceat) nitidaque extrudite Roma
Reſtantem: ut duri mulam quandoque cerebri
Luctantem in trivio, atque equiti parere negantem
Sibilo agunt primum, & magnis clamoribus; inde
Proſiliunt longis armati fuſtibus: illa
Nixa diu, tandem plagis deterrita currit.

SI te cura vigil Sophiæ delectat, & acre
Ingenium vires ſi ſufficit, utere porro
Munere tam claro Divum: ſic rectius, atque
Commodius multo, longeque decentius ævi
Quod tibi cunque neant Parcæ victurus amicæ:
Nec de te plebis, quæ ſit ſententia, magni
Securus pendas: ignarum pleraque vulgus
Pravo metitur modulo: tu neglige, & iſto,
Qui nunc te exercet, fugias decedere campo:
An populi arbitrio quiſquam, plebiſque, bonorùm
Poſthabeat, ſanus plauſum, quem jure feres tu?
Quandoquidem cunctos, quicunque feruntur eiſdem
In ſpatiis, jam recto nimirum, ac ſapiente
Judice præcurris Bembo: cum hic interea nos
Deſidiæ arguimur populo; ne forte probari
Credideris genus hoc vitæ ſimplex: etenim ad res
Verſiculis, miſſiſque jubent accedere nugis;
Ex umbra, & tenebris in ſolem exire, diemque;
Et gnavi me ſegnem culpant: Altera blando
Pars animum integrum queritur me dedere amori
Per luxum, & patrui verbis objurgat acerbi:
Qui ſimul ac ſtomachum, quamquam permulta ferenti
Vt placem, movent: regero graviora receptis:
Vt proprium ſervas auri ſceleratus acervum
Vndique congeſtum; neglectis, jura fidemque
Exponis tota venalem, legibus, urbe:
Cum miſerum, atque inopem dejectum rure paterno

De-

Deſeris, atque adeo prudens, nummiſque redemtus
Prodis; & emunctum producta lite clientem
Vſque adigis, dum ædes etiam proſcribat avitas.
Turpiter, aut ultro ſervis, plerumque furentis
Mancipium domini: manibus ten' ferre catinum
Cœnanti ingenuis? Aliam ten' ſumere mentem
Deterioris heri ad nutum, atque aliam? Haut animo par
Eſt generi, quicunque ſuos apud ortus honeſte
Imperio abjectus paret, trepiduſque miniſtrat.
Quid quod amicitiæ, caro dum cuncta lucello
Metiris, cultus tu nullos, nullaque noſti
Officia; anormique decor concinnus inepto
Quid diſtet, neſcis? Pecudis næ nos cute tectam
Naturam inſpicimus: quid publica cum geritur res
Per te, ſi furtis quo ſit locus, atque rapinæ,
Bellorum cauſſas juſſus præcidere, nutris;
Deſidiæ, aut tu me cenſor culpaveris otj?
Flagras ambitione, ardeſque cupidine ſæva
Purpurei aud vitam hanc, moreſve decentis amictus.
Vror amoris ego aud me dignis ignibus; eſto
Quando ita me inſimulas: quid tum? Peccamus uterque:
Nil eſt, cur tu me prior incuſes, graviora
Offendens multo, & nimium diſtantia recto.
Nam qui vel parvo conductus pejerat, & qui
Tanquam turbata victum ſibi quæritat unda
Piſcator, pacem bellis ubi miſcuit, idem,
Judicium, atque crucem ſi demas, ire latrones
Inter jam velit, & jugulare homines: ſua quiſque
Defendunt lenes vitia, & minuunt; aliena
Carpere plerique auſteri, nimiumque ſeveri.
Adde, quod incurata gerens, ſerpentiaque intus
Vlcera, corrupto tandem pulmone, peribis;
Purgandum illius cum te committere morbi
Non medico ſtudeas; annus non unus, & alter
Imminuat quicquam: pulchris macreſcere captum
Divitiis fruſtra tantum doleamus, amici:
Me mea poſt paullo febriſque reliquerit ultro

Fri-

Frigidior veniens morbum cum leniet ætas,
Intereaque veternus non animum gravis urget:
Me tamen inſequitur populus: Quid ſi nihil omni
Eſt actum in vita nobis, quod lædere quemquam
Poſſit? Non ego rem, mihi ſolers quam pater auxit;
In Venerem effundam, neque lite petitus amator
Injuſta, omittam fundumque, laremque tueri:
Nec fuerim, mimam quo ſit mihi laxius unde
Munerer, uſquam inopi nimium contractus amica:
Denique non mos, non ætas alienior: adde
Ille etiam laqueo ſtatuit, qui nectere collum
Auratane trabe, an de putri pendeat ulmo,
Si quicquam referre putas; quam ego honeſtius, ac tu
Intereo; ſeu me Muſis, & Apolline claro,
Seu quis me pulchro captum culparit amore:
Me tamen inſequeris, colloque, ac faucibus anguis
Inflatis viro vitam deducere inertem
Indignum clamat fucos, ſegnem malus urget.
At tecum ſiquis ſic egerit: Itur ad urbem
Europa ex omni, credo, ut veſtigia ſummo
Inſpiciant veteris veneranda in colle Quirini:
Sive in Aventino Romæ: ac non perditus exſul
Exſpes ut quiſque eſt, huc ſe ſe contulit, ut ſi
Bargulum ad Illyricum dicas, latrociniumque
Conceſſum, nimium merito dicatur acerbus;
Oderit, & rabidum populuſque, patreſque venenum.
Non ego: nec vulgi ſi irritor vocibus, hoc nunc
Immeritum quemquam latrarim: poſſum ego multos
Eximere e numero, turpis contagia morbi
Quos nulla attigerint, ſanos, recteque valentes;
Sincerum, ut Molſæ pectus, lavere ſalubres
Pierii quem fontis aquæ, puroque Camenæ
Curatum cantu ſervant; ſtudioque referti
Spectatus dudum tanto plauſuque theatri
Ubaldinus, inops agrique, lariſque paterni,
Virtutis locuples: populo ſpectante Quirini
Hunc non donatum ſcena decedere turpe eſt.

In

In mulieres nuptas Hyppoliti. Ex Euripide.

Concinnum in auras luminis hominum malum
Cur protuliſſe dixerim te feminas,
Jupiter? etenim erat ſi ſerendum hominum genus,
Hautquaquam oriri debuit de femina:
Sed emere liberorum oportuit ſibi
Semina genus mortalium, ferens tua
In templa tantum, aut æris, aut auri gravis,
Ferrive, quanti unus foret quiſque pretii,
Domoſque habere feminis ſine liberas.
Nam nunc in ædes vehere cum malum parant,
Extemplo opes pro eo rependunt patrias.
Atque hoc liquet malum eſſe magnum feminam;
Namque ad alienos pellit hanc ex ædibus
A ſe pater prognatam, & eductam, ſuis,
Additque dotem, ut liberet ſe ſe malo:
At ille contra, ſtirpem in ædes noxiam
Qui ad ſe recepit, lætus eſt, cum peſſimam
Pulcherrime ornat ſtatuam, & auro, & purpura
Certat, beatas ſumtibus miſer domos
Exhauriens: atque hæret: etenim ſplendidis
Affinibus gaviſus uxorem aſperam
Perfert: proba at ſi ea, ſed propinqui futiles
Evenerint, bono miſeriam comprimit.
Verumtamen commodius evenit, quibus
Nullius uxor ſedet in ædibus pretj,
Ac fatua: nam ſapientem ego odi feminam:
Mea nec intra venerit limen domus,
Quæ, quam mulierem ſapere par eſt, plus ſapit:
Facilius etenim perſpicaces edocet
Aſtutias, doloſque Cypris improba:
At fatua mulier ob ſtoliditatem ſapit.
Penetrare nempe ad feminas oportuit
Nulli licere familiarium, ſimul
Sed belluarum includere rabiem domi

Lo-

Loqui inſciam, ſermonem ut inferre alteri
Ipſæ nequirent, nec alii illas adloqui:
Nunc facinora, intus quæ malæ mala cogitant
Dominæ, foras hæc familiares efferunt.

Cum ab Urbe profectus, Venetias iret.

HUmida Tyrrheni fugientem flamina venti,
Cœlumque peſtilens Latj,
Me Venetum excipient mitiſſima littora, & auræ
Salubriores, putribus
Jam membris ſenio, & podagra turgentibus acri;
Quæ flare ſuerunt nec mala
Imbutæ tuſſi, neque in ipſis fluctibus udæ,
Faërne, mireris licet.
Prorſus, qui Romam liquit, rerum ille carebit
Pulcherrimo ſpectaculo;
Nec cœtum æque illuſtrem hominum, nec Palladis æque
Inſtructa pectora artibus,
Terrarum ut cunctas luſtret circumvagus oras,
Offendet uſquam gentium;
Fragmina nec muri aſpiciet majora vetuſti
Non diminutis urbibus:
In primis Bromii latices, & frigida ſiccis
Requiret idem faucibus
Pocula lympharum, ſub terras condita opacas,
Aut foſſa Lucanam in nivem.
Ipſe ego, ferventi delapſam ex imbrice lympham
Nuper, nec altos in ſcrobes,
Et vappam, ſalices inter quæ nata paluſtres
Cœni ſaporem patrii
Potanti offundet, mediis fervoribus, ardens
Arente fauce traxero.
Aſt idem hoſpitibus placidos, & dulcia pacis
Impertientes commoda
Mortales cernam, & locupletem civibus urbem
Diſpar probantibus nihil:

Cer-

Cernam loricam violentam, enſemque ſuperbum
Inermibus ſuffragiis
Conſtrictum, & diræ exſecratum cædis Amorem
Longe exſulantem gentium:
Illic cum cano Prudentia ſera capillo
Paret viciſſim, & imperat:
Illo ſe nuſquam propendens contulit Æquum
Bonæ comes Concordiæ,
Fraudibus Heſperia ut pulſum eſt, timuitque rapacis
Uncas licentiæ manus.

De Ubaldino Bandinellio.

TAm caro capiti jam nimiam diu
Munus Melpomene lugubre naniam
Debemus: querulam prome, puer, lyram.
Siccis non ego te genis,
Mærore aut vacuus pectora lurido
Laudabo; neque deſiderium moræ
Noſtrum diminuunt, aut hominum atterens
Furtim triſtitiam dies.
Te morum ſtudium, te ſapientiæ
Cura, & nobilium fecerat artium,
Ubaldine, quies gnava, operoſaque
Muſarum otia divitem
Non auri, pavidis addere mentibus
Mordacem validi ſollicitudinem;
Non oſtri, experiens quod reparat Ligur
Nobis merce ſuperflua.
Irritet, fugiens pauperiem, æquora
Iracunda levi navita palmula;
Æſtatem Lybiæ perferat igneam
Idem, idem Æmonias nives
Veſtigans lapides, femina quos petit
Vel flavo capiti, vel tereti decus
Collo. Mentibus Atlantiades Deus
Calcar ſubdere inertibus

Ludens dum cuperet, fertur inutile
Promſiſſe aurum, acuens illo hebetes, uti.
Exercet puerum non vegetum nuce
Mater ſedula futili.
At fortes (quoniam robore ſtat ſuo
Virtus, Peliaca ut quercus, & æquoris
Saxum Carpathii) nec famulæ decet
Auſcultare pecuniæ,
Nec firmos fragili fidere: defluit
Fortuna, ut ſubitis auctior imbribus
Extemplo aret aquæ rivus inops ſuæ,
Nimbos ſi pepulit Deus.
Tu dulcem es Latii copiam adeptus, &
Grajum divitias, & dominam urbium
Artem: quo mihi nunc, & patriæ occidis
Multo flebilior tuæ.
Arni mæret enim fluminis accola,
Florens ingeniis accola fluminis
Arni, tot te animi compoſitis diu
Theſauris, tacitum mori;
Ut navim pelago præcipitans Notus
Vertit; quæ remorans, largiter alveum
Impleràt ſpatioſum: illa Arabum ferens
Gazas, illa ebur Indicum,
Et gratum redolens thus Superis ferens,
Et pexa e foliis vellera ſericis,
Ætneæ Cereris plenaque frugibus,
Portus ſtrenua patrios
Ditaret, populos, & procul oppidis
Effuſos ſtudio ad ſe raperet lucri:
Nunc ſævi arbitrio volvitur Adriæ
Cæcis obruta fluctibus.
At tu, progenies aurea fulmine
Gaudentis Jovis, o deſere ne meum
Carmen, Muſa: diu ſed vigeat ſacri
Cuſtos pagina nominis.
Hic me Caſtalii tramitis arduos

Fle-

Digitized by Google

Flexus, Æoliæ hic me docuit lyræ
Ictus. O nebulam oblivio, & arceat
Furvam a nomine ſplendido
Noctem: ne volucris filia temporis,
Ne rubiginis atræ admoveas meis
Dentem carminibus, neu nigra nubibus
Condas Italiæ decus.

Ad Hannibalem Oricellarium nepotem: diligentiſſime cavendum eſſe ab adulatoribus.

MEntem blanditiæ perdere credulam
Norunt, non ſecus ac mortiferas malæ
Multo melle noverca
Olim cum medicant dapes.
Viro imbuta malo dulcia murmura
Mendacis fuge linguæ; & teneras neque
Falſis laudibus aures
Admoris, cupidus puer
Verarum, bona ni decipit indoles;
Et tete excutias, tinniet improba
Nugas cum modulans vox,
Quas atro rapidi ferent
Cum fumo Boreæ, & pulvere ſordido;
Ni quicunque libens dicier audies,
Verbis, te labor illum
Rebus finxerit arduus.
Senſus ut juveni pellicit intimos
Virgo candida, cum turgidulas tegens
Nulla veſte papillas
Molli illum recipit ſinu:
Sic laudes animum, vera ubi concinunt,
Permulcere ſolent. Nec mulier tamen
Ut cantu ſine dulcis
Spernit pſallere tibiæ:
Sic virtus, populus ſi taceat, ſedens
Ceſſabit; nihilo nec minus obſita

B 2 *No-*

Noctis ferveat umbra,
Et deſerta ſilentio,
Quam cum per medias inclyta ducitur
Urbes, & celebris voce faventium
Direpta hoſtibus arma
Affigit foribus Deum.
Cum laudis faciem ſumſerit impudens
Fraus, affinxerit & cum tibi non tua
Blanda nomina voce,
Et dulcem illecebram ſtruet;
Ne te præcipitem trudat amor tui,
Ne nugis capiare, ut volucris ſolet
Dulci parvula cantu
Tecti vepribus aucupis.

Ad Fortunam.

EXpers conſilii, quæ pede lubrico
Incedis, Zephyris mobilior Dea,
Et fluctu Ionii incertior æquoris;
Te, cum læta ſinum pandis, & uberes
Fundis divitias, ac miſeris ades
Improviſa, boni progeniem Jovis
Dicunt. Tu ratio, tu ſapientia,
Servatrix eadem crederis urbium,
Virtutiſque ſedens in ſolio nites.
Sed mox, torva domos Regum ubi concutis,
Et congeſta diu munera, turribus
Dejectis, ſubito turbine diſſipas;
Vanæ te comitem ſtultitiæ ferunt
Deliram. Immeritum tu, titulo bonis
Demto, nobilitas; frena ſuperbiæ
Atris tu manibus detrahis ebriæ
Succeſſu; & ruere hanc ſic temere ad ſuum
Rides arbitrium, mox humilem truces
Vultus depoſituram. O utinam mea
Oblita oſtiolum prætereas domus;

Digitized by Google

Seu tu, ſanguineis oppida territans
Bellis, ingrederis per Latium fera;
Seu pacemque gerens, & populos beans,
Pennis involitas verſicoloribus:
Nam ſic inſtabilem viſere te meos,
Vel lætam, atque hilarem, pertimeam lares.

De Franciſco Tornuno Cardinali.

QVo tollor pavidus? Quo feror inſolens?
O quæ Caſtaliis fontibus aureos
Crines, oſque lavis virgineum, genus
Magni Melpomene Jovis,
Cruri purpureos indue candido
Soccos: nam juga tranſmittimus Alpium
Soli: unus enim eſt mi comes argui
Mendaci metuens Pudor.
Vatem, Diva, tuum tu moneas viæ,
Si pure colui veſtra puer ſacra
Fervens mente nova, ſi ſenior tua
Nunc veſtigia perſequor
Quercus umbriferas inter, & ilices
Quærens aërias. Non ego divitum
Vanis edidici perſtrepere auribus
Emto carmine: non ego
Corruptus pretio nunc meditor parum
Caſtæ ducere te ad veſtibulum domus.
At tu prome, puer, prome age barbiton
Ceſſantem nimium diu.
Spartanus veluti, per nemus aſperum
Dumis inſidiantem ut pecori lupum
Egit, cum fremitu, & laude faventium
Pagorum redit ad gregem,
Villorumque globos ſanguine ſordidos
Fert rictu generoſo, e jugulis feri
Vulſos hoſtis: aquas ſic repetit ſui
Tornunus Rhodani, bene

De-

Digitized by Google

Defenſa Heſperia clarus, & impigri
Compreſſo celeber militis impetu,
Bellonæ ancipitis numina militis
Horrere immemoris diu.
Alternæ ſedenim ille admonuit ferum
Fortunæ, celeri vertere turbine
Gaudentis vacuum corpus: uti choros
Laſcivæ juvenes ubi
Ducunt, & Zephyris huc agitantibus,
Atque illuc Phrygio Sidonias acu
Illuſas chlamydes, inſtabili citæ
Luſtrant atria poplite.
Directa ingrediens paſſibus Æquitas
Ad normam paribus, nec modulo ſibi
Majore, atque aliis commoda dividens,
Quorum non dubia eſt comes:
Illos ære micans non peditum cohors,
Non ſævis equitum turma frementium
Horrens cuſpidibus terreat, aut mari
Vectæ cæruleo rates:
Nam recto favet, & juſtitiam bono
Plerumque æquus alit Jupiter exitu,
Obſcuram & tonitru, & fulmine territans
Fraudem, atque implicitos dolos
Nudans. At vigilem fallit amabilis
Acrem ſimplicitas, & ſuper æneas
Accerſita fores, & ſuper ardua
Pernix mœnia tranſilit.
Hanc puro retinens in gremio fovet,
Sincere Italiam & diligit hoſpitam
Tornunus, patriam civis uti ſuam,
Natorum, & memor aureæ
Civis conjugis: hunc purpureus pudor,
Elutiſque fides candida ſordibus,
Et preſſo digitis ore ſilentium
Arcanum inſequitur; neque
Infandumque nefas enſe domans Themis

Di-

Diſtricto, comitem ſe negat inclyto
Impolluta ſeni, mundave Veritas
Albo lucida pallio.
Ergo permadidos felle animos nigro
Regum diluere eſt auſus, & aſpera
Permulcere manu pectora turbidæ
Plena iræ, intrepidam ſtruens
Pacem, quæ manibus ſanguineis diu
Attrectata, magis poſt niteat, velut
Fulgentes lapides, ærave lucida
Cum tergere volunt, luto
Conſpurcant: id agens egregius ſenex
Celtarum procerum ſanguis, & oppida
Firmans obtinuit Marte labantia
Quaſſante, & miſeris ſuas
Vrbes reſtituit civibus, impigram
Pacem tela cruenta inter, & aſperos
Procudens ſonitus ferri: etenim gelu
Torpens quam peperit timor
Pacem, ſerviet illa, horriſoni ſimul
Bellonæ ſtrepitus ingruerint feræ,
Imbellis. Sedenim deſine fervidos,
Dulcis Melpomene, modos:
Nam nec cuncta Pudor fert, neque Veritas
Cum lucro alma decorum explicuit caput
Semper: tum melius tecta ſilentio
Virtus invidiam latet.

SVnt qui verſiculo minutiore,
Verum pernitido, atque perfluenti,
Tanquam Palladii liquore olivi
Complures properent linire chartas;
Atque, araneoli angulos domorum
Vt tela tenui ſolent replere
Quantumvis facile, ore fila parvo
Nentes longa, ita compleant libellos
Totos verſiculo minutiore:

Hi

Hi vatum in numero an ne ſint habendi,
Vulgus viderit, atque ſiqua vulgo
Pars vatum eſt ſimilis, quibus Thalia
Flacci ſordeat, optimi poëtæ,
Quod is verſiculo minutiore,
Atque perfacili, atque perfluenti
Totas ſpreverit occupare chartas.

De Margarita Regis Gallorum ſorore.

HEu mos, ut atris ſæpe coloribus
Contaminatus purum animum inquinas
Vix eluendis ſordibus per
Tædia ſolliciti laboris!
Me vitreis & fontibus, & coma
Silvæ virentis lætum, & amabile
Ruris ſilentium ſequentem
Aoniæ puerum Camenæ
Merſere ſacri gurgite fluminis,
Intacta ut eſſem candidior nive:
Immunda ſed mox polluit me
Roma luto nimium tenaci,
Quod longa necdum diſcutiat dies,
Sacri nec amnes hactenus abluant;
Quin horret & me, & ora cœno
Fœda nigro refugit Thalia.
Vulgus venenis vertere Colchicis
Pleraſque mentes aptius, eripit
Senſus priores, atque mutat
Alba nigris, maculiſque gaudet:
Impurus atra quem populus manu
Tractarit, ille & decolor, & niger
Erit diu, obductamque fecem
Vix iterans removebit annus,
Notam relinquens: at mihi candidæ
Mandanda virgo eſt regia paginæ
Farneſio jubente, bacca

Purius

Purius illa nitens Eoa,
Intaminato digna cani, Dea,
Eſt ore; Lucis Caſtaliis, Deæ,
Quæ vulgus arcetis profanum,
Et nitido prohibetis amne:
O, tetra tandem conſilia hæc, bonæ,
Oblivioni tradite turbida;
Labemque nobis rore ſacro
Abluite, illuviemque vulgi.

Deflet mortem Horatii Farneſii.

TE flebimus, flos Heſperiæ puer,
Madente multis carmine lacrimis;
Et debitam laudi Thaliam
Nænia lugubris occupabit:
Ille, enſe pectus qui tibi candidum
Trajecit, iſdem vulneribus Latj
Cecidit & ſpes, & vireſcens,
Italiæ decus enſe carpſit,
Horati, eodem. Non ego ſauciam
Ictu Parentem mortifero tuam
In lacrimas culpem ruentem,
Nec viduæ gemitus puellæ
Compeſcere auſim carmine: lugeat
Immo illa dulces funere nuptias
Miſcens amaro, nec ſat unquam
Te miſera illacrimata flerit:
Jam nec capillo parcere, nec genis
Æquum puella eſt regia: lacrimis
Efflagita Martem cruentum
Uberibus, pueri cadentis
Dulces ocellos, & tua gaudia;
Quæ conciderunt exorientia:
Ut ſtella, qua vix dum coorta
Heſperium occulitur ſub æquor.
Non ille avorum, nec ſoceri immemor,

Dulcique flagrans igne tui, neci
Vltro obvios greſſus ſuperbos
Intulit, intrepidumque pectus
Objecit hoſti, qua violentius
Bellona nigris fœda cruoribus
Eſt viſa Martis ſævientis
Sanguineas glomerare turmas.
Nunc lætus umbras vulnera nobiles
Oſtentat inter pulchra, nemus tenens
Beatum, ubi Hectorque, & Latini
Sunt veteres, Rutulique Reges.
At, Theſpiis o grata ſororibus,
Oblivioſi pellere temporis
Idonea umbram, atræque mortis,
Gloria, vulneribus mederi;
O trade Muſis, & Polyhymniæ
Cuſtodiendum nomen Horatii
Clarum, & domum Farneſiorum
Hanc Latii, Italiæque lumen.

In Petrum Victorium.

Nobis, Calliope, magnum alienum æs ſupereſt vetus:
Nam pridem ratio ſcripta mihi eſt pectore in intimo:
Tu, quæſo, patere a te ſolvam quicquid id eſt, Dea.
Non Victorius eſt exiguis verſibus, aut lyra
Aptandus tenui. Veſter amat Phœbus eum, neque
Vlli plura bonum munifica crediderim manu
Largitum: uber enim ſicut ager, ruraque pampino
Mitis florida Iacchi, & Bromio, & frugibus oppida
Circum plena hilarant; muneribus dives Apollinis
Etruſcos populos ingenii fruge bona bonus
Ille enutrit alens. Sic ſenior vertice Pelii
Olim Phyllirides frondifero ſemifer uberi
Grajos nobilium ſeminio dicitur artium
Ditaſſe. Ille dies e medio tollere qui poteſt
Ritu Cecropio ſcripta tibi clara volumina,

Vi-

Victori, eripiet roriferis ſidera noctibus;
Idem ſubtrahet & piſcibus, idem æquora nantibus.
Contages populi te tetigit lurida morbidi
Nunquam, te ambitio curriculum prætereuntium
Obliquis oculis aſpiciens, nec pepulit; neque
Illi roboris hoc attribuit Jupiter, ut ſacrum
Phœbo diſcutiens commoveat pectus, originem
A Cæo licet, & Porphyrione a valido trahat
Conatis ſolium Cælicolum ſcandere fratribus.
Non res, cui cumulus ſemper abeſt, cunctave metiens
Aurum te pupugit: te nitidum Muſa ſalubribus
Fontis Caſtalii lavit aquis candida: tu mea
Es lumen patriæ percelebris: ſat mihi fructuum
Ignava hæc tulerint exſilia in montibus aſperis
Quæſita, argueris deſidiæ. ni tibi debitum
Carmen, nive inopis quod citharæ dinumerem modos,
Acceptum id mihi te ferre neges, jureque reſpuas.

O Quæ terrificos vicina e turre cietis
Tot nocte æra ſonos tinnula, totque die;
Si mihi venturæ noctis dormire licebit
Per tot tinnitus particulam miſero;
Nec cum defeſſos jam jam continget ocellos,
Vos metuet ſubito, diffugietque ſopor:
Ipſe ego cras vobis ultro tortique rudentis
Spiras, & firmo e robore fulcra dabo;
Tutius ut ſonitu boreamque laceſſere ſævo
Poſſitis poſthac, & maria, & tonitrus.

CUm cinctum nimbis, & nigra nube ſedentem
Deficient olim flammea tela Jovem:
Cum ſueta in pontum plenis decurrere ripis
Præcipitem ſiſtent flumina prona pedem:
Fluctibus & raucis Siculum pertundere litus
Ionii cum jam deſinet unda Maris:
Tunc quoque vicinis ſuſpenſa in turribus æra
Ceſſabunt bombos edere rauciſonos.

Digitized by Google

Cum Mare nec fremitus edet, nec ſibila venti,
Nec nimbi, abruptis nubibus igne, ſonum:
Et cum nubigenæ Thaumantidis ora, ſinumque
Deficiet croceus, purpureuſque color:
Cum Pontum nitidi piſces, cum litora pictæ
Conchæ, cum denſum deſeret umbra nemus:
Turre tua tunc, Corneli dulciſſime, raucos
Tinnula ceſſabunt æra ciere ſonos.

Ad Germanos.

Quod vos apud, Germaniæ humaniſſima
Gens, culpor, atque turpioris flagitii
Ornaſſe dicor, neſcio quid, laudibus,
Impuro id eſt ab homine confictum, & levi:
Teſtiſque tellus omnis eſt mihi Itala,
Tantum me ab omni abeſſe turpitudine,
Quantum ille ab omni laude ſemper abſuit.
Annis abhinc triginta, & amplius, ſcio,
Nonnulla me fortaſſe non caſtiſſimis
Luſiſſe verſibus; quod ætas tunc mea
Rerum me adegit inſcia, & ſemper jocis
Licentius gaviſa, conceſſu omnium,
Juventa: quod fecere, & alii item boni.
At nunc abit juventa, luſus permanet;
Et carmini illi nomen adſcribunt meum
Idem, quod ante erat, nec adſcribunt diem
Eandem, erat quæ, quando id olim luſimus:
Sed quod puer peccavit, accuſant ſenem.
Verum hoc utut tamen ſit, obſcæni nihil
Scripſiſſe me ſcitote: namque tunc quoque
Feſtiva nos a turpibus ſecrevimus,
A mollibuſque impura; cumque verſibus
Laudavimus Furnum, aud mares laudavimus
(Quod ille ait per maximam calumniam)
Sed feminas plane, ut videre carmine
Ex ipſo adhuc poteſtis; atque moribus,
Induſtria, pudore, continentia

Laſciviam nos carminis correximus
Illius, emendavimuſque ſeriis
Jocos, boni quod literis quam plurimi
Teſtantur, inter quos ſenex ille optimus
Eſt Bembus: is me verſibus lectiſſimis
Ornavit, is pedeſtribus ſermonibus,
Cum maxima eſſet dignitate præditus,
Et ſplendide habitare in mea dixit domo
Virtutem, homo gravis, ſenectute ultima.
Eburnea tu, Flamini, me concinis
Lyra, & Libellos dicis aureos meos.
Victoriuſque candidus me laudibus
Complexus omnibus, vereri vos vetat
Quid turpe de me. Non ego poſſum infici
Calumniæ caligine ulla turbida,
Quando tuetur fama me conſentiens,
Conſtanſque vatum, totaque teſtimonio
Et acta pure vita luce in urbium
Clariſſimarum. Diligit me civitas
Beata Venetum, ut diligit cives ſuos.
Quid, clariorem habere quod me neminem
Se dictitat flos Patria urbium mea?
Quid nobile oppidum Bononiæ, artium
Cauſſa bonarum, cognitum vobis quoque?
Exquiritote, amabo vos, quid ſentiat
De me: mea illa civitas nutrix fuit:
Namque erudivit illa nos a parvulis.
Quid ipſa Roma? Prædicanti ignoſcite
De me mihi: non tota nos complectitur
Amore, mater liberos uti ſinu
Complexa gaudet? Quare habere transfugæ
De me fidem nolite perditiſſimo:
Sed enecate in dies magis ſiti,
Pædoribuſque, & eſuritionibus:
Quod belle adhuc feciſſe vos exiſtimo,
Virtute Natio, & fide, atque induſtria,
Et literis clara, ingenique gloria.

Car-

Carmina nonnulla, quæ JOANNI CASÆ tribuuntur, & in Florentina editione ſuo loco poni nequiverunt, quia ſerius miſſa, hic apte ſubjiciuntur. Cujuſmodi illa ſint, & quantum ipſis tribui debeat ſtatuere, id Lectorum judicio committitur.

IN PSALMUM CIII.

PLaude, Anime, Domino. Quam tua eſt, Deus meus,
Evecta in altum gloria!
Laudem, & decorem indutus, & clariſſimo es,
Ut veſte, amictus lumine.
Tu extendis, ut tentorium, Cæli plagas;
Aquiſque ſumma ejus tegis.
Tu nube, ceu curru, uteris. Tu præpetes
Inambulas ventos ſuper.
Mentes ſolutas, igne radiantes choros
Tibi adminiſtros comparas.
Tu brutam humum firmiſſimas ſuper baſes
In tempus æternum locas.
Hanc vaſtus humor, tanquam amictus, obtegit.
Inſederint jugis aquæ;
Si tu increpes, refugerint, vocis tuæ
Tonitruo perterritæ.
Montes ſupini, concavæ valles, eo,
Quem ſtatuis, hæſerunt loco.
Tu terminos immobiles figis Mari,
Ne fluctibus Terram obruat.
Tu emittis in convallibus fontes vagos
Media inter ima montium.
Huc ſe ſe agreſtes conferunt potum feræ:
Sitim hinc Onagri temperant.
Aëriæ aves in editis agunt locis,
Per ſaxa, qua rivi ſtrepunt.
Superne montes irrigas. Opera tua,
Tellus repletur ubere.

Fæ-

Fœnum pecoribus, multiplex herbæ genus,
Obſequium ad humanum, creas.
Frumenta terra educis, & mortalia
Quod corda vinum mulceat.
Et ora olivum læta reddens unguine,
Ut panis intus roborat.
Alis alta campis robora, & Libani arduas,
Quas ipſe ſeviſti, cedros;
Paſſerculi illic nidulantur: & vaga
Abies domus Ciconiæ eſt.
Dant tuta Cervis luſtra montes editi;
Cuniculis cavi ſpecus.
Dirimenda Lunam tu creaſti ad tempora:
Sol novit occaſum ſuum.
Tenebras paraſti, unde exſtitit nox, confragas
Qua permeant ſilvas feræ,
Scymni Leonum in prædam hiantes, ut ſuam
Sibi a Deo eſcam quæritent.
Orto viciſſim Sole, turmatim ſua
Conduntur in cubilia.
Tum vero ad artes, atque culturam ſoli
Homines diurnam prodeunt.
Quanta opera, Domine, ſunt tua! Omnia affabre.
Plena opibus eſt Tellus tuis.
Magnum hoc Mare, immenſiſque tractibus patens,
Vi piſcium innumera ſcatet:
Inſunt puſilla animantia, inſunt grandia;
Illac carinæ permeant.
Inuſitata vaſtitate belluam
Finxiſti, ut illic luderet.
Hæc cuncta ab uno te expetunt, ſuo ſibi
Ut tempore eſcam præbeas.
Te dante capiunt, te manum ditem tuam
Laxante, complentur bonis.
Vultum tuum ſi avertis, hærent; ſpiritum
Si iis adimis, in cinerem fluunt.
Afflante rurſum ſpiritu exſiſtent tuo;

Fa-

Faciemque renovabis ſoli.
Domini perennet gloria: ipſe fabrica
Se Dominus oblectet ſua,
Labefacta cujus Terra conſpectu tremit,
Monteſque tacti fumigant.
Cantabo Domino vitam in omnem; quandiu
Fuero, Deo pſallam meo.
Oratio illi grata ſit, quæſo, mea.
Dominus meum ſit gaudium.
Tollantur e terra impii, ut ne ſint quidem.
At tu, Anime, Domino plaudito.

Venetiarum Laus.

ANte alias, quas Terra colit, quas alluit Æquor,
Quaſque Polo videt ex alto Sol aureus urbes,
Urbs Venetum mediis pulcherrima ſurgit ab undis,
Regia Neptuni, ſtatio dulciſſima Nymphis,
Humida cui Thetis aſſurgit, & arida Tellus.
Illa cavo fundata Mari, caput ardua Cælo
Molibus inſanis, & celſis turribus æquat
Mœnia, quæ tutos, & propugnacula reddant
Indigenas: ſtant Templa urbem cingentia circum,
Summo erecta Deo, Divumque, hominumque Parenti,
Omnia, & una omnes ſub relligione per annos.
Illa loci munita ſitu, Terræque, Marique
Imminet, & lentis Orbem moderatur habenis:
Namque opibus pollens terreſtribus, imperat undis;
Undarumque animos mollit, Pelagique furorem;
Et ſtans mole ſua, ſuſpenſo cærula nutu
Regna premit, Pontique immenſum temperat æquor.
Claſſe potens, Nerei conjux, Regina profundi
Puppe ſedet celſa, & ventorum flamina longe
Obſervans, ſumma cum majeſtate minatur
Gentibus, & trepida formidine litora complet,
Et quatit aſſiduis totum terroribus Orbem;
Fortunata, Deumque Italis data numine regnis.

Illa

Illa eadem ſe laude nova ſuper æthera tollit.
Ex illo, quo Terra die ſepta aëre pendet,
Non fuit in latis Res unquam publica terris;
Nec Regnum, quod perpetua ditione tot annos
Floruerit, dederitque ſuas ſua jura per urbes:
Jam tempeſtates, jam dura pericula paſſa eſt;
Non unquam ſubmerſa tamen; nunc altior auras
Carpit, & invicta ſulcat freta vaſta carina,
Contemnens imbres pariter, ventoſque furentes.
Et jam tempus erit, tantæ quo viribus Urbis
Parebunt terræque omnes, undæque repoſtæ:
Sic Genius, ſic Fata loci, ſic Numina mandant,
Sic & bellandi poſcunt, populoſque regendi,
Quas clari retinent artes Civeſque, Patreſque,
Ipſis ingenio Djs immortalibus æqui.

Ad Pompilium Amaſæum.

NE Tu immerentes, ne muliebribus
Manes paternos urge ululatibus,
Neu tinge dulcem, qua fruuntur,
Ambroſiam lacrimis amaris,
Amice. Vixit non ita Romulus,
Ut jure luctus, vel querimonia
Poſt funus illum ſubſequatur,
Dura velut mala contigiſſent
Vita cadenti. Reſpice, reſpice,
Qua mente virtus ſit patris inclyta
Latura natum ſic remiſſum, &
Turpiter in lacrimis jacentem.
Idem tribunal nos manet, urnaque
Omnes. Beatus quem minimæ premunt
Culpæ. Abſolutum & rite Judex
Mittit ad Elyſiam quietem:
Qua dum ille lætus perfruitur, Deos
Fruſtra laceſſis fractus, & impotens;
Et voce compellas acerba

Fata tuis inimica votis.
Non Djs amicum eſt, optime Pompili,
Vt quicquid illis eſt placitum ſemel
Nos improbemus; non ea nos
Lege putres capit ima Tellus.
Scelus nefandum cæca Promethei
Aggreſſa mens eſt, dum nova corpora
Effingit ex limo, minaci
Jupiter ore, fremenſque dixit:
At non inultum: dira neceſſitas
Armata vinclis, & jugo aheneo
Inſtabit illis, ſive ſceptra,
Sive graves tulerint ligones:
Nec Lethi aduncas effugient manus
Collo imminentis, ſive perambulent
Telluris oras, ſive turgens
Per mare, navim agitante vento.
Hæc ille, jurans per Stygios lacus,
Futura dixit: fruſtra igitur ferox
Quæris reluctari Deorum,
Quæ melius patiare, juſſis.

Eloquentiæ laudes.

Ad Cornelium Muſſium Epiſc. Bitont.

NOn marmor Parium, non ebur Indicum,
Nec quicquid Lybicis conditur horreis,
Non auri rutilans lamina, clavibus
Aſſervata tenacibus,
Cornelj, Superum nos rapit ad choros,
Aut miſcet liquidi pocula nectaris,
Idæus juvenis qualia dat Jovi,
Flaveſcente nitens coma.
Fortunæ ſiquidem munera barbaræ,
Vt gliſcens pelago Carpathio Notus,
Ignavos animos ocyus obruunt,

For-

Digitized by Google

Fortes diſjiciunt ita,
Ut nunquam a tumidis fluctibus enatent:
Non ſi Peliacæ præſidio ratis
Nitantur, potuit quæ mare turgidum, &
Robur vincere Colchicum.
Sed quæ nos beat, eſt divitis ingenj
Vena, & poſſe graves pectoris edere
Partus, Mercurio dextro, & in omnium
Mentes non ſine Gratiis
Furtim mellifluos ſerpere rivulos.
His olim rigidos artibus Orpheus
Demulſit lapides, & docuit feras
Junctas ludere quercubus.
His & Thebaicæ conditor arcis eſt
Dictus, qui ad ſtrepitum ducere tibiæ,
Atque Urbis potuit ſaxa ſequentia
Circum ponere mœnia.
His Heros Pylius corda potentium
Inflammata Ducum, fata ſub Ilii
Sedabat, quoties diſſidio gravi
Inter ſe, ut maris æquora,
Certabant, Zephyris acta, reſtantibus
Euris. His te, ut olorem prope cernimus
Linquentem fluvii prata Cayſtrii,
Verno tempore, lucida
Pennis præpetibus tangere ſidera,
Et dulci ſonitu magna palatia
Perreptare Deum, ſive tu ab arduis
Vibras fulmina pulpitis
Verborum, & ſtupidis auribus ingeris.
Temet; ſive agili mente ſacros choros
Divorum penetras, ſanctaque Numina,
Et myſteria non prius
Sic expreſſa, ſtylo non homini dato,
Nec quali manus eſt uſa Promethei,
Ignem quæ ætheriis ſedibus abſtulit,
Hic mortalibus exprimis.

Tanti eſt vis animi, & ſpiritus igneus,
Quo nil Dj melius, nilque ſalubrius
Conceſſere homini; ſtet modo, nec nimis
Audax mole ruat ſua.

Ad Galeatium Florimontium.

EX *animo, Galatee tuis ſuaviſſime chartis*
Gratulor, & longum victuras auguror ævum:
Nam tractant de virtute, & de moribus almis,
Sermone egregio, ampullis, nugiſque relictis,
Queis aliquis fretus, tumiduſque, audaxque juventa
Pervolitat titulos, veterumque excerpta Sophorum;
Cumque aud percipiat quicquam, improbat omnia demens,
Et libros facit ipſe novos opprobria ſecli.
Tu vero, Galatee alba venerande ſenecta,
Quæ tecum ipſe diu verſaſti pectore in imo,
Aſſiduo ſtudio priſca exemplaria volvens,
Nunc promis tandem, atque in librum digeris aureum,
Quem docti plauſu excipiunt, releguntque libenter;
Præcipue magnus Polus, quo doctior alter
Non eſt, aut melior, nec erit tempore longo.
Ipſe tuo Polus juſſo, Galatee, libello
Ad menſam recitari, in Cælum laudibus effert.
Ergo jure tibi, atque tuis, Pater optime, chartis
Gratulor, & longum victuras auguror ævum;
Cumque illis nomenque tuum, & tua gloria vivet.

SI *quis, Olympiacæ miratus dona palæſtræ,*
Alipedi contendat equo, celerique quadriga
Declinet metæ compendia doctus habenis;
Vel juvet immani potius decernere cæſtu;
Vel collimet avi; rapidis vel curſibus Euros
Provocet; aut volucri ſpumantia marmora cymba
Pervolet; aut audax fulva luctetur arena:
Dulce illi eſt viridi redimitum tempora oliva
Efferri populi tergis, plenoque theatro,

Si victor ſuper aſtra volet rumore ſecundo.
Si clypeos tractare libet; ſi Martis amore
Incenſus, rapiaris equo per tela, per ignes,
Per denſas acies, Getulis qualis in arvis
Impavidus fremit ore leo, ferrataque vaſto
Agmina venantum aggreditur, frangitque cruentus,
Excutiens cervice comas, hoſtilia tela:
Dulce eſt poſt cædes, capitis poſt mille pericla,
Poſt ferro domitas acies, populoſque rebelles,
Quadrijugo curru gemmis ſpectandus, & oſtro
Per populi plauſum roratis undique nimbis
Florum, ſi ſcandas Tarpejas victor in arces;
Si videas duci, demiſſa fronte, Tyrannos
Ante tuum currum, populoque undante, quadrigæ
Segnius ire rotas, & equos conſiſtere turba,
Armorumque ſtrues, victoque ex hoſte tropæa.
Si cui pacato riſit Sapientia vultu,
Illius & doctos ſi non expalluit hauſtus,
Dulce eſt occultas rerum cognoſcere cauſſas;
Qua coëant elementa fide, qua ſidera lege
Æternis defixa globis immota pererrent;
Quæ vigil ætherios concinnet cura rotatus,
Temperet aſſiduis, & decedentia certis
Tempora momentis, Solis, Lunæque labores;
Quo latices veniant fonte, & cur flamina volvant
In mare præcipites undas; quo carcere clauſa
Sollicitent Pontum; teretes qua grandinis orbes
Parte Poli creſcant, rores, gelidæque pruinæ.
Quid referam quantos accendit laudis amores,
Palladias rixas ubi miſcuit æmulus ardor?
Siquem blanda juvat docilis facundia linguæ,
Magna parens Latiæque Togæ, mitiſque Senatus,
Seu libet ætherii laudes extollere civis;
Seu libet audentes lingua terrere minaci,
Et rapidas, fonti, puroque ſimillimus amni,
Mulcere eloquio commoti pectoris iras:
Dulce eſt ſuſpenſas mentes, lacrimiſque rigantum

Ora

Ora viderè virum, fixumque in corde dolorem:
Aut ſi Pegaſeis liquidas e fontibus undas
Hauriat, & plenum Dircæi flumen Oloris
Ebibat, aut latices melior qua Mincius errat.

. . . .

Ad Apollinem.

Ode,

Quam Ranutius Gherius, paucis immutatis, tribuit Hyppolito Capilupo.

O Jovis Magni ſoboles, decuſque,
Crineque intonſo, & pharetra ſuperbe,
Applices aures precibus benignas,
Pulcher Apollo.
Arte tu ſanas medicus ſalubri
Corporum morbos; tibi nota quæque eſt
Herba; tu ſortes regis, ac futura
Præcinis augur.
Tuque, dum longe jacularis arcu,
Territas Divos, Hominumque cætus,
At tuæ Matris tacitam pererrant
Gaudia mentem.
Tu novem Cæli moderaris orbes,
Siderum Princeps, obienſque circum
Et mare, & terras, nitidoque Olympum
Lumine luſtras.
Sic novem præſtans cithara Camenis,
Dum vagis plaudunt pedibus choreas,
Dulcia æterno modulata plectro
Carmina dicis.
Sic refers, nigraque diem relatum
Nocte celas, ſcilicet ut quieſcat
Feſſa mens curis hominum, & diurno
Membra labore.
Tum tuis contra radiis refulgens

Can-

Candidam Lunam mediis tenebris
Luce perfundis; nitet illa gaudens,
Splendet & una.
Lenta per te pampineis racemis
Uva dependens coquitur, rubetque
Purpuræ certans; tibi plurimum ipſe
Debet Iacchus.
Quæque mortales miſeros aratro
Prima defixo docuit movere
Arva, & immenſi dare ſpem laboris
Semina ſulcis.
Concipit per te genitale ſemen
Terra, mox alvum gravidam relaxans
Parturit fruges, varioſque flores
Feta miniſtrat.
Hoc ſciens a te gravidas ariſtas
Expetit multis precibus colonus,
Ut queat natos teneros, ſenemque
Paſcere matrem.
Supplices audi miſeros agreſtes,
Ne fame heu dira pereant, ſituque
Horreat campus, penituſque ceſſet
Fructus aratri.
Tu quoque in Thracas metuendus arcu
Bella age, & morbos procul hac ab urbe,
Ut malis rurſus redeant fugatis
Tempora in aurum.
Imminet peſtis Latio, & ruina:
En ferus Mavors ruit huc cruoro
Italo aſperſus, niſi nos ab alto
Aſpicis æquus.
Eripe e tanto Italiam periclo;
Julium ſerva innumeros in annos,
Cui data eſt rerum merito ſacrarum
Summa poteſtas.
Huc ades lauro caput implicatus;
Nos tibi ſacras ſtatuemus aras

Com-

Digitized by Google

Compotes voti, dabimuſque ſanctos
Thuris honores.
Taurus & lento redimitus auro,
Cui modo erumpit tibi fronte cornu;
Paſtus & campis Latiis nitentes
Imbuet aras.

F I N I S.

Digitized by Google

DE
OFFICIIS
INTER
POTENTIORES;
ET TENUIORES AMICOS.

Digitized by Google



DE OFFICIIS INTER POTENTIORES, ET TENUIORES AMICOS.

MAGNA omnino veteres, diuturnaque moleſtia caruiſſe mihi videri ſolent, qui non, quo modo nobis fere inſtitutum eſt, ingenuos homines, ſed plane ſervos in famulatu habuerint, quorum ad victum, cultumque, & cæteras vitæ opportunitates, opera, ac miniſterio uterentur. Nam cum hominis natura celſa, amplaque, & erecta ſit, longeque ad imperandum magis, quam ad parendum accommodata; in eam vigentem, atque integram herile imperium, quod nos facimus, exercere qui volunt, ii moleſtum negotium, atque odioſum aggrediuntur. Itaque veteribus in edomitos jam, & quaſi manſuefactos, quippe quos prius aut compedes, ergaſtulumque, aut a pueritia uſque captivus animus enervaſſet, atque emolliſſet, neque difficilis, opinor, neque injucunda dominatio fuit. Nobis contra cum robuſtis, valentibuſque,

Digitized by Google

& tanquam adhuc feris res eſt, qui & propter naturæ ſpiritus dominatum aſpernantur, & oderunt, & propter libertatem dominis etiam reſiſtunt; rationem quidem dominationis, iniquius interdum, ſæpe tamen jure, ab ipſis heris requirunt, & repetunt. Ex quo querelarum, expoſtulationum, litium plena ſunt omnia. Sic enim eſt profecto: nam injuſti rerum noſtrarum ratiocinatores ſumus, ac cum ſua quiſque, quam alius, æque bona nimio carius æſtimet, eoque plus in omni ratione ferat expenſum, quam acceptum referat, res convenire non poteſt. Hinc acerba illa ſane querimonia, atque exprobratio: Ego me domi tuæ contrivi: contraque: Ego te ſuſtentavi, alui, in honore habui. Quam quidem inter homines controverſiam, quodque diſſidium, ut, quantum eſt in nobis, ſedemus, & componamus, a nobis, hoc eſt ab hominis officio, minime duximus eſſe alienum. Quamobrem, cum in eam cogitationem ſæpenumero incumberem, præcepta quædam, & tanquam artem de neceſſitudine, & communione ea, quæ potentes inter, ac tenuiores conjugatur, quæque ab ea re, quam imitari plurimum viſa eſt, ſervitutis acerbum ſane nomen invenit, degenda compoſui, eamque literis mandare inſtitui; ut labore noſtro, ſi modo quod cupiebamus, aliqua ex parte aſſequuti ſumus, normam utrique haberent, ad quam dirigere ſi ſe vellent, iis commoditatibus, propter quas eam conjunctionem, quæ ſane una omnium maxime turbulenta videtur, copulaſſent, placide, tranquilleque fruerentur.

Quoniam igitur communionis, ſocietatiſque unius cujuſdam inter homines præcepta tradimus (plures autem ſunt hominibus inter ipſos, & variæ communitatum ſpecies, quarum aliud aliis propoſitum ſit) principio hæc ipſa, de qua ſit nobis hoc tempore explicandum, ſecerni a cæteris, ſejungique debet; ut, quamquam de omnibus quædam communiter præcipi ſoleant, quæ ad uberiorem quandam, ampliorenique artem pertinent; tamen, quoniam hujus quoque generis ſeparatim præceptiones ſunt, eæ a nobis diſtincte, dilucideque exponantur. In omni itaque ſocietate vincienda, aut voluptatis dulcedine, fruendæque jucunditatis ſtudio homines ducuntur; aut rerum, quibus utuntur, facultatem, potentiam, opes, & copias, cæteraque id genus adipiſci, tuerique, aut etiam adaugere volunt, quæ omnia in rationem utilitatis cadunt; aut honeſti, rectique, ac decori pulchritudine, & ſplendore excitati, illectique rapiuntur. Ac priori quidem in genere (exemplis enim res fiet apertior) libidinoſi amores ſunt, & quæ deliciæ appellantur, cæteraque ejuſdem modi. Utilitatis autem genus latiſſime fuſum eſt: continet enim Rempublicam primum univerſam, deinde ſingulas fere Civitatis partes: nam inita eſt civibus communiter inter ipſos

ſocie-

Digitized by Google

ſocietas eam ob cauſſam, ut congregati, ſalvi, incolumeſque eſſe poſſint; tum multæ quæſtus, lucrique cauſſa communiones ſunt privatim contractæ. Tertium autem genus amicitiam complectitur, non hanc popularem, ſed illam bonorum; cum ſcilicet honeſtum, laudabile, decorum, non emolumento captans aliquo, ſed ſua ipſum vi, ac dignitate inductos homines virtutis amantes conjunxit arcte, atque devinxit. Tenuiores autem homines cum ſe ad Principum Civitatis amicitiam applicant; contraque clari, potentes, opulenti cum obſcuros, infirmos, exiles in contubernium, ac familiaritatem recipiunt, neutri fere honeſtatis decorem conſectari, ac ne attendere quidem videntur, ſed utilitatem modo, aut voluptatem ſequi. Id ex eo intelligere licet, quod neque illi bonos quoſdam viros, juſtoſve, aut fortes, ac moderatos, quibus inſerviant, ſed gratioſos, ac locupletes, ſi utrumvis liceat, delegerint; & fortunis ditati, confeſtim, tanquam id operis habuerint, diſcedunt, aut certe cupiunt: atque hi rurſum laborioſum quemlibet, aut induſtrium, & ſolertem, frugique exquirunt, eoſque inſigniori aliqua virtute præſtantibus longe præferunt. Quare, quæ de vera illa, & germana amicitia præcipiuntur, cum morum ſimilitudo, & convenientia bonorum animos ſtabili quodam amore, & caritate devinxit, huic neceſſitudini convenire non poterunt: diverſorum enim generum eædem præceptiones eſſe non poſſunt; neque vero eadem eſſe genera, quorum exitus, fineſque diverſi ſunt. Atque alia eſt etiam humanarum ſocietatum diviſio: nam aut pares inter ſe copulantur, quales fratrum conjunctiones ſunt; aut diſpares, cujuſmodi parentum eſt, ac liberorum inter ipſos communitas. Permultum vero refert ad inveniendi officii rationem, utro quis in genere eam, qua de agimus, neceſſitudinem conſtituerit, quamquam in promtu id quidem eſt: ambigi enim non poteſt, quin ad poſterius referatur. Sed cum fere conſtet, diſpares hoc amicitiæ genere copulari, illud parum percipiunt, aut certe non ſatis conſtanter ad extremum uſque retinent. Stabiliendum eſt enim, firmandumque quid ſit illud, cujus præſtantia princeps in hac neceſſitudine, & tanquam herus cernatur, ne vagari, errareque hujus ignoratione cogamur. Principem igitur locum non, ut pleriſque in rebus, ita hoc in genere, doctrina, nec ætas, nec nobilitas, nec vero virtus obtinet; ſed pecunia modo, & dignitas, & potentia dominatur. Atque hæc quidem ut concurrant omnia, optabile eſt; ſin minus, vel uni deſerviendum eſt. Satis eſt autem ad hoc argumenti, quod ſæpe unius converſione fortunæ ratio omnis amicitiæ commutatur, multique cum iis, quibus diu tanquam præfuerint, non modo exæquantur, ſed etiam iis ipſis efficiuntur humiliores, a quibuſque antea

tea coli ſoliti ſint, eoſdem aut pecunia auctos, aut honoribus amplificatos contra ipſi reverentur, atque obſervant. Quomobrem ſit hoc cæterarum communionum, ſiquibus ita videtur, præſcriptum, & tanquam formula, ut, quod in unoquoque boni ſit, ſubductum habeant; ac tantidem ſe quiſque faciat, quanti ſit, tantidemque ab amico æſtimari ſe vel poſtulet, vel patiatur. Nobis autem alio quodam modo rationem inſtitutam eſſe intelligendum eſt: pleroſque enim fallit, quorum eſt error tollendus, ne, quod faciunt, turbent omnia. Cum igitur ratiocinabuntur, meminerint adnumerari, appendique par eſſe non omnia, ſed pecuniam modo, atque potentiam; quando ea eſt hæc ſocietas conditione contracta, ut potentibus, ut locupletibus propter id ipſum, quod opulenti ſunt, tribuantur omnia. Quare qui ſeſe paupertatem ferre poſſe non tam negant, quam re ipſa oſtendunt, quibus quæſito opus eſt, quique aliena egere ſe fatentur potentia, deſinant moleſti eſſe; neque ingenium, aut nobilitatem, aut doctrinam, quibus rebus, quamquam pretioſæ alioqui ſane ſunt, ne ipſi quidem magnopere confidunt, magnum quoddam pondus habere poſtulent, ut comparari ſe propterea, quod iis inſtructi ſint, ſuperioribus, aut etiam anteferri putent oportere. At vir ego, inquit, ſum melior, eruditior, nobilior; una modo re inferior, quæ ipſa non in virtute poſita eſt, ſed ex fortuna pendet. Sit ita ſane: mitto enim, quod plerumque nimium ſemetipſos diligunt, nimium amplexantur; ſed, ut ita ſit, tenendum tamen illud, nihil in hac communione relictum eſſe iis rebus, quas illi commemorant, loci: principem eſſe pecuniam, imperium obtinere potentiam placuit: accepta ſemel conditio eſt, quæ aut tunc recuſanda fuit, cum ferebatur, aut ne nunc quidem improbanda. Fuit olim apud Æthiopas lex, ut eum regem facerent, qui proceriſſimus reperiretur. Num igitur philoſophus, brevis ſi forte fuerit, atque Æthiopiæ regnum affectet, non ea lege puniendus ſit? Atqui Sapientia proceritati, omnique corporis ſtaturæ longe antecellit: nemo negat id quidem; ſed ea tamen Æthiopes lege vivunt, quam violare ſit nefas: ſic nos eam ſervare legem debemus, quam nobis, quaſi populo, uſus, vitaque communis promulgavit, & tanquam ſuaſit, quamque adeo ipſi ſanximus.

Tantum enim abeſt, ut quicquam adſcribendum cuiquam ſit, præter id, cujus haberi ſemel rationem placuerit, ut ſæpe id ipſum, adjectis iis, quæ plurimi alioqui ſunt, vilius efficiatur: ut meretrix pudore deterior eſt: ad quæſtum enim ejus æſtimatio refertur, quem pudor, quamquam laudabilis ipſe per ſe, tamen imminuit; petulantia vero, tametſi ſua ipſa vi, naturaque turpis, auget. Neque vero aliam ob

cauſ-

cauſſam quibuſdam in civitatibus inſtitutum eſt, ut eximia quadam virtute cives, populi arbitrio, innocentes relegarentur; iſque mos ab Ariſtotele, quanto, qualique philoſopho? non admodum improbatur, niſi, quod cum una æquabilitate res eorum publica contineretur, omne quod emineret, cujuſcunque tandem id modi eſſet, amputandum, & tanquam complanandum cenſebant; ut ne virtuti quidem, ſe ſe nimium attollenti, parcerent. Quare divitiæ tantum, atque opes in ea re cenſenda, atque æſtimanda ponderentur, quibus ſemel principatus, & dominatio data eſt; reliqua circumcidantur: his ſe virtus, nobilitas, doctrina ſubmittat: hoc qui recuſant (magnus eſt autem numerus) ſeditioſi ut in Republica cives, ſic in amicitia turbulenti exiſtimandi ſunt. Vinciuntur igitur neceſſitudine hac longe potentia, ac divitiis diſpares: vinculum autem eſt non caritas, ſed utilitas: ex quo illud conficitur, quod antea quoque dictum eſt a me, errare eos, qui hanc neceſſitudinem veræ illius, juſtæque amicitiæ legibus temperari putant. Nam hoc quoque genus importunum eſt, magnam quandam, æquabilemque benevolentiam, atque ardorem amoris requirentium: diſtinguenda ſunt enim neceſſitudinum genera, ne temere omnia ab omnibus exſpectentur: quibus enim ſua cuique privatim utilitas propoſita pene ex conventu ſit, eos noſtra cauſſa tantum velle putare, ut alienum commodum anteferant ſuo, temere optantis eſt, non conſiderate judicantis. Neque vero eadem utriuſque propoſita utilitas eſt: ſed operam, atque obſequium a tenuioribus potentes expetunt; inopes contra a divitibus, atque honoratis pecuniam, aut dignitatem: illi enim, utpote divitiis affluentes, nullum ſequuntur emolumentum; ſed id modo attendunt, quod eam ſibi conjunctionem ad dignitatis ſplendorem honorificam, ad victum autem, cultumque, atque res gerendas, cum jucundam, tum vero multis ſane locis peropportunam eſſe intelligunt. Inferiores autem propter paupertatem, atque inopiam, pecuniæ fructum, aut dignitatem quærunt: tum propter imbecillitatem factioſos, opulentoſque amicos ſibi, tanquam adminiculum, parant. Quibus ita conſtitutis, quoniam expedit cum unaquaque in re eum nos bene cognitum habere, quicum negotium nobis futurum ſit, tum in hujuſmodi neceſſitudine vel in primis refert, non ignota nobis eſſe eorum, quibuscum vivimus, ſtudia, & voluntates, ut vel ad eas nos dirigamus, vel rem totam, ſi modo fieri poſſit, repudiemus; operæ pretium eſt, locupletum, ac potentium, contraque tenuium, atque inopum naturam, & tanquam formam quandam, & ſpeciem, quoad poſſumus, inveſtigare, in medioque ponere. Neque vero exquiſitam quandam ad rationem exigi hæc a nobis debebunt; quoniam nec omnibus

æque

æque in rebus ſubtilitas quærenda eſt, nec vero poſtulandum, ut preſſius agatur, quam ipſarum, quæ ſubjectæ ſunt, rerum vis, & natura patiatur. Ac locupletes quidem ita fere ſunt morati, ut ſuperbia, & faſtidio efferantur: perinde enim affecti vivunt, quaſi bonis omnibus affluant. Et quoniam, quanti unumquodque ſit, æſtimari fere nummis ſoleat, eaque ratione argento venire omnia, quia eo ipſi abundent, omnium penes ſe rerum pretium eſſe opinantur, itaque beati ſibi videntur. Ad hoc accedit, quod homines magnam partem in re facienda, atque exaggeranda occupatos, divitiiſque inhiantes vident: quare illarum poſſeſſione, tanquam excellenti inter homines bono quodam, quod unum expetant, quodque admirentur omnes, ipſi gloriantur; reliquos autem deſpiciunt, nec homines putant. Quæ quidem arrogantia, inſolentiaque ea quoque re augetur plurimum, neque adeo immerito, quod multos multa locupletem rogare neceſſe eſt; tum arbitrantur, ſeſe dignos eſſe dominatu: propter copias enim, quibus ipſi affatim præditi ſunt, dominationem, regnumque expeti putant. Glorioſæ itaque, atque inſolentes divitiæ ſunt; eædem petulantiam habent, ſuperbiæ comitem: difficile eſt enim, niſi ſi forte ratio adſit, prudentiaque, ſecundo Fortunæ curſu non auferri. Eorundem eſt diffluere luxuria: nam & delicati, molleſque ſunt, & copiarum oſtentatione beati videri volunt. Ad ſummam ſtulta pecunia eſt, ſed fortunata, & felix. Præterea autem multo hæc ſunt eadem novis in divitiis deteriora, quam in veteribus vitia: repente enim divites facti ſunt, abundandi, ut ita dixerim, imperiti, ut plerique Romæ. In quo ſi qui fortaſſe fuerint, qui detrahi ſibi a nobis querantur, ii meminiſſe debebunt, non hunc nobis de hominibus, ſed ipſa de re inſtitutum eſſe ſermonem. Potentium autem mores partim cum locupletum natura, & conſuetudine congruunt, partim aliquanto ſunt etiam probiores: nam & honorum ſtudium in his eſt, & animus virilis, atque ad agendum promtus: præbet enim potentia facultatem, & propter dignitatem gravitas quædam ineſt. Ac de locupletum quidem, ac potentium moribus hactenus. In paupertate vero, atque inopia omnia iis contraria reperientur. Sic igitur animati erga potentes, & pecunioſos tenues amici eſſe debebunt, ut illorum incommoda, contumelias, injurias, ineptias non modo facile perferant, ſed amanter etiam tegant; eoſque, quoad fieri poſſit, diligant, colant quidem certe omnibus locis, atque obſervent: diligi enim volunt, propterea quod exiſtimant, a quibus amentur, iiſdem ſe ſe probari. Itaque cum omnia ſibi divites arrogent, amicorum obſequiis, atque obſervantia magnopere delectantur: ſui enim de ſe judicii habere eos adſcriptores putant. Difficile eſt autem

tem

tem diligere eum, quem non probes: nihiloque factu facilius ſic moratos, quemadmodum dictum eſt, probare; verumtamen, ut ait Tireſias ille,

Quando pauperiem miſſis ambagibus horres,

devoranda hæc ſunt, ferendumque æquo animo, quod corrigere nequeas; præſertim cum non virtute, & probitate hæc neceſſitudo contineatur, ſed emolumentis, & fructu. Stulte igitur faciunt, atque inutiliter, qui tanquam Horatianus Davus, decembri in dominos abutuntur libertate:

Tu, cum ſis, quod ego, & fortaſſis nequior.

Perniciosa enim hæc ſunt, præſertim adverſus potentiam, ſuperbiamque. Quare non modo dici, proferrique hæc non expedit, ſed ne cogitari quidem ſine detrimento poſſunt: retrahunt enim nos ab obſequio, & cultu potentis amici, ſine quo contineri neceſſitudo hæc diutius non poteſt. Non minus eſt autem eorum vitium, damnum certe idem, qui de ſuperioribus amicis in omni ſermone abſentibus detrahunt, eoſque, quos revereri, & colere non modo decet, ſed etiam fructuoſum eſt, lædunt. Itaque dupliciter accuſandi ſunt, & quod ab officio recedunt, & quod eorum cum factis minime conſentit oratio: cum eo enim re vivunt, quem ſermone improbant. Superbi etiam, atque arrogantes monendi ſunt, atque, ut ab hoc ſtudio deſiſtant, hortandi: nam nihil obſequio, atque obſervantiæ tam eſt adverſarium, quam arrogantia. Obſervamus enim, & colimus, quos inſigni aliqua re antecellere nobis putamus: omnia autem ſibi qui arrogant, næ illi longe abeſt, ut cuiquam obſequi velint. Ac ſunt omnino quidam nulla de re tam ſolliciti, quam ut ne cuiquam ſuccumbere, aut quicquam cuiquam concedere videantur. Ii ſe ſe inferiores appellari mortis inſtar putant, pauperiores tantum dici volunt: auſteri, triſtes, duri, omnia ſummo jure, ſevere agentes, atque acerbe: qui ſi appellentur modo, continuo ad calculos abeant; confeſtim ſua, atque aliena digitis metiantur; rationem ſubducant, a qua ne punctum quidem cujuſquam cauſſa decedere jus eſſe arbitrentur. Ii, ut antea dictum eſt, ad aliud ſtudium traducendi ſunt, ne ætatem ſollicite, anxieque degant, & ea exacta, fruſtra, quod nihil proceſſerit, Fortunam, quod facere ſolent, accuſent, cum ipſi in culpa ſint. Nobis autem leni homine opus eſt, molli, flexibilique ingenio prædito, qui & de ſuo jure decedere didicerit, & parere Fortunæ; idque animo hilari, aut certe æquo facere poſſit, ut non appareat coactum obſequi: nemo enim, quem colit, illi invitus obtemperat. Quoniam igitur ſuperbiæ occurrendum eſt; nihil eſt autem ad eam molliendam, ac demulcendam valentius obſer-

vantia , atque obſequio ; in eo exiles , atque inopes amici elaborare debebunt , ut in ſuperiores omne officium , omnemque cultum conferant : id partim in dictis apparebit , partim in factis . In ſermone igitur , & congreſſionibus non modo comitas , & ſuavitas adhibenda eſt, ſed quædam etiam reverentia : aſſentatio autem , de qua mox dicetur, procul amovenda . Permultum vero id refert : nam neque quicquam eſt , quod tam crebro incidat , quam ut loquamur , & ad conciliandos hominum animos ſumma in oratione vis eſt . Illa igitur primum cautio adhibeatur in verbis , ut ſubmiſſa , ut humilia ſint , ut prope abjecta : blandum enim in ſeculum incidimus , cujus in errore nihil eſt , cur verſari nos cum reliquis pudeat . Contumax eſt non modo monere , ſed etiam conſilium dare ; reprehendere vero non ferendum. Longum eſt autem ſingula perſequi , quare genus ipſum indicaſſe ſit, opinor , ſatis . Deinde repugnandum ſiqua in re forte fuerit , ut pedetentim , timideque fiat , & tamen & raro , & non niſi neceſſario: neque enim eſt obſequentis adverſari . Sæpe autem in congreſſionibus, aut in conviviis diſputationes inducuntur incertis , aut ſubtilibus de rebus , in quo docti quidam homines , & ingenioſi facere ſane imprudenter ſolent : arripiunt enim ipſi tanquam ſuo jure ſermonem , obloquuntur , interturbant , pertinaciter reſiſtunt , redarguunt denique , idque acerbe , atque acriter . Non ſunt hæc obſervantiæ , aut obſequii ſigna . At non mea , inquiunt , culpa eſt , quod homo rudis , atque illiteratus , & fortaſſe hebes , de rebus obſcuris , atque involutis balbutiens me laceſſat , irritet , in contentionem vocet , præſertim eam ipſam artem , ad quam diſputatio pertineat , profeſſum . Sed parcendum tamen eſt , quaſique cum amico lucteris , non cum adverſario , non eſt viribus utendum , ſcitum eſt enim in loco cedere , aut ſuccumbere : victoria vero ſæpe perniciem habet . Ex quo vetus illud Νίκη καδμεία . At difficile eſt , inquiunt , præſertim concalefactis jam altercatione animis ; tum in eo ipſo , quod profiteamur , cuiquam nos cedere videri , pati non poſſumus . Ego neque hoc diſputo , & , ſi poſtulant , etiam concedo . Illud teneo , atque denuntio , inutile id illis eſſe , plane etiam pernicioſum . Quare ſuperbiam excutiant , animum molliant , aut amicitiam ſe ſe gerere neſcire fateantur . Diligenter etiam caveant , nequando committant , ut cum potenti amico jocari aggrediantur , niſi ab eo ipſo invitati , ac prope juſſi : ineſt enim in joco æquabilitatis ſignificatio , & ſecuritas quædam , qua ſuperbia irritatur . Cavillationem autem, & dicta ſuperiorum , quamquam habebunt ſæpe aculeum , & contumeliam , hilaritate , & lepore excipiant : iracundiam , nequa forte erumpat (effervеſcet enim illa quidem) quam diligentiſſime poterunt , compri-

pri-

Digitized by Google

primant ; ac , ne ſi acrius quidem pupugit , quicquam mordere audeant : neque enim eſt obedientis , doloris ſui pœnas perſequi . Quo autem cuiquam uberius erit ingenium , atque acutius , eo difficilius is præſtare hoc poterit : multa enim occurrent ſalſa , quæ vix reticebit . Eſtque omnino andquaquam mediocris patientiæ , cum ſæpe vapules, telum autem ſemper teneas , nunquam referire . Sed iracundia tamen perquam diligenter cohibenda eſt , neque cum ſuperiore , ne juſta quidem de cauſſa , concertandum : nam & victi oderunt , & pares cum diſcedunt , tamen vinci ſe putant : itaque alio ſe ſe convertunt , & eos, quorum tractata ſemel læſit aſperitas , in poſterum non attingunt . Quo autem modo jucunda conſuetudine , aſſiduiſque ſermonibus , & comitate ſuperbia mollitur ; ita ſilentio , ſeveritate , & triſtitia recrudeſcit . Tum ſtultum eſt , quorum contumelias perpeti neceſſe habeas , eorum non ferre jocos . Quare ita ſe ſe tenues comparare amici debebunt , ut potentis vel immoderatam in jocando licentiam , non modo bonam in partem accipiant , ſed etiam , quo familiarius tractentur , habere ſe gratiam ſignificent . Reliqua vero in vitæ conſuetudine ea moderatio adhibeatur , ut in ſermone plurimum hilaritatis , plurimum & feſtivitatis inſit , non effuſæ ; ſed ad voluntatem , nutumque divitis amici omnis oratio temperetur . Triſtitia vero , & taciturnitas abſit , quæ minime amabiles , & plerumque inviſæ , ſuſpectæque ſunt : quos enim triſtes animadvertunt , iis ſe ſuſpicantur non ſatisfacere . Præcidatur etiam loquacitas : eſt enim reverentis adhibere modum : neque vero ſermonem ipſi priores inducant , niſi ſi forte juſſi ſint aliquid in medium , conſumendi otii cauſſa , ut fit , proponere : ad ſuperiores enim pertinet indicare , qua potiſſimum de re velint audire . Neque immerito is arguitur , qui præfeſtinet , ubi herus adſit , præloqui . Quod autem dictum a me eſt , procul ex hac conſuetudine amovendam aſſentationem eſſe, videamus , quam vim habeat . Non ſum enim neſcius , ſecus a pleriſque ſolere præcipi , qui cum adulationem unam omnium rerum fructuoſiſſimam eſſe contendant , facile permultos nominant aud magni pretii homines , qui una aſſentatione adjuti non modo divitias pararunt , ſed ad ſummos etiam dignitatis gradus irrepſerunt . Sed , quamquam ab utilitate profecta hæc ratio eſt , non debebunt honeſtatis , & juſtitiæ oblivíſci . Itaque , nequid turpitudinis lucri cauſſa contrahatur , operam dabunt , tuebunturque juſtitiam , ſi non ſummam illam bonorum , at hanc popularem ſaltem vulgi : etenim unum pecuniæ fructum ſequi ſi volumus , neque honeſtatem audimus , eos ipſos ſuperiores amicos ſpoliemus licet , aut adverſariis prodamus . Cavendum eſt igitur , quamquam ab utilitate profecta hæc ratio eſt , ne longius ſi progreſſi

erimus, juſtitiæ fines tranſgrediamur. Quid eſt autem, quod ab honeſtate longius abſit, quam aſſentatio, & blanditia? quarum cura, & nutrimentis hominum educentur, ſæpe etiam gignantur, & procreentur vitia. Metuet igitur

Scurrantis ſpeciem præbere, profeſſus amicum.

Finitima eſt autem obſequio blanditia: tum in unaquaque re difficile eſt ſtatuere quatenus: ſunt enim vitia cum virtutibus prope continentia, aut ita certe inter ſe conjuncta, vix ut appareat commiſſura. Sed quædam tamen eſt regula, qua uti qui volent, neque a probitate diſcedent, & utilitati tamen conſulent. Eſt igitur in congreſſionibus ſermonis quædam temperatio, & modus, quam quidem virtutem, cum ea vocabulo carere videretur, ab amicitia mutuati, φιλίαν Peripatetici nominaverunt; quod ejus compotes qui ſint, talem ad omnem congreſſum humanitatem, affabilitatemque adhibeant, qualem adhibere inter ſe amici conſueverint. In eo autem poſita eſt, ut neque omnia ad voluntatem loquamur, & petulantia tamen abſit, & triſtitia, auſteritaſque vitetur. Ad eam autem mediocrem retinendam permagni refert, quicum loquare, quique ipſe ſis. Id quale ſit, ut pleraque omnia, in iis animadverti maxime poteſt, qui, longo quodam interjecto tanquam intervallo, inter ſe diſtant, ut in parentibus, & liberis, ut in privatis, & iis, qui ſunt in magno aliquo imperio: quæ enim in privatum commode dicta exiſtimantur, eadem in Magiſtratum collata petulantiæ habentur non ferendæ. Ac Parentes quidem objurgare flagitium eſt, Magiſtratum nefas, parem vero non dedecet. Hanc in ſermone mediocritatem retinere hic noſter vel mordicus debebit (lubricus enim locus eſt) ut neque ad aſſentationem delabatur, minimeque ſit amarus, aut agreſtis. Id autem, niſi quid me fallit, ea ratione efficere non incommode poterit, ſi, quæ ſuperiore in amico probanda erunt, ea & ſuo loco, & pleniore etiam aliquanto, ut dicitur, ore laudabit, peccata vero non attinget omnino: ad pares enim amicos monitio, atque objurgatio, non ad inferiores pertinet. Qui vero ea laudant, quæ non probant, improbi hominis funguntur officio, & vani, ac fallacis, & fraudulenti. Omnis autem ſermo verecundiæ plenus eſſe debebit; non modo quia ſic omnino bene moratos decet, ſed quia ſecuritatem etiam petulantia præſeferre videtur. Abſit igitur obſcenitas; tetræ etiam, immundæque res ne appellentur, ſingulisque cum dictis, tum factis ſignificatio quædam inſit, non negligere tenuem amicum, quid de ſe ſuperior ſentiat. Provideant etiam, ut geſtus, motus, inceſſus, ſtatus, ſeſſio, accubatio, manus, oculi, vox, non ineptiis modo vacent (eſt enim id alius cujuſdam diſciplinæ præcipere) ſed

ſed ut reverentiam quandam erga potentem amicum, cultumque indicent. Removeantur igitur cachinni, & clamores, & palæſtrici quidam motus; tum oſcitatio frequens, atque excreatio, reliquaque id genus. Quæ ſoluti, liberique ſunt animi, ad amicorum æquabiles congreſſiones reſerventur. Veſtitus etiam ratio habeatur, ut elegans, ut mundus, ut aptus ſit: volunt enim oſtentatione divitiarum, quemadmodum dictum eſt, beati videri; tum ad luxuriam pertinet, quorum utantur miniſterio, eos non agreſtes, nec ſordidatos habere, ſed elegantes, & ornatos. Quamquam autem in ſermone plurimum cultus, obſervantiaque elucet, permultum tamen etiam in factis apparet. Quamobrem ſuperioribus inferiores præſto ſint, obſequantur, obtemperent, neque re tantum ipſa, ſed etiam ſignificatione quadam, & ſpecie: nihil enim neceſſe eſt tantas amicorum catervas domi alere: ad ſpeciem comparantur, & pompam. Quare ne hæc quidem negligant: adſint, adſtent, ſectentur, aſſiduitatem præſtent, moleſtiam caveant; neque ſic cogitent, non haſce ſibi datas eſſe partes, ſed certum quoddam munus aſſignatum: ſunt enim communes inferiorum omnium amicorum. Qui vero cunctantur, qui tergiverſantur, & ceſſant, perniciosum genus in hanc communionem inducunt: parce enim, ac reſtricte munus ipſi ſuum cum exſequuntur, potentem amicum prope admonent, ut benignitatem ipſe quoque ſuam contrahat, ac minutatim, exigueque præbeat omnia. In rebus autem gerendis, curandiſque mandatis, primum fides, integritaſque præſtanda eſt, non modo quia decet, rectumque eſt, ſed quia fructuoſum eſt etiam: quos enim fideles experti ſunt, iis ſe ſe totos committunt, & tradunt, eoque bene etiam illis facere coguntur. Deinde cura, & diligentia, & ſolertia, quaſi in re propria adhibeatur, major etiam ſi fieri poſſit, quo difficilior eſt cura rerum alienarum. Sed hæc communia ſocietatum omnium: illud hujus conjunctionis eſt proprium. Neque enim, quod commodiſſimum, aptiſſimumque quaque in re fuerit, ſpectare debebunt, ſed illud modo attendere, quod maxime potenti amico probetur: id, quod una in re notatum, ad reliqua omnia transferri poterit. Qui igitur ullo fere in gradu dignitatis locati ſunt, homines eruditos, atque in ſcribendo exercitatos ſeorſum parant, qui de omnibus rebus, quæcunque inciderint, epiſtolas componant, ut eæ ſuperiorum amicorum nomine reddantur; ii perſæpe ea præcepta ſervantes, quæ magno labore didicerunt, hominibus illiteratis, a politaque, & accurata oratione abhorrentibus ſuas lucubrationes non probant: optima quæque, aptiſſimaque inducuntur: omnia pervertuntur, retexuntur omnia. Quid igitur eſt tui conſilii? Illud ſcilicet Euripidis de Phœniſſis:

Po-

Potentium ſtultitia perferenda eſt;
& (quamquam difficile factu eſt)
Una cum inſipientibus deſipiendum.

Unam igitur habebunt non ſcriptorum modo, ſed etiam actionum, omnium regulam, potentis amici voluntatem, ac judicium; ad eam ſe formabunt, eaque metientur dicta, factaque omnia: neque vero perpendent, quam recta ſit, aut prava, ſed tantum elaborabunt, ut eam bene cognitam, obſervandoque notatam habeant; dabuntque operam, non ut recte, ſiquid mandatum eſt, curent, ſed ad voluntatem ſuperioris amici apte, atque accommodate. Itaque inferior amicus imperium herile diſcat, ut quod frons velit, oculi ſciant. Hæc fere ſunt inferiorum partes, atque officia amicorum, vel ſtirpes potius quædam, atque initia, e quibus ea orta, ac profecta ſunt: expoſitis enim generibus, ſingulas tamen ſecare, ac perſequi partes cum infinitum duximus, tum vero etiam minime neceſſarium. Locupletibus vero, & factioſis multo, ne errent, hujuſcemodi præceptiones attentius audiendas, retinendæque ſunt: eſt enim potentia, niſi ſiquis artem, hoc eſt, rationem adhibeat, ipſa per ſe licentior. Itaque ſolutam eam, ac liberam paullo ſi diutius ſiveris, ubi ſe corroboravit, exſultat, effrenateque effertur, ac ruit. Quid enim mereat quis, ut nonnullorum, quos ſignificari a me, quam nominari eſt æquius, immanem, ac barbaram ſuperbiam ferre velit? Qui quidem eo uſque ſunt odio digni, nihil ut mirum ſit, ſi abjectiſſimi quoque homines egeſtatem vel ſummam perpeti malint, quam eos non modo ferre, ſed ne aſpicere quidem. At tenues, atque inopes, ſatis ab ipſa neceſſitate, quod ſui ſit officii, admonentur; & ſiquid tamen peccent, ſane haut deeſſe corrector poteſt. Statuant igitur divites, ſe quoque legem tenere; quando patrium etiam jus quibuſdam quaſi cancellis natura circumſcripſit, quos tranſire nefas, impiumque ſit: nec quos fortuna, atque opibus anteeunt, eos tanquam deſertos omnino, ac neglectos, pro nihilo habeant; nec vero abjectiſſimum quoddam obſervantiæ genus, cultumque ſervitio proximum omnes ab omnibus requirant: dilatantur enim intervalla, contrahunturque, quibus alii alios præcurrunt. Ad eorum igitur magnitudinem, & ſpatium tenuium officia amicorum referantur: neque enim par eſt ſuperiorum omnium præſtantia. Itaque Deum (plurimum enim inter ſe diſtantibus in rebus id, quod monſtrare volumus, apparebit maxime) Deum igitur veneramur, & colimus: homo autem paullo locupletior ſacrificium ſibi quoque ad aram fieri ab inopi amico ſi poſtulet, inſaniat: nec claros quidem, atque illuſtres cives pari obſervantia colimus, ac Perſarum Regem. Ut igitur inferioris partes

ſunt,

Digitized by Google

ſunt, obſequium ut præſtet non gravate, ſed libenter, nec ſemper monitus, ſed ſæpe ultro; ita ſuperioris contra eſt officium, eorum ſedulitate nec abuti, nec acerbe obſequium exigere, ſicque cogitare, amicorum uti ſe ſe opera, ſi non gratuita, at voluntaria, at certe libera, non autem ſervis imperitare: liberi enim ſunt, nec lege tantum (nam id quidem perſpicuum eſt) ſed etiam natura, ſi quidem is natura ſervus eſt, cujus unum eſt, aut certe præcipuum, in corporis, membrorumque uſu poſitum munus; quique ita rationis eſt particeps, illam ut ſenſu percipiat, non ea ipſe ut præditus ſit: ii autem, quos jamdudum inferiores amicos appello, non ut operarii quidam, ac bajuli membrorum robore, ac lacertis, ſed potius induſtria, & ingenio, & rerum uſu, animi denique viribus, non corporis commendantur. Liberi igitur ſunt: verum conſuetudo, atque dicendi mos famulatum, ut antea quoque dictum eſt, triſti ſane verbo, conjunctionis hujus neceſſitudinem nominavit; ſed idem tamen mollivit: etenim vel ſuperiores qui ſunt amici apud eos, quos diligunt, quamquam tenues ſunt, ſervitutem ſervire ſe ſe, quia ita mos eſt dicendi, dicunt; ut jam benevolentiæ id, obſervantiæque nota, non ſervitii vocabulum ſit. Sed verum inveſtigantes de rebus, opinor, potius, quam de nominibus ſollicitos eſſe oportet. Nam quandiu veteribus ſervos bella ſuppeditarunt, nec habere eos lege prohibitum eſt, nihil magnopere fuit, cur liberorum opera, & miniſterio uterentur: itaque nihil mirum, ſi non ſuum, propriumque eſt ei rei vocabulum impoſitum, quæ fere eſſet incognita. Ubi vero, & bellica noſtris in hominibus frangi virtus cœpta eſt, atque hominem religionis ſocium ſervitute premere impium exiſtimatum; veriſimile eſt, ut infimi initio homines mercedula adducti eum facere quæſtum occeperint, ut opulentioribus ſervorum vice miniſtrarent; deinde vero re paullatim in morem inducta honeſti quoque homines eum ipſum quæſtum non ſint aſpernati. Verum ſero viguit hic quidem mos, eo ſcilicet demum tempore, cum ii e medio ſublati ſunt, qui ei rei nomen cudere, & tanquam fabricari poterant. Itaque in re nova vetus vocabulum, quod uſurpemus, niſi quid me forte fallit, non eſt; novare autem nobis quidem non licet: iis enim hæc tractare conamur vocibus, quæ multis antea ſeculis prope conticuerunt, quam hæc inventa communio ſit. Sed nos eo redeamus, unde digreſſi ſumus. Tenuiores igitur amicos ad famulatum uſque qui deprimunt (quotus autem quiſque eſt, qui id non conetur efficere?) ii non modo inhumaniter faciunt, atque inclementer, ſed etiam injuſte, ac plane tyrannice. Cujus enim eſt dominatus, in xyſto multas horas quotidie ambulantem amicos adeſſe ad unum jubere, eoſque aper-

apertis capitibus dextra, ſiniſtra ſtantes ne reſpicere quidem? Regibus igitur hæc, atque hujuſmodi imperia relinquantur. Qui vero parem illis præſtantiam aſſequuti non ſunt, deſinant eorum ſpeciem affectare, ne & ſuis odioſi, inviſique ſint, & irrideantur ab alienis. Nihiloque clementius illud eſt, cum levi quaque de cauſſa contumeliis, convicioque, & clamoribus honeſtos ſæpe homines conſectantur, idque palam in publico. Quid vos ſervis faceretis? Ut enim ſit impotentium amicorum ferre omnia, veſtrum certe eſt, quantum eos oneretis, videre. Nam qui eo uſque protervi ſunt, atque effrenati, ut manus etiam hominibus liberis afferant, eos tanquam deſperatos aliquos coërcendos cenſemus, non admonendos. Negat Ariſtoteles, ullum eſſe officium, quod in ſervum, quia quidem ſervus ſit, tueri dominus debeat; ſed quia homines tamen ſervi ſunt, adverſus eos quoque humanitatis leges inviolatas ſervari cenſet oportere. Nec vero illud incommode, quod falſus ille Sauria, quamquam ſervus, & quidem nequam, homini libero reſpondit in jurgio:

Tam ego homo ſum, quam tu.

At ii ne liberos quidem homines putant; quorum etiam durior eſt, quam beſtiarum quarundam apud eos cauſſa: etenim quibus equis ipſi vehi conſueverunt, eos curari diligenter ſtudent, neque labore nimio defatigari, feſſoſque recreari, & conquieſcere volunt. Hominibus vero quando aut quiſquam parcit, aut medetur, aut ulla in re conſulit? Aut quodnam Romæ genus eſt tam omni indignitate, atque iniquitate exercitum, quam potentium tenues amici? Sunt hæc non modo Chriſtianæ caritati, atque humilitati repugnantia, ſed ab humanitate quoque hac communi, longe, longeque abhorrent. Ne igitur humanitatem fortuna obruat, neque opes, & potentia libertatem coërceant. Difficile eſt autem omnibus in rebus modum non ſolum tenere, ſed etiam, qui ſit, cogitatione inveſtigantes ſtatuere: variantur enim officia perſonis, temporibus, ætatibus, rerum natura, hominum moribus, locorum conſuetudine, rebus aliis prope innumerabilibus. Quam quidem varietatem uno aſpectu intueri, & comprehendere, hominis eſt acute, celeriterque diſpicientis. Nos neque acrius cernere nos quicquam putamus, neque id magnopere nunc quidem neceſſe eſſe arbitramur: ſatisfieri enim huic loco poſſe ſtatuimus, ſi præcipiemus, ut ea, quæ ſuperius memorata ſunt, retinere velint. Sunt autem duo: unum, ut amicorum obſequio, atque opera tum clementer, & benigne, tum etiam juſte, hoc eſt, congruenter utantur; alterum, ut ipſi minime ſint amari, minimeque difficiles, ac moroſi. In muneribus igitur aſſignandis, dandiſque negotiis, perſonarum ratio, & delectus habeatur,

Digitized by Google

tur, ut, ſiquid ſordidius tractandum inciderit, viliſſimo cuique mandetur; neque per homines nobiles, quod nonnulli perverſitate quadam adducti ſtudent, verrantur ædes, aut e tricliniis, conclavibuſve immunditiæ efferantur. Laborioſa ut ne imbecillis, neve ſubturpia quædam honeſtis, aut ludicra, & levia grandioribus natu imperentur. Nec enim Homerus Phœnicem Achillis juſſu pocula miniſtrantem facit, hominem ſenem, & gravem; ſed adoleſcentem, æqualemque ſuum Patroclum. Illud etiam præſtent, ut nihil omnino cuiquam majoris aut oneris imponatur, aut laboris, aut contentionis, niſi neceſſario, aut certe magna de cauſſa: præcipit enim humanitas, uti ne aliena ſollicitudine, & cura, præſertim quæ gravior ſit, tanquam animi cauſſa abutamur. Nam ii quoque, qui ſervi plane ſunt, ferre hæc graviter, ægreque pati ſolent:

Hæc heri immodeſtia coëgit, me qui hoc
Noctis a portu ingratis excitavit.
Nonne idem hoc luci me mittere potuit?

Ferramenta, & vectes, reliquumque inſtrumentum animale habuiſſe Dædalus dicitur; num igitur eum cenſemus, aut quæ ferræ eſſent opera, cælo mandare ſolitum? aut eam ipſam, cum moliendum tamen nihil eſſet, vetuiſſe quieſcere? Hunc igitur imitentur, ſitque imperium in amicos juſtum, & clemens. Qui vero acerbe ab amicis operas exigunt, qui ſemel, atque iterum ceſſantibus ſuccenſent atrociter, qui ſe ſe implacabiles, atque inexorabiles præbent, præterquam quod injuriam faciunt, non amicorum catervis ſe ſe ſtipatos eſſe cogitare debent, ſed hoſtium. Atque etiam eſt in ſermone, & convictu ſuperiorum comitas quædam, vel ſeveritas potius, ſed humanitate, & jucunditate condita, qua præditi qui fuerint, eos domeſtici amici quaſi parentes verebuntur, non autem ut tyrannos metuent, eoque etiam diligent. Omnes enim, quem metuunt, eundem oderunt. Verum plerique familiaritatem nimiam vitare dum volunt, quod apud eos, qui in conſuetudinem ſe ſe penitus immerſerint, retinere ſe dignitatem vix putant poſſe, contumaces ſunt, atque inhumani. Ac fuit omnino Dejoces quidam Medus, vir ſapiens in primis, qui cum propter juſtitiam, ut eſt apud Herodotum, rex eſſet conſtitutus, cum alia multa dicitur habuiſſe ſalutariter inſtituta, tum illud in primis, quod ad majeſtatem pertinet: quæcunque enim inciderent, tranſegiſſe per interpretem dicitur, ut Medorum audiret ipſe neminem. Neque cuiquam aſpiciendi ſui poteſtatem faceret: metuebat ſcilicet vir magnus invidiam; ægreque laturos ſentiebat cives ſuos, quicum pari dignitate tam multos annos vixiſſent, eum ipſum tanto ſibi honore præferri. Huic

igitur malo occurri ea ratione putavit poſſe, ſi ſe ſe non familiaritati modo, ſed etiam oculis civium ſubtraxiſſet: fore enim, ut paullatim ab ea, quam de ſe cogitationem habere ſoliti eſſent, deſuefacti majus quiddam animo conciperent, & mente. Sic eſt enim omnino: nam quæ incognita, intractataque habemus, ea majora plerunque animo nobis fingimus, & ſuſpicamur eſſe. Neque vero ego is ſum; qui ſuperioribus id præcipiam, ut ſe ſe inferioris ordinis amicis, quaſi germanis fratribus, patefaciant, ac nudent: ſit hoc ſimplicis, ſinceræque amicitiæ proprium. Sed ut hoc non probarim, ita auſteros, triſteſque, & duros eſſe eos nolim. Recte autem Dejoces, ut in barbaris quidem, dominationeque nova; quamquam multa eum ſequuta eſſe incommoda neceſſe eſt, in primiſque illud, quod æqualium, quod ſuorum, quod civium denique conſuetudine, & conſpectu caruit. Dignitatem igitur Potentes retineant, ſed bono modo; audiantque, negotiis curiſque vacui, domeſticos amicos; & quidem humaniter, benigneque reſpondeant; interdum etiam ultro ipſi appellent; familiariter quoque garriant, denique ſe ſe ad lenitatem, ut intelligant homines tenues, non tam ſerviliter ſe tractari: eſt enim hominis natura minime dominationis patiens; quo magis ſervitutis, ac famulatus ſpecies, quæ ut in ſuis appareat, de induſtria quidam efficere ſolent, occultanda eſt, atque opprimenda. Sed eſt etiam in nonnullis malitia quadam ſimulata comitas, qui, quo diutius amicorum operis fruantur, gratis homines miſeros, atque abjectos ſpe producunt, & clementiæ, bonitatiſque ſimulatione lactant, ut annorum multorum labores una cum blanda appellatione compenſentur. Tollatur igitur meretricius hic mos; malitiaque, & fraus non ex hac conſuetudine ſolum, ſed e tota vita pellatur. Nec, pecunia fraudare quempiam ſi turpe putamus, vitæ, atque ætatis alienæ fructus intercipere, fruſtrarique per bonitatis ſpeciem homines vel amicos, vel certe familiares, tenues quidem, atque inopes, rectum, honeſtumque cenſeamus. Callida eſt etiam, malitioſaque eorum interpretatio, qui, quod tenuibus amicis non injuſte, aut graviter imperarint, quodque in eos ingenio leni, & clementi ſint, vigilias, labores, curas, pericula, damna omnia diſſoluta illis eſſe exiſtiment, affatimque ſatisfactum autument; quaſi vero id initio ſpectatum ſit, ut obſequium obſequio, ac non pecuniæ fructu, atque emolumentis compenſaretur. Neque enim citharœdum, in epulis qui caneret, iidem ſi conduxerint, atque is ubi poſtridie mercedem exigat, aſſidere hominem jubeant, audireque ſe viciſſim vel modulatius canentes, non injuſti ſint? Non enim commodata oblectatio eſt, eandem ut reponere æquum ſit, ſed quaſi vendita. Quomodo autem Superiorum in-

incommoda, & contumelias inopes perpeti decet, neque id patienter ſolum, ſed etiam demiſſe; ita viciſſim, ſiquid offenſum ab inferioribus forte ſit, ſiquid repertum vel in natura eſt, vel in moribus vitii, æquo animo, tolerabiliterque ferre id Superiores debent. Quam enim difficile ſit, ad alienum arbitrium, ſenſumque viventem, ut cum dicta, tum facta, tum ipſe mediusfidius motus, geſtuſque ad alienam voluntatem dirigatur, nihil offendere, nuſquam incurrere, ex eo intelligere licet, quod ne ad noſtrum quidem judicium, ad libidinemque cum vivimus, facile nobismet ipſis ſatisfacere ſolemus. Provideant igitur, ne, ſiquid aut quotidiano in miniſterio minus apte, minusve eleganter forte ceciderit, aut in rebus mandatis gerendis non exquiſitam quandam ſolertiam, induſtriam, diligentiam, celeritatem præſtiterint tenues amici, continuo exeandeſcant, atque efferantur iracundia, quod faciunt quidam, & ſane furenter, & ſæpe: nihil eſt enim facilius, quam per alium efficere, quod velis, qua id ratione commodiſſime fieri poſſit, optantem cogitatione deſignare; ſed facientes multa impediunt, multa interturbant, & retrahunt. Quamobrem cum indulgere potentes inopum peccatis æquum eſt, tum ſe ſe ipſos excutere, perſcrutarique decet, ne, ſiquid forte in animo mendi latuerit, quam ipſi culpam ſuſtinere debent, eam amicis attribuant: ſæpe enim uſu venit, ut Superiorum inconſtantia, perverſitate, feſtinatione, iracundia, levitate bene, ac prudenter inſtitutæ, procuratæque res, accuratæque, ac diligenter adminiſtratæ conturbentur, ſecuſque cadant. Ex quo illud e vetere comœdia:

Quam arduum, Dii boni, negotium eſt,
Dementi hero cum ſervitutem ſervias.

Caveant igitur hoc quoque; neque in amicos ſtomachum erumpant, cum irati ſibimet ipſis eſſe debeant. Quoniam autem non benevolentia, neque caritate adducti, ſed præmiorum illecti ſpe, quemadmodum antea quoque dictum eſt, ad hanc conjunctionem accedunt; procurandum eſt, ut, qui ſuas partes diligenter, accurateque peregerint, qui obſervantiam, & ſedulitatem, fidemque, & ſolertiam præſtiterint, ne laborum ſuorum præmio, ac mercede fraudentur. Ac quo modo ad inferiorum quidem officium pertinet, ut ne quicquam acerbius exigere videantur, neque potentem amicum flagitent, neve urgeant, ſed tantum admoneant, & rogent, idque verecunde (longe enim ab obſequio, atque obſervantia recedit, qui ad ſummam illam rationem, ac veritatem jus ſuum perſequitur; eamque ob cauſſam indigne parentes ferre ſolent, cum a liberis in judicium vocantur: exæquari enim cum iis ſe nolunt) ſic hæſitantis eſt, atque adeo injuriam cogitantis,

cunctari, expectareque, dum admonearis, ut, quod debeas, diſſolvas: eſt enim plane debitum, ne forte errent, ut, quorum vita in noſtris commodis conſumitur, eos remuneremus. Non igitur beneficium ſe ſe dare arbitrentur, neque in gratiæ loco potentes, atque opulenti ponant, cum bene de ſe meritos tenues amicos facultatibus augent, ac locupletant; ſed ita exiſtiment, obſequii ſe, atque obſervantiæ præmium ſolvere juſtum quidem, ac debitum: quaque ipſi menſura operas, induſtriamque ab illis exegerunt, eadem retribuant mercedem, imitenturque terræ, agrorumque conſuetudinem, qui, a quibus diligentius coluntur, ac laborioſius, iis uberiores fructus ferunt: præterquam enim quod officio facient ſatis, utilitati etiam conſulent; grati enim habebuntur, ac benefici; atque ea re omnium erga ſe voluntates, ſtudiaque amicorum excitabunt, ut ſumma alacritate, ſummaque contentione adſint, obſequantur, obtemperent. Illud etiam ſummopere vitandum eſt, in quod plerique ſolent incurrere, ut domeſticis, familiaribuſque amicis male ne ſit, neve cibaria reſtricte nimium dent, ne viliſſima quæque, & contemtiſſima conſectentur, ne algeant, ne eſuriant: nam id quoque in mercedis, non in gratiæ loco ponendum eſt, ut illi, ſua quiſque pro dignitate, alantur. Qui vero aut demenſum quaſi ſervis, exigue, ſordideque præbent; aut, ſiquis quid commiſerit, ſiquis uſpiam ceſſaverit, id cibo & potione ſubducenda vindicant, dupliciter reprehendendi ſunt: & quod illorum in ſe cum odia, tum etiam voces irritant, a quibus diligi, colique velint; & quod, per quos lautitiam, magnificentiamque oſtentari, elucereque volunt (nullam enim aliam ob cauſſam tantos ſuſcipiunt ſumtus) per eoſdem illorum ſordes, avaritiaque detegitur, atque effertur. Huc accedit, quod aſpere, avareque tractati, de potentis amici benignitate cum ſemel deſperarunt, in poſterum quoque eum contemnunt: itaque neque dant operam, ut illius ſibi gratiam concilient, &, ſiquam etiam collectam habent, dilabi facile patiuntur: neque enim gratis diligere, ac ne diligi quidem, niſi ex ea re ad ſe utilitas redeat, volunt. Itaque aut nulli, aut viliſſimus quiſque in officio eſt: utilitas enim, quæ hujuſmodi neceſſitudinem conſtituit, eadem tollit. Quamobrem ſua quoque intereſſe Potentes ſtatuere debent, ut quoad fieri poſſit, alacres, ſpeique bonæ plenos inferiores amicos habeant, amanteſque ſui, ultroque, ac libenter obſequentes. Id aſſequentur, ſi leniter, ſi humaniter utentur imperio, & ſi bene, benigneque merentibus fecerint. Nunc vero imitantur plerique civitatum quarundam leges, non ſapientiſſimas illas quidem, quæ pœnæ, ſuppliciique metu deterrere improbos ab injuſtitia tantum conantur; ſatiſque habent, ſi illud præſtiterint, uti facinoroſis inutile ſit pecca-

peccare, aut plane etiam ærumnoſum. Rectius autem eſt eas ſequi, quæ regiæ a Xenophonte appellantur: eæ enim efficiunt non modo, ut peccare inutile, perniciosumque ſit, ſed etiam, ut recte facere ſit fructuoſum, cum præmia bonis, fortibuſque proponant. Studeant igitur Potentes, ut voluntario amicorum obſequio utantur: ita enim demum potentia jucunda eſt, ſi in volentes eam exerceas. In invitos autem, ac repugnantes imperium iis dediſſe mihi Deus videtur, quos dignos judicavit, qui ita adfecti viverent, quemadmodum Tantalus, quem apud inferos ferunt ſemper ſecundæ mortis metu torqueri. Callidum eſt etiam quorundam, verſutumque conſilium, qui domeſticos inferiores amicos inter ſe congruentes metuunt, eoque in diſcordiis, diſſidiiſque in familia commovendis, odiiſque fovendis, atque alendis ſunt occupati: conſpiraturam enim in patremfamilias conſentientem domum ajunt, diſſidentem autem inter ſe cum eo conventuram. Qui ſi in improbos inciderunt, atque infideles amicos, quid eſt, cur cavere eos, quam coërcere, aut omnino iis carere malint? Sin probos, integroſque nacti ſunt, metuere nihil attinet. Qui autem eſſe poteſt diſcrepantium inter ſe amicorum uſus? Addiſcant igitur imperii gerendi rationem: neque enim facilis quædam res eſt, aut pervulgata; ac ſi verum quærimus, ne humanitatis quidem uſquequaque, ſed magna ex parte divinitatis. Verum ea doctrina ab alia quadam arte petenda eſt, quam qui tenebunt, næ illi facile præſtabunt, ut ab iis, qui inter ſe vel fraterne diligant, colantur ipſi, atque amentur plurimum. Ea tamen illud habet præceptum ſaluberrimum, quo jubentur, qui cum aliquo imperio ſunt, eorum quibus dominentur, voluntates, benevolentiamque collectam, & comparatam habere: nam & dominatio tutior eſt, ac munitior, & obtemperantium uſus tum fructuoſior, tum longe, multumque jucundior. Quo magis accuſandi ſunt, qui æternum cum familia ſua bellum ſuſceperunt; qui non modo ſuorum patrocinium non ſuſcipiunt, ſed etiam ipſi oppugnant, & quaſi adverſariis, atque inimicis, quibus poſſunt locis, incommodant; ac, quo quemque induſtriorem, fideliorемque experti ſunt, eo deprimunt magis, veriti ſcilicet, ne, ſi ſemel emerſerint, vel ad alium ſe conferant, vel rem ſuam agere velint. Rectius autem erat, quomodo veteres efficiebant, ut e ſervis ſibi libertos haberent eos, qui liberaliter ſervirent, ſic hos a mercenaria, & ſervili, ad gratuitam, & liberalem amicitiam illos evocare: neque vero rectius tantum, ſed etiam utilius. Quod eſt enim prædium, quæve poſſeſſio tam opima, tamque omnium fructuum ferax, & fertilis, quam amicus eſt? Quantum vero intereſſe putamus, per gratuitoſne amicos res noſtra, noſque ipſi curemur, an per hoſce,

in quibus amicitiæ ſimulacra vix ulla quidem apparent, amicitia vero ipſa plane longe abeſt? Etenim, qui vitæ ſuæ, velut uſuram, locant, ii, fieri non poteſt, quin laborum mercedulam, ſpemque dubiam utilitatis ſpectent, ſe ſeque reſpiciant, deque ſe unis anxii, ſollicitique ſint. Itaque, quomodo coloni, qui non ſuos, ſed de dominis conductos, fundos colunt, nec arbores ſerere, nec fundum inſtruere, nec vero villam ædificare, ornareve volunt, ſed eam modo culturam adhibent, quæ præſentes fruges, quam minimo fieri poſſit impendio, quam uberrimas habeat; ſic ii, quandiu quidem, tanquam operarii aliqui, deſerviunt, nulla re augeri, aut amplificari ſuperiores amicos ſtudent, neque dant operam, illi ne nudi, inaneſque ſint; ſed, ipſi ut quam breviſſimo temporis ſpatio quamplurimum auferant, in eo laborant. Ubi vero a quæſtu ad caritatem, atque amicitiam ingenuam illam, ac gratuitam traducti ſunt, jam, quaſi agrorum domini, non illud modo attendunt, quantum ex ea conjunctione uno illis, aut altero anno reficiatur, quantumque ex ea re capiant; ſed, uti nos ornatos, beneque cultos habeant, id vero curant, atque enituntur. Itaque, amore, ac benevolentia complexi nos, omnem laborem ſuſcipere, omneque adire periculum geſtiunt noſtra cauſſa, non ſecus quidem ac ſua; nec jam defatigantur, aut conquieſcunt, aut ſeparatim ſibi quicquam a nobis proſpiciunt. Quæ quidem amicitia, niſi ſuperbia humanitatem obterat, niſi hominis ponamus naturam, immanitatem autem belluarum induamus, ſua ipſa ſponte oriatur, atque aleſcat. Nihil eſt enim, quod homini accidere jucundius poſſit, quam hominis conſuetudo, præſertim congruentis; ut ſapientem quoque, qui hæc tractant, in ſolitudine beatum fore negent. Nihil eſt autem proclivius, quam ut, quorum jucunditate oblectemur maxime, ea diligamus, atque amemus plurimum. Magna præterea eſt convictus, & contubernii ad hominum animos benevolentia implicandos vis: nam beſtiarum quoque nonnullarum animadvertere deſiderium licet, cum ab iis eas diſtrahas, quibuſcum paſci conſueverint; ut, qui eum, cujus fidem experti ſunt, induſtriam probant, mores laudant, cujuſque benevolentiam, atque amorem erga ſe perſpectum, & cognitum habeant, non corde ament, neque cum eo opes ſuas æquabiles faciant, naturæ mihi vim adferre videantur humanæ.

F I N I S.

VITA
PETRI BEMBI,
GASPARIS CONTARENI,
ET
ALFONSI REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google



(1) PETRI CARDINALIS BEMBI VITA,

(2) *AUCTORE* JOANNE CASA.

Notis illuſtravit, & auxit Apoſtolus Zenus.

PETRUS BEMBUS (3) Venetiis natus eſt annis poſt Chriſtum ortum M. CCCC. LXX. (4) Patrem habuit Bernardum Bembum, (5) hominem cum vetere nobilitate, tum doctrina, tum etiam dignitate clariſſimum: nam res Venetum publica a certis nominatim familiis adminiſtratur: eæ claræ habentur: reliqui cives, quamquam ſunt eorum multæ amplæ, honeſtæque familiæ, neque genus ſuum magnopere extollunt, & in ſua quique rè gerenda occupati, civitatis procurationem fere non attingunt. Inter eas familias Bembi antiquiſſima ſtirpe orti, cum omni tempore in republica floruerint, ampli in pri-

Digitized by Google

mis, illuſtreſque numerantur. Erat præterea Bernardus ſuo etiam pri-
va-

1. Petri Bembi *vita*) *Petri Bembi* vitam, præter *Joannem Caſam*, enarravit etiam italice *Ludovicus Beccatellus*, patricius Bononienſis, Archiepiſcopus Raguſinus, & apud Venetos Nuncius Apoſtolicus. Vernaculo pariter ſermone circumfertur, ad *Bembi* hiſtorias in vernaculum ſermonem translatas edita, altera ipſius vita auctore anonymo, qui tamen in eam inſpexiſſe videtur, quam *Caſa* conſcripſit, unde præcipua quæque ſummatim excerpta. Hanc, minime fortaſſe aberrant, ſiqui *Carolo Gualterutio* Fanenſi, qui *Bembo* perfamiliaris fuit, adjudicant. Eandem quoque expoſuere *Franciſcus Sanſovinus*, ac *Andreas Thevet* Gallus, aliique multi; inter quos plura ſcitu digniſſima retulerunt *Benedictus Varchius*, & *Speronus Speronius*, uterque in funebri *Bembi* laudatione: alteram e ſuis typis Antonius-Franciſcus Donius anno 1552. evulgavit, altera una cum aliis *Speronii* orationibus omnium manibus teritur.

2. *Auctore* Joanne Caſa) *Bembo* familiariſſime uſus eſt *Caſa*. Satis utriuſque opera teſtantur, quanta inter ipſos intercederet neceſſitudo, quæ alterum alteri primum Patavii conjunxit anno 1528. cum *Caſa* una cum *Beccatello* illuc profectus eſt, ut græcas literas a clariſſimis illius ætatis doctoribus diſceret. Id tradit *Antonius Gigas* Foroſempronienſis, qui *Beccatelli* fuit ab epiſtolis, in ejuſdem *Beccatelli* vita, cujus exemplum debeo humaniſſimo æque, ac eruditiſſimo viro *Joanni-Joſepho Urſio*. Ipſa *Gigantis* verba juvat hic exſcribere, cum præcipue quædam de *Caſæ* vita eadem illuſtrent, quæ clariora fieri optavit etiam vir literarum laude clariſſimus *Joannes-Baptiſta* Abbas *Caſottus* Pratenſis in *Caſæ* vita. Cum enim *Gigas* enarraſſet, filio eſſe obſecutum *Beccatelli* patrem, ut juris ſcientia dimiſſa, græcis, latiniſque literis operam daret, hæc ſubjicit: *Da così deſiderata riſpoſta preſo animo Lodovico, e ſollevato da lui* (a patre videlicet) *non ſolo col conſenſo datogli, ma con denari ancora, in compagnia di* Giovanni (*Joannes Caſa* hic erat, quem Bononiæ condiſcipulum habuerat) *e d' alcuni altri ſen' andò a Padova, ove appena arrivato cominciò ad attendere alla lingua greca, trovandoſi nell' età di* 27. *anni*, (4. Kal. Februarias anno 1501. Bononiæ in lucem editus *Beccatellus*) *e ivi fece ſtretta amicizia con* PIETRO BEMBO, Trifon Gabrielli, Benedetto Lampridio, *e con altri huomini dotti, ed eccellenti*.

3. Petrus Bembus *Venetiis natus eſt anno poſt Chriſtum ortum* 1470.) Dies *Bembi* natalis incidit in 13. Kalendas Junias. *Beccatellus*.

4. *Patrem habuit* Bernardum Bembum) Matrem autem *Helenam Marcellam*, pari familiæ ſplendore, ac vetuſtate. *Beccatellus*, *Gualterutius*, *Sanſovinus*, & infra etiam ipſe *Caſa*.

5. *Hominem cum vetere nobilitate, tum doctrina, tum etiam dignitate clariſſimum*) Doctoratus laurea, equeſtri gradu, & ſenatorio ordine inſignis *Bernardus* fuit. Plura ſcripſit, quamvis pauciſſima typis vulgata ſint. Inter *Sabellici* epiſtolas libro 9. una occurrit a *Bernardo* conſcripta; una vero, atque altera ad *Petrum Barotium*, Patavinum Epiſcopum, datæ inter eas, quæ *Petri* filii ſunt ad Familiares lib. 2. In *Petrarcha Redivivo Tomaſini* pag. 27. exſtat breve *Bernardi* præloquium ad duos *Franciſci Petrarchæ* libros, quos *de Vita ſolitaria* inſcripſit. Refert *Jovius* in Elogiis epigramma a *Bernardo* confectum, & Ravennæ ſepulcro Dantis inſcriptum. Codex eſt manu exaratus apud *Hieronymum Baruffaldum*, virum doctiſſimum, cui titulus, *Bernardi Bembi orationes anno* 1487. quarum unam me vidiſſe memini *in funere Bertholdi Marchionis Eſtenſis pro dominio Venetorum imperatoris in Turcas*. Inter meos codices pariter manu exaratos commentarius latinus ſervatur de itinere, quod Romam anno 1504. *Bernardus Bembus* habuit una cum ſeptem aliis pari nobilitate viris ad Julium II. novum Pontificem legatus, qui tamen commentarius ad finem minime perducitur, quod eum, puto, auctor non abſolvit. *Bernardi Bembi* plurimi cum laude meminerunt ejus ætatis clariſſimi viri, *Politianus* in epigrammatis; *Sabellicus* in epiſtolis, & decadibus; *Carmelita* in poematis, præcipue vero *Marſilius Ficinus* iterum iterumque pluribus epiſtolarum ſuarum locis, ubi ſæpius id jactat, quod vivere ſibi temporibus iis obtigerit, quibus tantum virum licuit præſentem intueri. Domi, foriſque præcipuos magiſtratus *Bernardus* geſſit, quorum aliqua infra incidet mentio. Ad plures abiit menſe Junio anno 1519. annos natus 85. menſes 6. quod manifeſtum eſt ex quibuſdam *Petri* filii epiſtolis, atque ex conſolatoria de patris morte, quam eidem *Petro* dedit 3. non. Julias anno 1519. vir doctiſſimus *Nicolaus Delphinus*, Patricius Venetus. Hanc ipſe oſtendi in quodam meorum codicum mss. qui carmina italica præſtantiſſimorum decimi ſexti ſeculi virorum continet.

vatim nomine ; propter juris ſcientiam , qua plurimum excellebat , apud civitatem multum admodum gratioſus ; & propter ſummam prudentiam , multiplicemque rerum uſum , propterque vitæ gravitatem , magna in homine erat auctoritas. (1) Hic cum a ſua civitate ad populum Florentinum legaretur , qua in legatione obeunda biennium domo abeſſe Venetorum legibus cogeretur , faciendum ſibi eſſe exiſtimavit , ut Petrum filium , quamquam admodum is tum puer erat , ſecum educeret ; propterea quod Florentinorum inſtituta parum a Venetorum moribus illo tempore abeſſent : nondum enim ſub unius dominatione illorum erat respublica , ſed nobilitatis fere arbitrio regebatur ; & , quod ea civitas præſtare ingeniis creditur , acui puerum , in quo jam tunc præclara indoles eluceſceret , volebat : tum italicam linguam , qua non elegantiſſime Veneti , illis præſertim temporibus , uterentur , (2) emendari in illo , Florentinorum hominum conſuetudine , exiſtimabat poſſe : nam omnium Italiæ nationum commodiſſime eam loqui civitatem autumant. Nec vero patris conſilium filii feſellit induſtria : ſic enim excitatum puerile Bembi ingenium Florentiæ

H 2 eſt ;

1. *Hic* (Bernardus) *cum a ſua civitate ad populum Florentinum legaretur*) Una cum *Joanne Emo* a Veneta ad Florentinam rempublicam orator *Bernardus* miſſus eſt ob eas cauſſas , quas retulit *Scipio Ammiratus* Hiſtoriæ Florentinæ parte 2. pag. 124. Itaque *Petrus* cum patrem Florentiam proficiſcentem eſt proſecutus , annos tantum octo natus erat : jure hic itaque vocatur *admodum puer*. Proderit id modo animadvertiſſe .

2. *Emendari in illo , Florentinorum hominum conſuetudine , exiſtimabat poſſe*) Plurimum *Bembi* ſtudio , ac literis noſtratem linguam debere , ne Florentini quidem , qui ejus doctores merito habentur , inficiari audent. Uno id ore confitentur *Salviatus* , *Gellius* , *Varchius* , *Lenzonius* , aliique permulti. Verum , ut *Bembi* laudem ad ſuos derivent , eum ajunt omnes etruſci ſermonis veneres aſſecutum biennio illo , quo cum patre eſt Florentiæ commoratus . Aliter tamen ſentient , ſiqui ſecum reputabunt , decennem adhuc *Bembum* Florentia diſceſſiſſe , qua ætate puer non certas ſermonis leges , non nativos , non ſoris quæſitos orationis colores ſatis intelligere , quantumvis acri ingenio , poterat. Accedit , quod id temporis & apud Etruſcos informis omnino , & exlex orthographia , eaque erat loquendi , ſcribendique ratio , ut ex ejus ævi ſcriptoribus ſatis patet , quæ multum abeſſet ab illa , ob quam in honore adhuc eſt ſeculum 14. ſanitate ; quamvis *Laurentii Medices* potiſſimum , & *Politiani* , paucorumque aliorum opera iterum priſtinas vires ſumere videretur : quorum tamen auctorum ſcripta , haud illa quidem ita multa , aliquando illius ſeculi barbariem redolent , & fluunt lutulenta . Tanti propterea *Bembo* italicam linguam , quanti ſtetiſſe latinam , puto . Utramque non audiendis hominibus , ſed doctorum virorum monumentis legendis didicit : utramque ex puriſſimis hauſit fontibus : utramque aſſidua cura , acerrimoque judicio a ſordibus purgatam , priorique decori reſtitutam , certiſque legibus firmatam , & ipſe adhibuit , & aliis adhibendam tradidit , ut merito utriuſque parens , & magiſter , ſi ejus tempora reſpiciamus , dici & haberi debeat. Plura cum apud *Varchium* , tum apud *Speronium* legito , oratione in *Bembi* funere , omnia iis conſona , quæ hic apud *Caſam* occurrunt . Attamen ne ipſe quidem diffiteor , plurimum *Bembo* , quamvis admodum puero , profuiſſe , quod inter Florentinos per duos integros annos verſatus ſit , ut ſi minus ſcriberet emendate , quod per ætatem conſequi haud licebat ; at ſaltem caſtigatior in loquendo eſſet , quam ſi per illud tempus aut domi ſuæ , aut ubivis extra Etruriæ fines degiſſet.

Digitized by Google

eſt; ſic teneræ pueri aures, animuſque puro, ac dulci illo Etruſcorum ſermone imbutus, ut jam inde a prima adoleſcentia, multa cum latine, tum vero thuſce a ſe ſcripta ediderit, quibus nihil hominum auribus politius, nihil omnino elegantius, aut ſuavius accidere poſſit. (1) Jacebat omnino temporibus illis eloquentia: inquinate enim loquebantur; (2) nullus erat verborum delectus, nullum ſcriptorum diſcrimen; nam & ipſe negligebatur Cicero, vel contemtui potius erat; & Cæſarem propter hiſtoriam modo curſim, & negligenter legebant; Terentium, Virgilium, bonos cæteros in ludo tantum, idque perpauci, ediſcebant: poſt puerilem illam diſciplinam ſumebat eos in manus nemo: duros, obſcuros, aſperos ſcriptores adamabant; conſectabanturque abditas, abſtruſaſque hiſtorias, aut fabulas: qui iis ineptiis referti eſſent auctores, ii eruditi numerabantur: itaque unus Ovidius de veteribus in honore erat. (3) Ergo, ſi verum quærimus, nihil ante Bembi ætatem latine ſcriptum octingentis ipſis annis, aut eo amplius eſt, quod Romam illam veterem redoleat, aut magnopere lectione dignum ſit: ſolœciſmum enim vitabant, quantum quidem ex arte grammatica didicerant, idque ipſum audquaquam ſemper: id unum præſtare qui poterant, latine loqui ſe ſe putabant: nulli, qui purus ille, incorruptuſque veterum Romanorum ſermo eſſet, noverant, ac ne ſuſpicabantur quidem. Par erat, atque idem eorum error, qui italice ſcribebant, qui cum duos haberent ſcriptores, mea quidem ſententia, vel cum Latinis, vel cum Græcis conferendos: nam alterius verſus & ſuavitatis plurimum habent, & dignitatis,

1. *Jacebat omnino temporibus illis, &c.*) Iiſdem coloribus jacentis, ac pene demortuæ latinitatis ſtatum expreſſit laudatus *Speronius*.

2. *Nullus erat verborum delectus, &c.*) In eandem ſententiam locutus eloquentiſſimus vir *Marcus-Antonius Muretus* 2. voluminis *oratione* 16. *Cum poſt reſtitutas a Medicea potiſſimum familia literas, infinita quædam vis exſtiterit hominum in omni genere eruditorum, cumque & noſtra, & patrum memoria homines ſummis ingeniis præditi tam multam in latine loquendi ſtudio operam poſuerint, ut id unum prope operis habere viderentur; pauciſſimi tamen, quorum ſcripta, non dico ſermonis vitiis careant, nam hoc quidem illorum nemini contigit, ſed aliquam ſaltem priſcæ illius, & maturæ latinitatis imaginem contineant, exſtiterunt. Ut Græci proverbio dicunt*, multos eſſe, qui thyrſum ferant, ſed paucos Bacchos; *ita multorum falſa quadam latini ſermonis ſpecie inducta, & oblita oratio eſt: paucorum latina. Duo in Italia ſummi viri duces cæteris ad hanc laudem capeſſendam, & quaſi anteſignani fuerunt*, Jacobus Sadoletus, & Petrus Bembus, *qui etiam propter ejuſdem ſtudii ſimilitudinem* Chriſtophorum Longolium *Belgam in deliciis prope, atque in amoribus habuerunt*.

3. *Ergo ſi verum quærimus, &c.*) Idem eſt *Danielis Heinſii* de *Bembo* judicium oratione 19. pag. 217. edit. Amſtelod. 1657. quod ſcilicet *ſolus prope ea tempeſtate latine ſcriberet, & quod proprium tum Italorum erat, puram ac ingenuam, nec calamiſtris ullis, aut pigmentis infuſcatam, atque inuſtam excluderet orationem*. Tantam autem ex hac linguarum italicæ, ac latinæ reconditiori ſcientia *Bembus* voluptatem capiebat, ut *Speronius* dialogo de linguis pag. 103. ubi illum cum *Bonamico*, aliiſque colloquentem inducit, ejus ore ſenſuque aſſerat, ſe, quantum linguarum notitia valebat, cum Mantuano marchionatu minime commutaturum.

tis, & variis ingenii, aut etiam artis luminibus referti ſunt, & animum ſæpe permovent, atque impellunt, ut de amore ne Græcus quidem quiſquam melius; alterius oratio dulcis, copioſa, polita, ornata, mollis, faceta, rem ante oculos ponens, ut geri ea, quæ legas, non narrari videantur. Hos cum haberent auctores duos, utrumque in ſuo maxime genere excellentem, ſcribebant ipſi inepte, abjectiſſimis verbis; nullus erat orationis ornatus, nullæ homine erudito dignæ ſententiæ, nulla compoſitionis, aut numerorum ratio: licet in manus ſumere, quæ tunc multi ſcriptitarunt, (1) præter unum Politianum, illumque ipſum minus dulcem, minus omnino elegantem, quam ut legiſſe Petrarchæ lectiſſimos verſus videatur; cæteros ad unum indignos dicas, qui in ſcriptorum numero habeantur: unum ſcurrile vigebat genus: in eo ſane ridiculi nonnulli, ſed ipſi quoque multis in locis inertes, ac languidi. Hanc igitur inter erroris, atque inſcitiæ caliginem Bembus ad veterum ſcriptorum tanquam lumen, ac lucem (2) reſpexit primus; primuſque ab hominibus, magnis quidem hortationibus, magno ſuo labore, multis reclamantibus, ac repugnantibus, impetravit, ut Ciceronis, ut Virgilii, ut Cæſaris ſimiles ſe ſe in dicendo, quam Apuleji, Macrobii, Statiique eſſe mallent, cum contenderet, oportere, qui ſcriberent, eam dicendi formam, quæ optima eſſet, habere animo, & cogitatione comprehenſam; ad eam tanquam ad exemplum aliquod orationem, ſcriptionemque ſuam dirigere; Demoſthene autem, aut Cicerone perfectius in dicendo aliquid promere ſe poſſe, qui profiterentur, ſua quidem ſententia nimium ſubire

one-

1. *Præter unum Politianum, &c.*) Caſtigatiſſimus in ſcribendo & latine, & italice *Politianus* fuit; quippe qui iis erat inſtructus ingenii viribus, ut regnantem per illa tempora barbariem totius Latii, totiuſque Italiæ finibus poſſet depellere. Minus tamen eum non *Caſa* ſolum, ſed alii quoque laudant, quod nullum ſibi ad imitandum optimum auctorem propoſuit. Haut ſemper itaque ita purus emendatuſque eſt, ut nihil deſiderandum reliquerit. *Scioppius* Diſſertatione *de Rhet. exercit. generibus* pag. 27. ita de illo judicat: *Ab hoc vitio non ſatis* Politianus *cavet, etſi id eum ingentibus virtutibus aliis redimere fatendum eſt*. Eadem tradidere *Gyraldus* Dialogo *de poet. noſtr. temporum*; *Paullus Corteſius* epiſtola *de imit. Julius-Cæſar Scaliger* 6. *Poeticæ* libro, atque alii. Quin *Politianus* ipſe ſtylum unice ſuum, ingeniumque nulli addictum videtur jactare lib. 1. epiſt. 1. his verbis: *Eſt autem omnino ſtylus epiſtolarum mearum ipſe ſibi diſpar: quo nomine multum quoque, ſcio, reprehendar. Nam nec eadem mihi ſemper voluntas; nec idem cuique vel perſonæ, vel materiæ congruebat*.

2. *Reſpexit primus*) Ita *Varchius* in *Herculano* pag. 24. PRIMO *il Bembo di tutti oſſervando le regole della gramatica, e mettendo in opera gli ammaeſtramenti del bene, e artifizioſamente ſcrivere, l'imitò* (Petrarcham ſcilicet) *daddovero, e raſſomigliandoſi a lui, moſtrò la piana, e diritta via del leggiadramente, e lodevolmente comporre nella lingua fiorentina*. Carolus autem *Lenzonius* Florentinus in *Defenſione fiorentinæ linguæ* pag. 140. *A tempi noſtri* PRIMO *di tutti gli altri, per quanto io ne ſappia, è ſtato il Reverendiſſ.* Bembo, *ed aſſai copioſamente di non Toſcano: avvegnachè più per forza di precetti latini, e greci, che per bontà di orecchio, per quanto ſi può giudicare dalle ſue* Proſe.

oneris, nimium ſuis fidere viribus, quorum etiam jam olim errore, ac temeritate factum eſſe exiſtimabat, ut malos multos ſcriptores haberemus: nam, cum nonnulli a Cicerone diſcedere, ſuique plane eſſe vellent, cum aliter, atque ille, dicere ſtuderent, quoniam is perfectus, abſolutuſque eſſet, deterius dicere cogebantur. Hæc Bembus cum dictitaret, cumque etiam literis mandaret, ægre ille quidem, ſed multis tandem perſuaſit, ſpretos, ac repudiatos antea ſcriptores optimos illos repeterent, propoſitoſque ſibi ad imitandum haberent. (1) Quo quidem Bembi labore, quibuſque præceptis, quantum eloquentia adaucta ſit, cuivis facile eſt noſcere, ſi ea, quæ ante hanc illius diſciplinam ſcripta ſunt, cum hujus ætatis ſcriptoribus conferantur. (2) Ea obita legatione domum Bembus cum patre rediit, jam bonarum artium ſtudiis incenſus, jam eloquentiæ, ac ſcribendi ma-

1. *Quo quidem* Bembi *labore*) Favet *Bembi* laudibus, *Caſæque* judicio *Daniel-Georgius Morhofius* in *Polyſtor. literar.* lib. 1. cap. 23. n. 38. pag. 367. *Magni faciendus itaque is auctor eſt ob honorificum adeo teſtimonium* Jo. Caſæ, *qui romanæ linguæ peritiſſimus fuit, ut hodieque ejus ſcripta, ut ut pauca, magni æſtimentur Italis.*

2. *Ea obita legatione domum* Bembus *cum patre rediit*) Vertebat tum annus 1480. Statim eum pater *Joanni-Alexandro Urticio* in diſciplinam tradidit. Ab hoc latinam linguam *Petrus* didicit, excitatuſque eſt, ut græcæ operam daret, cujus conſilii pater quoque auctor fuerat, optimæ filii inſtitutioni intentus. Itaque, poſt duodecim annorum ſtudium, ſtatuit Meſſanam in Siciliam proficiſci, ubi eam publice, magnoque cum honore clariſſimus *Conſtantinus Laſcaris* Byzantius profitebatur. Iis literis, quas eidem *Urticio* magiſtro *Bembus* dedit ex Noniano ſuo 4. Kal. Apr. 1492. cum omnia jam ad iter paraverat, quod inſequente luce ſuſcepturus erat, hæc ſcribit unius adhuc famæ teſtimonio nota: *Eſt in Sicilia Meſſanæ* Conſtantinus Laſcaris, *vir non modo Græcus, ſed etiam Byzantius; quæ quidem urbs ſola ex univerſa Græcia retinere probitatem illam Atticam antiqui ſermonis, in qua reſidet adhuc quidem ejus linguæ probitas, plane dicitur. Eaque in urbe ludum aperuit, exercuitque multos jam annos, & caſte, nec ſine dignitate. Is valde omnium hominum ſermone laudatur. Scripſit de primis grammatices elementis librum ad inſtituendos pueros, qui habetur, & legitur, &c.* Hoc de Græcorum grammatica *Conſtantini Laſcaris* opus, quod toties typis editum eſt, prima eſt græco-latina prælorum fetura: prodiit autem Mediolani in folio anno 1480. ad cujus editionis calcem hæc habentur: *Hoc divinum opus impreſſum eſt Mediolani in Kalendas Octobres* 1480. *& interpretatum per venerabilem virum utriuſque linguæ doctiſſimum, ac optimum* Joannem *Monachum Placentinum*: cujus interpretis opera, ac ſtudio pariter Mediolani anno inſequente vulgatum eſt in folio *Pſalterium Davidicum*, ab eodem latine verſum. Hic *Joannes Monachus Placentinus* idem eſt, aut ego fallor, ac *Joannes Craſtonus* Placentinus, inſtituto Carmelita, qui Venetiis in lucem emiſit anno 1497. *Lexicon* græcum, cujus, quamquam haud magna cum laude, meminit Epiſtola *de ſuæ typographiæ ſtatu Henricus Stephanus*. Hic autem de Græcorum arte grammatica *Laſcaris* liber (id liceat obiter innuere, quoniam ſermo de illo eſt) primus omnium ex Aldi ſenioris typographia prodiit *Venetiis* 1495. *octavo Martii* in 4. Porro typographus lectores allocutus, ideo inquit, ſe opus illud emittere, ut eſſet *quoddam quaſi præludium ſummis noſtris laboribus, & impenſis, tantoque apparatui ad imprimenda græca volumina omnis generis, &c.* Id etiam inſcitius aſſerit, nimirum editionem priorem (Mediolanenſem ſcilicet) longe pluribus mendis ſcatere, cum eam ipſe *Laſcaris* emendaſſet *in locis circiter centum, & quinquaginta*. Subjicit vero deinde: ejuſdem exemplum, *emendatum manu ipſius* Conſtantini, *nobis dedere commodo* Petrus Bembus, & Angelus Gabriel, *Patricii Veneti adeo nobiles, præſtantique ingenio juvenes, qui nuper in inſula Sicilia græcas literas ab ipſo* Laſcari *didicerunt, & nunc Patavii incumbunt una liberalibus diſciplinis.*

Digitized by Google

magno quodam amore flagrans. (1) Itaque in Siciliam uſque ad Conſtantinum Laſcarem græcarum literarum cauſſa profectus, (2) trienniumque ibi commoratus eſt; tantumque ingenio, labore, aſſiduitate profecit, ut græce non modo optime ſciret, ſed etiam polite, luculenterque ſcriberet: (3) atque in Sicilia cum eſſet, latine de Ætnæ incendiis ſcripſit (4) ad Angelum Gabrielem: qui liber ab eo editus in

1. *Itaque in Siciliam*) Eodem anno 3. Kal. Apriles Venetiis per Clodiam iter Siciliam verſus ingreſſus eſt, unaque *Angelus Gabrielius*, qui idem conſilium ob eorundem ſtudiorum communionem inierat. Terreſtri itinere Neapolim pervenit, unde Meſſanam trajecturus naviculam conſcendit, ac ſatis moleſta decem dierum navigatione tandem Meſſanam tenuit 4. non. Majas. De itineris ratione adventuque ſuo, quaque comitate a *Laſcari* ſit exceptus, *Bernardum* patrem certiorem fecit, datis Meſſanæ literis 3. Kal. Junias (*Familiar. lib. 1. epiſt. 4.*) *Itaque naviculam nacti, decimo die Siciliam tetigimus nauſeantes: ſed abſterſit nobis omnem moleſtiam* Conſtantini Laſcaris *humaniſſima congreſſio, qui nos excepit libentiſſime, & liberaliter eſt pollicitus: idque res præſtat. Erudimur enim mira ipſius diligentia, tum amore prope paterno. Omnino nihil illo ſene humanius, nihil ſanctius: reliqua etiam omnia ex ſententia.*

2. *Trienniumque ibi commoratus eſt*. Meſſanæ annos paullo amplius duos commoratus eſt. Ipſe ad *Joannem-Baptiſtam Statum*, qui ex *Juliani*, Sancti Petri ad Vincula Cardinalis, familia erat, 22. Kalend. Octobr. 1494. Venetiis de itinere Sicilienſi, deque ſuo in patriam reditu literas (*Familiar. lib. 1. epiſt. 9.*) dedit: *Poſt primos dies, quos totos dedimus ſalutationibus, congreſſibuſque amicorum, ego Patavium conceſſi, inde in Nonianum, &c.* Rationem igitur ini a quarto ante nonas Majas anni 1492. ad menſem Septembrem anni 1494. quo clarum eſt, eum Venetiis fuiſſe, duos annos cum quatuor circiter menſibus excurriſſe comperies.

3. *Atque in Sicilia cum eſſet, latine de Ætnæ incendiis ſcripſit*) Hoc vere operum primum, quæ *Bembus* in lucem edidit: edidit autem anno eodem, quo Meſſana in patriam reverterat, ita inſcriptum: *Petri Bembi de Ætna ad Angelum Gabrielem liber*. Hæc porro extremo operi nota apponitur: *Impreſſum Venetiis in ædibus Aldi Romani menſe Februario, Anno 1495. in 4.* Opus hoc omnium ex latinis primum, mihi perſuaſum eſt, ex Aldinis typis prodiiſſe venuſtis characteribus ex eorum genere, quos *rotundos* vocant, deſcriptum. Probe errat *Hadrianus Baillet* in ſuo tractatu hiſtorico gallice conſcripto *des enfans celebres par leurs eſtudes* (*n.38. pag. 125.*) dum putat, *Bembum* duodeviceſimum annum geſſiſſe, cum opus hoc *de Ætna* confecit, licet alii hunc natum dicant duos & viginti annos, librariorum, aliorumve oſcitantia, aut inſcitia factum conjiciens ex quadam marginali nota, ut pro *duodeviginti*, *duo & viginti* ſcriberetur. Sed *Baillet* ipſum, non autem cæteros falli jam conſtat, cum *Bembus*, qui ad *Ætnam* ſuum ſcribendum aggreſſus eſt in Noniano poſt reditum e Sicilia, ante annum 1495. operi admovere manus nequaquam potuerit. Tum vero annum quintum & viceſimum, non autem duodeviceſimum agebat. Hæc omnia ſatis ejuſdem *Bembi* teſtimonio firmantur, qui ita neceſſarium ſuum *Gabrielium* alloquitur ea præfatione, qua librum ad ipſum mittit: *Nunc autem, quoniam iam quotidie fere accidit*, poſteaquam e Sicilia ego, & tu reverſi ſumus, *ut* de Ætnæ incendiis *interrogemur ab iis, quibus notum eſt illa nos ſatis diligenter inſpexiſſe, ut ea tandem moleſtia careremus, placuit mihi eum ſermonem conſcribere, quem cum* Bernardo *patre meo habui* paucis poſt diebus, *quam rediiſſemus: ad quem rejiciendi eſſent ii, qui nos deinceps quippiam* de Ætna *poſtularent. Itaque* confeci librum, *quo uterque noſtrum communiter uteretur. Nam cum eſſemus in* Noniano, *& pater ſe, ut ſolet, ante atrium in ripam* Pluvici *contuliſſet, acceſſi ad eum, &c.* Quod præterea ad *Bembi Ætnam* ſpectat, veriſſime a *Baillet* dictum fateor, præcocem hunc, & juvenilem fetum *Bembo* ipſi ingenio, & ætate maturo non ſatis probatum. Porro & ipſe *Caſa* infra narrat, eum *libellum illi poſtea ſeni non valde probatum fuiſſe*.

4. *Ad Angelum Gabrielem*) *Angelus* hic, *Silveſtri* filius, præſtantiſſimus Senator fuit, equeſtrique gradu, in obitarum ad exteros Principes legationum honorem, dona-

in manibus hominum eruditorum non ſine aliqua laude verſatur. Poſt eam peregrinationem celeriter Bembus aſſecutus eſt, ut maxima apud omnes Italiæ civitates, tum apud exteras etiam nationes, ejus eſſet ingenii admiratio: ita enim, uti res eſt, ſic homines ſtatuebant, perdifficile factu eſſe, unum atque eundem duabus linguis tam ſcite, tamque ornate, copioſeque uti poſſe; quodque pauci uno in ſermone unquam præſtiterunt, ut praeclare ſcriberent, id ab adoleſcente Bembo & in latina, & in italica oratione effici, omnibus, qui de iis ſtudiis aliquid judicare poſſent, permirum videri neceſſe erat: præſertim id ipſum in utraque lingua, & proſa oratione, & verſibus, id quod Ciceronem ipſum expertum, ſunt, qui negent aſſequi potuiſſe. Ac miramur profecto interdum, quid cauſſæ ſit, cur, cum oratori poeta maxime finitimus ſit, negent fieri poſſe, ut idem orator bonus, idem egregius poeta evadat; idque non hominum modo exiſtimatione, ſed etiam re ipſa comprobatum eſſe: nullos enim, aut certe perpaucos utramque facultatem adeptos videmus: ſed cum diuturno ſtudio, magniſque lucubrationibus utraque ars egeat, non ſuppetit ad utramque tempus, atque otium: & quoniam longa exercitatione, aſſiduoque uſu conſueſcimus aut oratorie dicere, quod vitio maxime datur verſus ſcribentibus, vel poetice, quod contra in proſæ orationis ſcriptoribus vitioſum in primis habendum eſt; ſiquis utrumque ſtudium copularit, atque conjunxerit, magnæ cujuſdam intelligentiæ, acriſque judicii eſt, præſtare alterum genus, ne incurrat in alterum. Præterea oratorum, poetarumque ingenia, atque naturæ contrariæ propemodum inter se ſint, oportet: hi enim ratione, atque humanitate reguntur; illos furoris afflatus, ac divinitas quædam impellit: atque omnino proximis, conjunctiſque in rebus facilior a recto declinatio, ac lapſus eſt, reprehenſio vero vel inſignior: creat enim errorem ſimilitudo; & cum variatum eſt, celeriter, propter rei ſimilis comparationem, ac propinquitatem, inverſio animadverſa internoſcitur, ac reprehenditur. Neque ii tamen nos ſumus, qui aut Ciceronis verſus valde improbandos exiſtimemus, aut Platonem, atque Æſchinem (utrumque enim verſus in adoleſcentia ſcriptitaſſe memoriæ proditum eſt)

donatus. Ejus eſt, quæ circumfertur, *oratio* edita Venetiis in 4. anno 1501. *in laudem Reverendiſſimi Cardinalis Baptiſtæ Zeni*; itemque *Libellus hoſpitalis munificentiæ Venetorum in excipienda Anna regina Hungariæ*, Venetiis per Bernardinum Venetum de Vitalibus 1502. in 4. Huic *Aldus* græcam *Laſcaris* grammaticam nuncupavit. Plura in epiſtolis & latinis, & italicis dat eidem *Bembus* benevolentiæ ſuæ honeſtiſſima teſtimonia. Ejuſdem etiam cum laude meminit *Marinus Becichemus* Scodrenſis prælectione in Plinium, aliique non pauci.

eſt) malos, contemtoſque fuiſſe poetas credamus. (1) Poſt Sicilienſem illam peregrinationem, (2) perpaucis interjectis annis, Ferrariam Bembus pater Prodominus miſſus eſt: eum magiſtratum, magnum in primis, atque honorificum, illis temporibus Veneti, virtute belli partum, victoriæque tanquam inſigne, gerebant in aliena civitate. Eo quoque cum patre filius exiit: ſicque eo in opido perdiu fuit, ut (3) cum ab omni juventute, ab omnique nobilitate plurimum coleretur, tum verò Herculi Eſtenſi, maximo, ac fortiſſimo viro, qui in ea civitate imperium obtineret, Lucretiæ Borgiæ, quam in matrimonio Alfonſus habebat, gratis in primis, acceptuſque eſſet. Per idem tempus, (4) cum annos natus eſſet aud amplius 26. (5) eos ſermones,

 qui

1. *Poſt Sicilienſem illam peregrinationem*) Priuſquam Ferrariam *Bembus* eundem patrem proſequeretur, per quatuor ab ejus e Sicilia reditu interjectos annos, aliquando Venetiis ſubſtitit, aliquando Patavium ſe ad philoſophiæ ſtudia recepit. Certum ſibi eſſe Patavium, ad operam philoſophiæ dandàm, concedere, *Stato* ſignificat ea, quam ſupra laudavimus, data epiſtola: *Caterum ne quid deſideres de ratione ſtudiorum noſtrorum, ſtatuimus uterque* (& *Gabrielium* indicat) Patavium *ſecedere*, & philoſophiæ *nos tradere, ſic tamen, ut ne omnino* poeticæ *nuncium remittamus, quæ me quidem mirabiliter delectat. Interea in comparanda græcorum librorum* bibliotheca *detinemur*. Quæ omnia ſe ex animi ſententia exſecutum, eidem *Stato* narrat, miſſa ad eum eodem anno Kal. Octobr. altera epiſtola (*Ibid. ep.* 10.) *Nos* Patavium *ſeceſſimus, quod tibi antea ſcripſeram facturos eſſe nos, ad otia literarum, præſertimque* philoſophiæ. Ducem ſibi, ac doctorem ad eam comparandam adhibuit celeberrimum *Nicolaum Leonicum Thomeum*. Qui autem fuerit ejus in rebus philoſophicis progreſſus, iis verbis dicam, quibus uſus *Varchius* in oratione, quam in *Bembi* funere habuit: *Ed in eſſa procedette tanto oltre, quanto e teſtifica lungamente nel principio del ſuo dottiſſimo dialogo dell' immortalità dell' anima Meſſer* Niccolò Leonico, *grandiſſimo, e pulitiſſimo filoſofo* ſuo precettore, *e dimoſtrano largamente tutte l'opere da lui compoſte, e c.*

2. *Perpaucis interjectis annis, Ferrariam* Bembus *pater Prodominus miſſus eſt*) Anno 1498. Ferrariam *Bembus* pater *Prodominus* profectus eſt, unaque *Bembus* filius, qui illinc quamplures dedit ad neceſſarios ſuos literas, pleraſque jam publici juris factas. Jucundiſſimo ſpectaculo adfuit feſtis bacchanaliorum diebus anno 1498. cum agerentur *Plautinæ Trinummus*, & *Pœnulus*, atque *Eunuchus Terentiana*; quarum hæc tanto omnium favore, & plauſu excepta eſt, ut ſemel atque iterum reponi debuerit. Id ſcribit *Bembus* (*Famil.* 1. *ep.* 18.) *Gabrielio* ſuo.

3. *Cum ab omni juventute; ab omnique nobilitate plurimum coleretur*) Inter cæteros, quos ſibi amicos *Bembus* Ferrariæ adſcivit, recenſet *Beccatellus* illam clariſſimorum, ac doctiſſimorum hominum trigam, *Herculem Strozzam*, *Antonium Tibaldeum*, & *Jacobum Sadoletum*; præterea *Alfonſum Ateſtinum*, *Herculis* ducis filium, qui patri deinde ſucceſſit. Addam ipſe philoſophum, ac medicum præſtantiſſimum *Nicolaum Leonicenum*, a quo etiam philoſophiam doctum eſſe, teſtatur ea, quæ viceſima ſeptima eſt inter epiſtolas Leonis X. nomine conſcriptas lib. 10. data Romæ 4. non. April. anno 4. qui incidit in annum æræ vulgaris 1516. *Te vero & amavi profecto omni tempore: nunc etiam* Petri Bembi *ſcribæ a latinis mei, qui te mirifice diligit*, & Ferrariæ *in* Prodominatu patris *ſui admodum adoleſcens cum eſſet, de tuo pleno fonte hauſiſſe ſe* præcepta philoſophiæ *dictat, rivulumque duxiſſe, &c.*

4. *Cum annos natus eſſet aud amplius* 26.) Major annis 27. erat *Bembus*, cum primum *Aſulanis* diſputationibus manum admovit. Supra enim vidimus, cum parente Ferrariam periiſſe ſub exitum anni 1496. id, quod conſtat etiam ex ejus epiſtola ad *Tryphonem Gabrielium*, quæ inter italicas poſtumas prima eſt libri 2. Volum. 2. Ita etiam *Beccatellus*: *E quivi d'anni 28. compoſe i ſuoi* Aſolani.

5. *Eos ſermones, qui* Aſulani *ab eo inſcripti ſunt, confecit*) Hos ſermones, quamquam *Ferrariæ* incepit, *Aceli* tamen aliquot poſt annos abſolvit, ibique habitos voluit credi: hinc illis nomen factum.

qui *Aſulani* ab eo inſcripti ſunt, confecit; opus omnium pigmentorum flore, atque colore diſtinctum: feminas omnino cum adoleſcentibus de amore loquentes amœniſſimis quibuſdam in hortis facit, ita lectiſſimis verbis feſtive, ac venuſte, ita ſententiis copioſe, atque ornate, nihil ut ejus oratione cum uberius, tum vero ſuavius, modulatiuſve eſſe poſſit. (1) Eos libros tanta hominum, mulierum etiam medius fidius approbatione, & tanquam plauſu exceptos, recentes eſſe meminimus, ut extemplo cuncta eos Italia cupidiſſime lectitarit, atque didicerit: ut non ſatis urbani, aut elegantes ii haberentur, quibus Aſulanæ illæ diſputationes eſſent incognitæ. (2) Erat per id tempus Urbini Guidus-Ubaldus Feltrius, vir maxime ſpectata, maximeque nobilitata virtute: is ſuæ civitatis tenebat imperium; atque cum eo Heliſabetha Franciſci Gonzagii, qui itidem civitati imperabat, ſoror, nupta erat: (3) cujus de mulieris laudibus mira quædam literarum monumentis cum ab aliis multis, tum etiam ab hoc ipſo Bembo mandata ſunt. Ac datum eſt profecto Urbinatum civitati, ut non ſuos domi modo principes omni genere laudis claros, atque inſignes habeat, ſed etiam ut ex alienis civitatibus mulieres, quas illi in matri-

ctum. Fuit *Acelum* quondam civitas epiſcopalis, nunc vero agri Tarviſini oppidum aud ignobile, omnibuſque opportunitatibus commendatiſſimum. Cypriæ reginæ *Catharinæ Corneliæ* civi ſuæ Senatus Venetus, cyprio ab eadem prius regno auctus, redeunti in Italiam dono dederat. Opus hoc elegantiſſimum *Bembus Lucretiæ Borgiæ*, Ferrarienſium ducis Alfonſi conjugi, dicavit, data Venetiis epiſtola Kal. Sextil. 1504. Prodiit autem primum Venetiis ex ædibus Aldi Romani anno 1505. menſe Martio in 4. Sæpius deinde editum. Gallice verſum prodiit cum illa epigraphe: *Les Azolains de Monſigneur* Pierre Bembo *de la nature d'amour, traduicte d'italien en françois par* Jean Martin *Secretaire de Monſigneur Cardinal de* Lenoncourt. *A Paris, pour Galiot du Pri*, 1556. in 8. In nuncupatoria ad Aurelianenſem ducem epiſtola, juſſu illius ait interpres, gallice a ſe redditum eſſe opus, quod de amore agit, non tam omnibus verborum ornamentis, quam excerptis undique ex morali philoſophia, & theologia doctrinis refertiſſimum.

1. *Eos libros tanta hominum, &c.*) Eadem iiſdem fere verbis refert *Beccatellus* in *Bembi* vita: *La qual' opra da tutta Italia con molto deſiderio fu veduta, e letta, e da quella cominciarono i ſvegliati ingegni a conſiderare, che coſa fuſſe regolatamente ſcrivere, e far rime veramente toſcane; che prima ſi facevano a caſo; nè era per letterato, e gentile ſtimato, chi detti libri letti non aveſſe*. Venetias *Bembus* rediit anno 1500.

2. *Erat per id tempus Urbini, &c.*) Editis jam ſermonibus *Aſulanis*, anno circiter 1506. ut certum eſt ex multis ejus epiſtolis tum italicis, tum latinis, Urbinum ſe *Bembus* contulit. Quæ cauſſæ animum ejus induxerint, ut aulam illam adiret, feliciſſimis tunc ingeniis, ob virtutem, & liberalitatem ducis tum regnantis, frequentem, *Beccatellus* luculenter exponit. Hunc conſule.

3. *Cujus de mulieris laudibus, &c.*) Opuſculum illum præfefert inſcriptionem: *De Guido-Ubaldo Feltrio, deque Eliſabetha Gonzagia Urbini ducibus liber*. In dialogi modum conſcriptum eſt, auctorque cum parente ſuo *Bernardo* ſermonem miſcet. Vulgatum eſt *Venetiis per Jo: Antonium, ejuſque fratres Sabios anno* 1530. *in* 4. iiſdemque formis iterum *Romæ anno* 1547. Illud italica lingua donavit, doctaque præfatione locupletavit *Nicolaus Mazzius* Cortonenſis, typiſque Laurentii Torrentini Florentiæ anno 1555. in 8. in lucem edidit ita inſcriptum: *Vita dell' Illuſtriſſimo Sig. Guidobaldo Duca d'Urbino, e dell' Illuſtriſſima Signora Eliſabetta Gonzaga ſua conſorte*.

Digitized by Google

trimonium duxerint, lectiſſimæ fere, præſtantiſſimæque illi feminarum omnium obtingant. Nam præter eam, quæ a me appellata eſt, Heliſabetham Gonzagiam, habuit Franciſcus-Maria hujus Guidi-Ubaldi pater ex eadem familia uxorem Eleonoram, quæ proximis diebus mortua eſt, omni muliebri laude præter cæteras ornatam, atque illuſtrem. Nec vero de Victoria Farneſia, quando in hunc ſermonem venimus, ſileri ullo modo poteſt (quamquam invitus facio, ut de iis, qui nunc ſunt, dicam aliquid) cujus quidem mulieris modeſtia, ac pudor ingenuus illud profecto præſtitiſſet, quod Periclem ajunt dixiſſe, primam in muliere laudem eſſe, ut ne de virtute quidem illius ulla ad viros fama emanet: ſed nulla ratione occultari tanta primariæ feminæ virtus poteſt, quin ad viros quoque emergat, ac ſuo ipſa ſplendore ſe prodat. Fortunatus igitur Guidus-Ubaldus cum ſua illa animi magnitudine, atque æquabilitate, ſuaque illa prudentia, tum vero hac tali conjuge, vitæque ſocia. Sed cum Urbini, quemadmodum dicere inceperam, Guidus-Ubaldus, atque Heliſabetha Gonzagia eſſent hominum excellentium peramantes, perque hoſpitales, (1) conveniebant ad eos ex omni Italia, ut quiſque præſtanti aliqua in arte præcelleret: eo cum Bembus quoque forte veniſſet, præcipuo præter cæteros in honore haberi cœptus eſt. Multa enim habuit Bembus, quæ ad hominum animos conciliandos plurimum valere conſueverunt: nam & in forma ſumma quædam oris ſpecies, ac dignitas inerat, & in ſtatura, ac proceritate decor, mira præterea in moribus ſuavitas quædam, lenitaſque amabilis, dulciſque cum ſermo, tum tota vitæ, victuſque conſuetudo mitis, ac clemens: ad ea cum præclara ingenii vis, ac natura accederet, expetebatur ſcilicet unus

 omni-

1. *Conveniebant ad eos ex omni Italia, &c.*) Qua magnorum virorum, dignitate, & doctrina præſtantiſſimorum, frequentia Urbinatum ducis aula per ea tempora celebraretur, ſatis vel ex uno conſtat aureo illo *Balthaſaris Caſtilionei* italico opere, *il Cortigiano*. Aderant nobile *Fregoſiorum* par, *Federicus*, qui poſtea Salernitanus Archiepiſcopus, ac *Octavianus*, qui Genuenſium dux creatus fuit; Comes *Ludovicus Canoſa*, mox Bajocenſis Epiſcopus; *Bernardus Divitius a Bibiena*, qui tituli Sanctæ Mariæ in Porticu Cardinalis eſt renunciatus; *Julianus Medices*, cognomento *Magnificus*, Nemurſii dux; Comes *Balthaſſar Caſtilioneus*, qui oblatum Abulenſem in Hiſpania Epiſcopatum recuſavit; *Ceſar Gonzaga*, *Gaſpar Pallavicinus*, aliique multi, de quibus mentionem infert *Caſtilioneus*. Omnes hi *Petrum Bembum* ita ſuſpiciebant, quam qui maxime: præſertim vero dux ipſe *Guidus-Ubaldus*, ac *Franciſcus-Maria*, qui *Julii II.* fratris filius erat, jam *Guido-Ubaldo* ſucceſſor in Urbinatum imperio deſignatus, eorumque conjuges ipſum parentis loco habitum, cum ob doctrinæ præſtantiam, tum maxime ob egregias, ſingulareſque virtutes, omni honoris cultu obſervabant, ac diligebant. Cum Urbini ſubſiſteret, de patris literis accepit, *Helenam* parentem ſuaviſſimam morti occubuiſſe menſe Novembri anno 1509. Hanc domeſticam cladem eo tamen pater ac filius animo tulere, quo par erat ferre viros tanta prudentia, tantiſque virtutibus. Id manifeſtum fiet legenti *Petri* epiſtolam ad patrem datam 10. Kal. Decembres 1509. quæ *lib. 1. epiſtol. ad fam. num. 6.* occurrit.

Digitized by Google

omnium, maxime ab illuſtri illo virorum, feminarumque conventu: Quibus rebus efficiebatur, ut multum domo abeſſet, Urbinique fere viveret; quam rem multum etiam vicinitas adjuvabat, atque ultro citroque Piſaurum quidem uſque perfacilis, atque expedita navigatio: ita factum eſt, ut minus domi honores aſſueſceret admirari, minuſque ambitionibus implicatum animum haberet. At vero id pater reprehendere, graviter ferre, ac prope patrio jure, ut uxorem duceret, ut rempublicam capeſſeret, atque ex ordine magiſtratus peteret, imperio cogere. Fit enim fere, ut qui in libera civitate, præſertim clara, atque opulenta vivant, omnia ad honores referri putent oportere; id unum conſectentur, & expetant, ut dignitates, ut magiſtratus adipiſcantur: ſiquæ ſint laudes, quæ alio pertineant, eas aut non agnoſcunt, aut leves, atque inanes judicant. Atque hæc liberorum populorum conſuetudo, quamquam per ſe ipſa, vique ſua, fortaſſe minus probanda eſt: nec enim compendii, honoriſve cauſſa, ſi ad veram illam rationem dirigas, petendi magiſtratus ſunt, civibuſve aliis ullo ſtudio, aut ulla contentione præripiendi; ſed unius reipublicæ ratio habenda eſt, ejuſque unius utilitati, ſalutique ſerviendum, ut dignioribus concedamus, & ſæpe delatus nobis major aliquis aut magiſtratus, aut imperium, aut curatio, ſi minus ei rei gerendæ nos idoneos ſentiamus, accipiendus non ſit, aut etiam deponendus: nec enim errare patriam pati, æquum eſt. Sed, quoniam non vivitur cum perfectis hominibus, percommode popularis hæc ambitio cecidit: honorum enim cupiditate incenſi, non ad ſuum ſe quiſque format, atque inſtituit arbitrium, ſed ad populi, civitatiſque judicium, conſilia, mores, vitam, voluntatemque inſtituunt; dantque operam, non ut ſibi ipſi, aut aliis fortaſſe quibuſdam probati ſint, ſed ut populo, civitatique, a qua honores ſcilicet expetant, placeant: ita fit, ut una, eademque perpetuo permaneat civitatis forma, atque una, eademque ſit omnium civium communiter diſciplina; neque ſingulorum privatim ſtudiis, voluntatibuſque variatis, reipublicæ quoque ratio, atque inſtitutio vertatur, atque mutetur: quam quidem cautionem, prudentiamque una, præter cæteras omnes, Venetorum civitas ſemper adhibuit, ut domeſticos ſuos mores diligentiſſime retineret, eſſetque plane ſua, neque quicquam exterum infundi in civitatem, aut ulla infici ſe peregrinitate pateretur. Cum igitur Bembus pater in eum curſum, quem tenuerat ipſe, quemque ſumma cum laude, plauſuque confecerat, filium induceret, atque compelleret, ille contra alia ſpatia, curſuſque alios animo agitaret, quamquam patri obſequi ſuadebat pietas, civium conſuetudo hortabatur, propinqui,
ne-

neceſſariique efflagitabant; tamen ſic animo cogitabat, cujus ipſe gloriæ cupidus eſſet, eam ad se non a ſuis modo civibus, ſed ab omnibus etiam gentibus ultro deferri, prehenſandum ſibi ejus rei cauſſa neminem eſſe, ſupplicandum nemini, nullius ſuſcipiendas inimicitias, nemini os lædendum: unam enim eſſe ex omni laudum genere ingenii gloriam, qua, ſine ulla cujuſquam querela, perfrui ad extremum uſque homines ſoleant: honores imperitæ modo multitudinis teſtimonium præſeferre; ingenii laudem, ac famam, etiam intelligentium hominum habere comprobationem, nec vero aut voluntatum mutationem, aut fortunæ temeritatem extimeſcere, ſed ſtabilem, firmamque etiam ad poſteros commendationem habere: poſtremo permultos omnibus ætatibus exoriri, quorum opera, pro ſua cujuſque parte, reſpublica geri poſſit; at cujus ingenii monumentis civitas ornetur, ne multis quidem ſeculis unum exſtare, aut alterum: ſatis vero jam Bembos, magnos honores in republica, ad illuſtrandam familiæ dignitatem, eſſe conſequutos; ſatis nobilitatam, majorum ſuorum rebus geſtis, ſuæ memoriam ſtirpis eſſe, quando & vetuſtiſſima templa a ſuis jam olim gentilibus conſtructa, ea ſcilicet, quæ Juliano dedicata ſunt, Bemborum nobilitatem illuſtrent, & pietatis ſint teſtes; & (1) Franciſci Bembi ejus, qui, multos annos ante Patriarcham Venetiis inſtitutum, ſacrorum antiſtes, ac pontifex fuit, memoria gentis vetuſtatem oſtentat; tum maritima imperia, clariſſimæque (2) Franciſci itidem Bembi victoriæ; (3) tum Marci, qui a Cypriis interfectus eſt, aliorumque multorum ob rempublicam ſuſceptæ calamitates, interituſque, Bemborum & virtutis, & in patriam caritatis teſtimonio ſint: nec vero ne in præſentia quidem defuturos, qui ſtirpis, gentiſque gloriam tueantur, atque adaugeant; habere ſe ſe Carolum fratrem, in quo mirificam ingenii indolem, maximam virtutis ſpem ineſſe intelligat; eſſe præterea cum alios nonnullos, (4) tum Joan-

1. Franciſci Bembi *ejus, qui multos annos, &c.*) Cum eſſet hic eccleſiæ S. Marci Primicerius anno 1391. eccleſiæ Caſtellanæ datus eſt epiſcopus 6. Kal. Auguſti anno 1401. ut refert Ughellus *Ital. Sacr. Tom.5. col.* 1355. *Marco* Senatore præſtantiſſimo genitus eſt, ac fratres habuit *Petrum*, & *Paullum*, equeſtri gradu ob maximas obitas legationes, aliiſque in patriam meritis clariſſimos.

2. Franciſci *itidem* Bembi *victoriæ, &c.*) Præfectus Venetæ claſſis hic fuit anno 1427. *Petr. Juſtin. Hiſtor. Ven.* lib. 6. pag. 147.

3. *Tum* Marci, *qui a Cypriis interfectus eſt*) Ab iis, qui in reginam *Catharinam Corneliam* conjuraverant, cæſi ſunt anno 1473. *Marcus Bembus*, ac reginæ patruus *Andreas Cornelius*. Reginam autem *Bembus* quoque, cujus ſororis filia in uxorem ducta, honeſtiſſima affinitate attingebat. *Sabellic. Dec.* 3. *lib.* 10. *pag.* 776. *poſtr. edit.*

4. *Tum* Joannem-Matthæum Bembum, &c.) Ad *Joannem-Matthæum Bembum* hunc, cui nupſerat fratris filia *Marcella Bemba*, tot illæ ſunt ejuſdem *Petri* epiſtolæ, quas juſto volumine complexus Venetiis edidit Franciſcus Rampazzetus anno 1564. in 8. In Aſcrivii propugnatione contra Ariadenum Ænobarbum obſidionem intentantem ita ſe geſſit, eaque ad barbarum illum, Tur-

Digitized by Google

Joannem-Matthæum Bembum ſumma itidem virtutis, & ingenii ſpe prædìtum adoleſcentem. Et vero hic quidem, nec Bembi de ſe judicium fefellit, & multis, magniſque in rebus domi, foriſque perutilis Reipublicæ civis eſt, ſemperque fuit: (1) nam Carolus, priuſquam patriæ prodeſſe per ætatem potuiſſet, extinctus eſt: unam hanc literarum, atque ingenii laudem minus illos adhuc eſſe adeptos: eam ſe in ſuam gentem inferre cupere, ac propemodum etiam ſe id perficere, ac præſtare poſſe compertum habere: ſin honores ſectari velit, certo ſcire, minus eam ſibi rem ex ſententia ſucceſſuram, quam invitus ſuſcipiat, & injucundam exiſtimet, & multa præterea a natura impedimenta habere ſe, ſibi ipſe ſit conſcius: nam & blandiri ei qui poſſit, quem fortaſſe minus aut probet, aut diligat, pudore ſe ſe quodam ingenuo impediri, & exiſtimationem ſuam vulgi voluntati, comitiorumque caſibus, & tanquam undis, quotannis commiſſam eſſe, propter animi quandam aut libertatem, aut, ſiquibus ita videtur, faſtidium, pati non poſſe; nullam autem omnino rem facilem eſſe, quam invitus facias. Scire ſe ſe, illam alteram honorum, atque ambitionis incertam, ac periculorum plenam viam plus fortaſſe utilitatis, plus apud parvi, anguſtique animi homines ſplendoris polliceri; ſed eam ſe ſequi malle, quæ plus veræ, ſolidæque dignitatis habeat: ut enim fructuoſos fundos parare utilius ſit, voluptuarios autem, atque animi modo cauſſa inſtitutos, honeſtius, ac magnificentius; ſic illam ambitionis rationem uberiores in vulgus fructus fortaſſe ferre, hanc certe bonarum artium, ac literarum inſtitutionem plus apud præclara hominum ingenia magnificentiæ, plus honeſtatis oſtendere. Ac, ne multa, nihil ægrius factum eſt, multis filii contentionibus, multa contra patris, matris quoque Helenæ Marcellæ primariæ feminæ caſtigatione, ſæpe etiam objurgatione, quam ut ne ſingulare, ac prope divinum Bembi ingenium, ad bonarum artium ſtudia, atque ad has manſuetiores muſas natum, vulgo, atque imperitæ multitudini proderetur: ſed pervicit tamen, ut per parentes, ac neceſſarios, perque cives ſibi ſuos aliquando vitam in literis agere, idque unum, relictis rebus, curare ſibi liceret.. Sed paucis poſt annis dum ſe

Turcicæ claſſis præfectum, plena animi, & prudentiæ reſponſa miſit, ut ſingularem ſibi gloriam apud omnes comparaverit, brevique honores omnes, qui ampliſſimis ſenatoribus demandari ſolent, ſit conſecutus. Egregii hujus viri nonnullæ exſtant epiſtolæ inter eas, quas collegit *Hieronymus Ruſcellus*, inſcripſitque, *Lettere de' Principi*, Volumine 1.

1. *Nam* Carolus, *priuſquam patriæ prodeſſe per ætatem potuiſſet, extinctus eſt*) 3. Kal. Januar. exeunte anno 1504. fato ceſſit *Carolus Bembus*, *Petri* frater. Ejus mortem cum in plurimis epiſtolis, tum præcipue in carminibus queſtus, inter quæ eminet nobiliſſima illa ode italica, vulgo *Canzone*, cujus infra mentio fiet.

ſe ſe Bembus libris, literiſque obruit, dum ſolitudines, receſſuſque ſibi pro foro, ſibi pro curia, proque comitiis per ſummum otium, ſummamque tranquillitatem habet, (1) Joannes Medices Cardinalis, is, cui Leo X. nomen poſtea inditum eſt, Pontifex Maximus Romæ creatur. Mos, conſuetudoque Pontificum eſt, ut ſiquid publicæ, privatæve rei incidat, quod prolato opus non ſit, quodque ſecreto per literas agi oporteat, ſiquando aut regibus, aut civitatibus reſpondendum, aut ſiquid poſtulandum ab iis ſit, ſiquid denique paullo majoris negotii implicitum cum aliquo eſt, id quaſi per familiares epiſtolas tranſigant: eas literas cera obſignant, nam publicis decretis in plumbo ſignum eſt: earum literarum ſcribendarum negotium datur hominibus, ob ſcribendi prudentiam, atque elegantiam eruditiſſimis; ob muneris, locique dignitatem graviſſimis, atque honeſtiſſimis; ob autem rerum pondus, ac magnitudinem, ſumma fide, ſummaque probitate præditis: ii magna cura, ac diligentia conquiruntur, magnis præmiis evocantur. Eum Leo morem cum vehementer probaret, cumque ad dignitatem pertinere arbitraretur, diligentiſſimeque eum retinere vellet, ſine ulla dubitatione Bembum acceſſiri, eique muneri, negotioque præponi jubet. Magnam in ſpem, magnam in dignitatem vocabatur Bembus: munificentiſſimus enim Leo, liberaliſſimuſque & habebatur, & erat; ipſi autem res erat familiaris pertenuis, vix ut neceſſarios ſumtus ſuppeditaret, idque ipſum magno Caroli fratris, quem ſui amantiſſimum, obſervantiſſimumque habebat, labore, atque induſtria. Confluebant præterea ad Leonis famam, ac bonitatem, ut quiſque in quaque excellebat arte, aut diſciplina, ut propemodum homini erudito Roma abeſſe turpe eſſet. Huc accedebat reprehenſores ſuos convincendi ſtudium quoddam; cum quanti ſuæ illæ artes fierent, quas illi nulli rei eſſe dicerent, quaſque, tanquam nugas, ac deliramenta, ſæpe Bembo objicerent, oſtendendi magna data eſſet occaſio: nec vero a ſuo vetere inſtituto, aut a literis abduci ſe ſe propterea arbitrabatur, quippe qui ad ſcribendum invitaretur, qua una in re omnis ſibi cura, atque opera poſita ſemper fuiſſet. Proficiſcitur Romam Bembus, cum annos

1. Joannes Medices *Cardinalis . . . Pont. Max. Romæ creatur.*) *Leo X.* qui antea *Joannes Medices*, tituli Sanctæ Mariæ in Dominica Cardinalis; renunciatus eſt Pontifex Maximus 5. idus Martias anno 1513. *Iſque prius, quam e Conclavi exiret*, ME (*Bembus* ait in exitu ſuæ hiſtoriæ) & Jacobum Sadoletum, *qui Romæ tunc eramus, ſibi ab epiſtolis adſcivit*. Anno ſuperiore Bembus *Juliano Medici*, *Joannis* Cardinalis fratri, comes Romam petierat, ſtatimque *Julii II.* judicio, ac benevolentia florere cœpit, cum ab Archiepiſcopo Salernitano *Federico Fregoſio* ipſe, ac *Sadoletus* hoſpitio accepti eſſent.

annos natus eſſet tres & quadraginta, præponiturque epiſtolis Pontificis Maximi nomine ſcribendis, eoque in munere gerendo datur illi ſocius, & tanquam collega Jacobus Sadoletus is, qui poſtea Cardinalis factus eſt. Scripſit eorum uterque eas epiſtolas cum plane latine, quod ante id tempus neque acciderat ulli, nec adeo fieri poſſe ullo modo homines exiſtimabant, ac, ſi verum quærimus, ne cogitabant quidem: noſtri enim homines, ſæpe etiam tranſalpinæ nationes, ſic latine ſcribebant, ut ſuæ quiſque civitatis tamen loquendi formam, conſuetudinemque retineret, ac latinis verbis, quamquam ne id quidem uſquequaque, gallice nihilominus, aut italice, neſcio quo pacto, loquerentur: ſed eæ epiſtolæ cum plane latine a Bembo, Sadoletoque ſcriptæ ſunt, tum vero ſumma a doctiſſimis, exercitatiſſimiſque hominibus adhibita eſt elegantia, ſummaque dignitas, (1) id, quod ex iis libris intelligere licet, qui a Bembo editi, epiſtolas a ſe Leonis X. nomine ſcriptas continent. Cum itaque Pontifici Bembus, homini nec natura hebeti, nec in ſcribendo rudi, cumulatiſſime ſatisfaceret, magno ab eo honore afficiebatur: tantum porro in illum ſuæ liberalitatis Leo contulit, ut, qui Romam pauper tandem veniſſet, ſuis ex fructibus (2) ſeſtertia amplius cxx. caperet, Pontificis plane beneficentia dives factus. Fuit ætas, tempuſque illud humanitatis ſuavitate nimia prope quadam perfuſum, ut delectationum multarum ſtudia ſeculi illius licentiæ, propemodum omnium permiſſu, conceſſa eſſent: nec enim ne voluptatum quidem quarundam blandimenta nimium ſevere aſpernabantur, ſed multa ad oblectationem, multa ad ludum data erant cujuſque ordinis, cujuſque ætatis hominibus; nec vero religioni habebatur, honeſtos, graveſque homines in hortis viſos eſſe, aut paullo liberiore in convivio, ſymphonia cum caneret, & mulieres accumberent, interfuiſſe: quam quidem ſeculi illius nimium plane profuſam hilaritatem, eorum temporum, quæ ſequuta ſunt, triſtitia vehementer corripuit, magnoque opere caſtigavit: quo magis vereor, id, quod dicturus ſum, ne multis ſecus, atque eſt, de Bembo exiſtimandi aliquid det loci. Sed quoniam nobis ſuſceptum id eſt, ut de illius vita, non de laude dicamus, ne hoc quidem reticendum nobis eſſe arbitrati ſumus. Ac fit fere, ut mores, conſuetudineſque locorum, aut ætatum, pro ratione ſibi, proque diſciplina homines habeant: denique, quod fieri vident,

1. *Id, quod ex iis libris intelligere licet, qui a* Bembo *editi, epiſtolas a se* Leonis X. *nomine ſcriptas continent*) In decem libros digeſſit *Bembus* epiſtolas, quas *Leonis X.* nomine conſcripſit.

2. *Seſtertia amplius* 120. *caperet*) Nempe coronatorum nummum tria millia.

dent, licere putant; atque id, quod in præſentia minus reprehenditur, in poſterum quoque tolerabile, conceſſumque fore arbitrantur: atque omnino apud omnes gentes etiam, quæ natura gravia ſunt, fieri conſueverunt moribus leviora. In ea igitur morum, ſeculique licentia eximia forma (1) mulier quædam perpuliſſe Bembum dicitur: neque, diu reſiſtentem, continere eum ſe a lapſu potuiſſe, præſertim qui nullis dum ſacris initiatus eſſet: verum ea, ut temporibus illis lapſio, ut hac ætate fortaſſe labes, eum habuit eventum, ut magno, ſi modo naturam audire volumus, fructu compenſaretur. Suſcepit enim ex ea muliere liberos tres; qui ut nominentur a me, res propemodum poſtulat, nec ipſi nolunt; (2) Lucilium, (3) Torquatum, & Helenam Bembam, feminam lectiſſimam, quæ cum (4) Petro Gradenigo primario adoleſcente nupta eſt: cui etiam liberos ex ſe ſe peperit, totiuſque orbis terrarum præclariſſimam civitatem civibus nobiliſſimis auxit: ut ſiqui ſunt, qui in eo Bembum gravius accuſandum cenſeant, meam illi quidem ad ſuam ſententiam adſcribant licet: ſed ii tamen ſe meminerint id improbare factum, quod infectum eſſe, optare certe non audeant. Nec vero in literis modo ſcri-

1. *Mulier quædam, &c.*) Huic nomen erat *Moroſina*. Ipſo ætatis flore, ſexdecim annos nata, *Bembum* in ſui amorem pellexit. Poſt annos duos & viginti, cum annum gereret octavum & triceſimum, 8. idus Sextiles obiit anno 1535. A Cl. V. *Jacobo Facciolato* accepi, Patavii, in ædis D. Bartholomæi interno latere, quod dexteræ januæ proximum eſt, ſub pictis pellibus, quibus parietes omnes ſunt inſtrati, extare vetus marmor cum hac epigraphe:

MOROSINÆ
TORQUATI BEMBI MATRI.
OBIIT VIII. ID. AUGUSTI MDXXXV.

Lapis hic argumento eſt, *Moroſinam* obiiſſe Patavii, in *Bembi* ædibus, quæ nunc *Gradenigorum* ſunt, intra parœciæ S. Bartholomæi fines. Hujus mortem *Berardinus Rota* Epigrammate ſatis eleganti ad eum *P. Bembum* deflevit.

Si quemquam dolor acer erat pote perdere, victum,
Bembe, *dolore unum te fore credideram.*
Vivis adhuc, nec cur valeas ita vivere, certum eſt;
Ni credam, extinctum vivere poſſe hominem.

Extat hoc Epigramma inter *Antonii Terminii*, & aliorum illuſtrium poetarum carmina, quæ collegit *Ludovicus Dulcius*, & edidit *Venetiis apud Gabrielem Julitum de Ferraris, & fratres*, 1554. *in* 8. *pag.* 43. At poſtea in editione italicorum, latinorumque poematum *Berardini Rotæ*, quæ Venetiis per eoſdem Julitos facta eſt anno 1567. in 8. pag. 153. cum nova epigraphe, immutatum fere totum legitur hoc idem epigramma,

Ad Horatium Solimæum.

Si dolor acer erat potis unquam vincere, victum
Nempe dolore unum me fore credideram.
Et, Solimæe, *tamen vivo, nec vivere certum eſt;*
Ni credam, extinctum vivere poſſe hominem.

2. Lucilium) Infans deceſſit anno 1532.

3. Torquatum) Sacris initiatus fuit, & inter Canonicos Patavinos cooptatus. Literarum laude ſatis inclaruit. Eum laudant *Lazarus Bonamicus* in carminibus latinis pag. 26. *Paullus Manutius* in Epiſtolis item latinis lib. 3. aliique.

4. Petro Gradenigo) *Dominici* filio. Egregiam hic ſibi laudem peperit italica poeſi. Ejus carmina edidere Venetiis Rampazetti typographi anno 1583. in 4. collegit vero poſt auctoris obitum, recenſuit, ac *Vincentio Gonzagæ*, Mantuæ principi, dicavit *Franciſcus Sanſovinus*. Vita defunctus eſt *Petrus Gradenigus* menſe Julio, anno 1581. Quam vero per ea tempora hujuſmodi conditionum ne primi quidem faſtigii principes viros puderet, teſtis Alfonſus Ferrariæ Dux, qui Lucretiam Borgiam ducere non eſt vetitus.

bendis Bembi fidem, atque eruditionem Leo periclitatus eſt, ſed etiam in rebus agendis hominis prudentiam, ſolertiamque plurimum adamavit: itaque cum conſpirare adverſus Galliæ regem cum Cæſare Maximiliano, cumque Hiſpaniarum Rege Catholico, ita reipublicæ temporibus poſtulantibus, cogitaret; (1) miſit de ea conſpiratione Bembum ad Venetorum ſenatum, qui eam magnopere civitatem hortaretur, uti a Gallorum, quibuſcum conſenſerat, amicitia diſcederet, ac ſe ſe cum Pontifice, reliquiſque conſpirationis auctoribus, ducibuſque fœdere, & ſocietate conjungeret. Habita eſt a Bembo in Venetorum ſenatu ea de re oratio pergravis ſane, perque vehemens, quam etiam ſcriptam reliquit. (2) Perlegant eam noſtri homines; nihil italice ſcriptum gravius, ornatiuſve ea oratione dicent eſſe. Tenebatur præterea impendio magis Bembus (3) ſtudio ſignorum antiquorum, (4) idque genus rerum reliquarum, credo, quod eam pulchritudi-

1. *Miſit de ea conſpiratione* Bembum *ad Venetorum Senatum, &c.*) Id menſe Decembri anno 1514. accidiſſe narrat *Paullus Paruta* Hiſtoriæ Venetæ lib. 2.

2. Ea oratio legitur in Epiſtolarum italicarum vol. 1. ad calcem libri 12. cum hac inſcriptione: *Propoſta di* M. Pietro Bembo *al Principe M. Leonardo Loredano, ed alla Signoria di Vinegia per nome di Papa Leone X.*

3. *Studio ſignorum antiquorum*) Quid hic *Caſa ſignorum* nomine intelligat, melius nunquam declaravero, quam ſi verba quædam *Bembi* ipſius proferam. Cum anno 1525. in honeſto reponi loco deberent, quæ nobiliſſima ex marmore antiquitatis monumenta *Dominicus* Cardinalis *Grimanus* reipublicæ ſupremis tabulis legaverat; *Andreas Grittus* Dux, muneris, largitoriſque memoriam immortalitati commendaturus, *Joannem-Baptiſtam Rannuſium*, Decemvirum collegii ſcribam, juſſit a *Bembo* per literas petere, ut ipſe epigramma marmori inſcribendum conficeret. Minime id *Bembus* detrectavit. Poſtquam vero ad rem ſignificandam hæc verba uſurpaverat: *Quæ* SIGNA *veterum artificum, &c.* viſum eſt illi, SIGNORUM nomine nequaquam & *Imagines* ſignificari, quæ tamen eorum monumentorum bona pars erant. Hujus rei cauſſam ab ipſo accepimus, quæ tertio voluminis ſecundi epiſtolarum italicarum libro occurrit, qua *Rannuſium* admonet, ut *Signis Imagines* etiam adderet, juberetque inſcribi: *Quæ* SIGNA, *quaſque* IMAGINES *veterum artificum, &c.* „Avvertite, che SIGNA ſono Gladiatori, e Dei, e Muſe, e Bacche, e Satiri, ed altre così fatte figure, che naturali non ſono; IMMAGINI poi ſono tolte dal naturale, come Auguſti, Aurelii, Domiziani, Trajani, e ſomiglianti. Queſto dico per la inſcrizion brieve, che io jeri vi mandai, la quale non ha ſe non SIGNA: acciocchè per niente non ſi laſci ſola quella parola: che potrebbe parere, che non ſi foſſe bene inteſa la propietà di quel vocabolo, eſſendo nelle coſe del *Grimano* forſe più le IMMAGINI, che i SEGNI. „

4. *Idque genus rerum reliquarum*) *Bembus* inter primos fuit, qui eruditionis plenas vetuſtatis reliquias, ex marmore, ex ære ſigna, ac tabulas, idque genus alia, quæ ætatem evaſerant, ac præcipue antiqua numiſmata conquiſita contraxere. *Æneas Silvius*, ſeu *Pius II.* inter vetuſtatis eruditæ ſtudioſos enumerat *Antonium* quendam, S. Marci Cardinalem, *Eugenii IV.* nepotem, in Comment. libri 2. in dicta, & facta Alfonſi Regis, *Antonii Panormitæ*; eumque citat *Ezechiel Spanhemius* de præſt. numiſm. Diſſert. 1. pag. 24. Antonius *S. Marci Cardinalis*, Eugenii Quarti *Summi Præſulis nepos, incredibile eſt, quam multa numiſmata conquiſierit Imperatorum, ac Principum: amator & hic vetuſtatis eſt*. Liceat tamen hic advertere, allucinari nominum errore *Spanhemium*, ſeu mavis *Æneam Silvium*, unde hoc ſumſit. Namque *Antonium*, S. Marci Cardinalem, *Eugenii IV.* nepotem, novit nemo. Aut igitur hic eſt *Antonius Corrarius*, Gregorii XII. fratris filius, Cardinalis S. Petri ad Vincula, *Eugenii*

Digitized by Google

tudinem, ordinem, partium convenientiam, quam mente, atque animo in ſcribendo unus cerneret præ cæteris, iis etiam minus liberalibus in artibus cum propemodum agnoſceret, paullo magis commovebatur: atque omnino fingendi, pingendique artem poeticæ ex altera parte ajunt reſpondere: illa enim animorum, hæ ſenſuum mulcendorum magiſtræ, quam quidem ingenii, doctrinæque cauſſam ii, qui noſtra ætate eouſque harum rerum cupiditate efferuntur, atque inſaniunt, magno ut propterea ære in alieno ſint, cum afferre homines ſine ingenio, ſine literis non poſſint, quam morbi, furoriſque ſui rationem allaturi ſint, ipſi videant: quid enim attinet, cum animum partim per se, vique ſua turpem, rudemque, partim malevolentia, invidia, perfidiaque inquinatum gererent; domum modo, atque hortos, villaſque, tot verſuris faciendis, tot fruſtrandis, fraudandiſque creditoribus, affabre factis ſignis ex marmore, aut ex ære ornatas habere? cumque in dictis, factiſque honeſtatis faciem nunquam, ne in ſomnis quidem, aſpexerint, decorem, pulchritudinemque tanto in ære, ac lapidibus opere adamare? equidem nec domum, nec villam, nec vero oppidum unquam, non modo exornatum, ſed ne ſatis quidem mundum dixero, ubi illi cum ea fœditate, cum iis animi ſordibus habitent. Nam ſiqui ſunt, qui talium rerum intelligentiam, tanquam ſuæ in reliqua vita munditiæ, atque elegantiæ, aut rectarum artium, in quibus ipſi excellant, corollarium quoddam adferant,

genii IV. amitinus; aut Cardinalis S. Marci, *Eugenii IV.* ſororis filius, *Petrus Barbus*, qui poſtea Paullus II. fuit. Uter fuerit, non ignotum fortaſſe *Bembo*, qui ejus civis ſui exemplum ſecutus eſt ſtudio antiquitatis. Inter tot autem illa, quæ in unum collecta, celebri ejus muſæo ſervabantur, nobilis cum primis fuit *tabula ænea Ægyptiorum literis hieroglyphicis cælata*, quam explicare magna cum laude conari ſunt *Jacobus Francus*, *Laurentius Pignorius*, aliique. Eodem ſtudio quoque bibliothecam ſibi omnium generum, omniumque linguarum codicibus, tum typis, tum calamo deſcriptis inſtructiſſimam *Bembus* paraverat, quorum non pauci in Vaticanam bibliothecam ex Urbinate ſunt translati. In omnium venere notitiam duo illi codices laudatiſſimi *Virgilianus*, & *Terentianus*, qui mille annorum ætatem ferebant. Ipſius fuit etiam Ptolemæi Geographiæ codex graphice, & emendatiſſime manu exaratus, a quo deſcripſit quidam ea, quæ ad Hyberniam ſpectantia exſtant in *codice* 140. *num.* 14. bibliothecæ collegii Sanctiſſimæ Trinitatis Dublinenſis, ut cernere eſt in Catalogo MS. librorum Angliæ, & Hyberniæ *vol.* 2. *parte* 2. *pag.* 24. *Aldus* ſenior ad edendorum operum emendationem ſæpiſſime manu ſcriptis codicibus uſus eſt, quorum ci copiam faciebat *Bembus*. Id etiam, cum ſermo eſſet de *Grammatica græca Conſtantini Laſcaris*, ſupra tetigimus. Italica *Petrarchæ* carmina priuſquam tanta cura, tantaque cum ſua laude ederet idem *Aldus* anno 1501. cum eo codice contulit ſcripto, qui tum *Bembi* erat, nunc in Vaticana bibliotheca ſervatur, atque autographum opus creditur, unde variantes illas lectiones exſcripſit, quæ editæ ſunt, *Federicus Ubaldinus*. Jure itaque *Bembus ab Aldo* in ea præfatione, qua *Pindarum* anno 1513. editum ad *Andream Naugerium* mittit, vocatur *decus eruditorum ætatis noſtræ*, & *magnæ ſpes alteræ Romæ*. Legito etiam quæ de ipſo idem *Aldus* ait, cum ei *Virgilium* dicat, editum anno 1514.

id, quod in Bembo uſu evenerat, iis non modo ſuccenſendum non eſt, ſed etiam gratiæ habendæ ſunt: at, qui omnium diſciplinarum expertes, in omni vita rudes, atque agreſtes, hujus unius ſtudii commendatione nitantur, aut in eo non virtutis quaſi appendiculam, ſed tanquam vitiorum, ac ſcelerum ſuorum, ut ipſi ſperant, integumentum, ut ego interpretor, additamentum quoddam, quærant; ii non modo acriter vituperandi, ſed etiam vehementer illudendi ſunt. Sed cum tenui Bembus valetudine, atque imbecilla eſſet, cumque noctu magnis lucubrationibus, magnis vigiliis ſcribere neceſſe haberet, (nam interdiu, cum a Pontificis latere diſcedere veſtigium vix liceret, cumque multi audiendi, ſalutandi, deducendi, honeſtandique, ut Romanus ferebat mos, eſſent, relinquebatur otii nihil) gravem, diuturnumque in morbum incidit; ex quo cum ægre, ac difficulter convaleſceret, nec recreari, reficique videretur poſſe, de medici conſilio, ipſius Pontificis hortatu, cœli mutandi cauſſa, (1) Patavium petiit: atque eo anno Leo moritur. Incredibile dictu eſt, quanta animi alacritate, quantaque lætitia Romanis laboribus, curiſque liberatus, longa ſane, annorum novem, ipſorum intermiſſione facta, optatum ad otium, ſtudiumque ſuum vetus ſe ſe Bembus receperit; nullum ut Urbis, urbanarumve rerum, aut deliciarum deſiderium in eo reſediſſe, liquido appareret. Et vero eos, qui a pueris, bonarum artium ſtudiis dediti, ætatem egerunt in literis, mordere in adoleſcentia interdum ſolet, quod a rebus agendis abſint: quod ſi caſus eos forte aliquis ab otio ad agendum evocaverit, atque traduxerit, næ illi rem totam, quam incognitam dum haberent, admirabantur, expertam, atque perſpectam, præ ſuo vetere ſtudio, contemnunt: quid enim in ſe continet, quod magnopere aut laude, aut etiam appetitione dignum ſit, præclara iſta agendi ſolertia? ſi modo rem inſpicimus, ac ſpecioſa illa vocabula, communitas, utilitas, ſalus hominum, paullisper ab hac diſputatione faceſſant, rogamus: qua enim tota in re non ratio, ſed maximam partem fortuna dominatur, quamque non prudentia, ſed ple-

1. *Patavium petiit: atque eo anno* Leo *moritur*) Diem ſuum obiit *Leo* Papa X. Kal. Decembr. anno 1521. cum jam Patavium rediiſſet *Bembus* anno 1519. menſe Novembri; quod conſtat ex prima italicarum epiſtolarum, lib. 1. ad eundem Pontificem data prid. nonas Novemb. eodem anno 1519. qua ipſi nunciat, *Marcellam Bembam*, fratris filiam, nuptum a ſe datam *Joanni-Matthæo*, tunc annos viginti octo genito, ſummæ ſpei juveni, non patriæ ſolum, ſed ſanguinis etiam, ac gentis communione ſibi conjunctiſſimo. Sed ex aliis quoque *Bembi* epiſtolis ſatis apparet, eum Roma reverſum per id tempus, Patavium ſeceſſiſſe. Multo quam *Caſa* diligentius, facta omnia hujus viri, in ſuos quodque annos, digeſſit Beccatellus. Aud me hic in annorum ſupputandorum ratione falli, argumento eſt etiam quædam epiſtola libri 2. vol. 1. qua Cardinali *Bibienæ* 5. Kal. Majas anno 1519. ſcribit, ſe Roma diſceſſurum.

plerumque (non enim libet ſemper dicere) malitia regit; quid aut gloriæ, aut jucunditatis ineſſe poſſit? quaſi enim cum ludas teſſeris, neque contra ejus ludi formulam ut venias, adverſarioque ut fucum facias, animum inducere velis; ſi te is, quicum ludas, contra ſine ulla dubitatione circumveniat, atque decipiat, nunquam tu tantum ſcientia, atque artificio profeceris, ut cum illius dolo, atque fallacia certare poſſis: ſic in hominum vita hac, & tanquam alea, cum viri boni, ut a juſtitiæ certa quadam præſcriptione, ne latum quidem unguem, diſcedant, abduci ſe ſe nullis aut honorum, aut pecuniæ præmiis patiantur; alii autem vulgo fraude, præſtigiis, ſæpe perjurio, perfidiaque pugnent, vincitur nimirum ſimplicitas calliditate, ingenuitas impudentia, pudor moleſtia, fides ſcelere, veritas mendacio: itaque tardi, parumque efficaces habiti boni inter improbos, ludibrio ſæpe ſunt. Careant igitur inſigni hac rerum gerendarum laude homines literis dediti, animo non modo æquo, ſed etiam hilari; ac ſic habeant, nihil fere honeſtati hominum, in vita hac communi, eſſe relictum loci; ſed ſcelus pleraque, ac turpitudinem invaſiſſe; quamque operam dare ſe reipublicæ maximam plerique prædicent, eam omnem, communis rei ſimulatione, in ſua quemque privatim utilitate augenda poſitam, occupatamque habere. Unos omnino excipio Venetos: nam Chriſtiana quidem res communis Romæ, non hominum conſilio, ſed Dei immortalis mente regitur. Unos igitur Venetos excipio, quorum præclariſſima in republica optabile ſtatuam eſſe verſari: quam quoniam peregrinis nobis non licet capeſſere, (nec vero ea civitas, poſt hominum memoriam, prudentiſſima, ac fortunatiſſima, noſtræ, aut cujuſquam opis eget) illam, utpote libertatis arcem, prudentiæ gymnaſium, juſtitiæ domicilium, veneremur: otium autem hoc ignobile literarum adoleſcentes, ſeneſque retineamus. Quam quidem Bembus prudentiam ſtudio, ac voluntate hujus ſententiæ auctoribus præclare emenſus, re, atque exitu ad extremum uſque præſtare non potuit: nam, cum Patavii multos jam annos eſſet, in civitate quietis, ac tranquillitatis pleniſſima, ab omnique contentione, ambitioneque longe, ac multum remota; cumque omnem curam, cogitationem, operam ad ea ſtudia, quæ a puero adamaſſet, celebranda contuliſſet, vel in iis jam conſumſiſſet potius; magno quodam caſu clementem illam vitam, quietam, tranquillamque, prope jam decurſo ſpatio, atque ætate jam fere exacta, recuſans, atque ingratis coactus eſt mittere. Erat Romæ temporibus illis vir ſummus, atque clariſſimus, ſingulari prudentia, admirabili animi magnitudine præditus, Alexander Farneſius Cardinalis, is, qui Paullus III. appellatus eſt,

eſt, (1) qui ſimul ac Pontifex Maximus factus eſt, extemplo tanto imperio, ac poteſtate accepta, ut initium rerum, actionumque ſuarum ab illuſtri aliqua laude duceret, faciendum ſibi eſſe exiſtimavit, ut, qui quaque in civitate, quibuſque in terris homines eſſent, illuſtri quadam aut pietatis, aut prudentiæ, aut doctrinæ laude celebrati, (2) illos ultro ipſe, eam dignitatem audquaquam petentes, ac ne tale quidem quicquam ſuſpicatos, ampliſſimum in Cardinalium collegium cooptaret: ea re ſperabat, cum pontificatus, collegiique, tot clariſſimorum hominum acceſſione facta, auctum iri majeſtatem; tum, ſpecimen ſe quoque ſuæ virtutis maximum cum dediſſet, magnam de ſe famam, opinionemque eſſe facturum. Itaque ſemel, atque iterum, magna cura, magna adhibita diligentia, ſummos viros perveſtigavit, atque delegit, quibus graviſſimam illam dignitatem, nimio a pleriſque opere ſæpe fruſtra, ac nequicquam expetitam, ultro mandaret: quo facto, opinione majorem eſt gloriam conſequutus. Sed, ut ut aliis ea res evenit, Bembo quidem perincommode cecidit, quod ſuo ex otio, ſuaque ſolitudine dulci illa erutus, rurſum in eam turbam, moleſtiamque ſenex raperetur, a qua, vix dum inclinata ætate, ſe ſe tamen cupidiſſime vindicaſſet: etenim cum præſtantes denuo gloria viros Paullus conquireret, atque indagaret, quos in collegium legeret, (3) occurrit in primis homini Bembus: is forte Venetiis erat. Gaudeo, gaudeo, optima poſt homines natos, atque ampliſſima civitas, cum inveſtigaretur, perquireretur que virtus, ad te iterum potiſſimum ventum eſſe. Etenim cum bonorum, prudentiumque hominum res Chriſtiana publica egeret, (4) ſumſerat a te ſcilicet, jam antea, Gaſparem illum Contarenum, italici nominis lumen; in quo cum ſumma probitas, caſtimonia, moderatio, prudentia cum ſumma doctrina, atque eruditione contenderet, ejus ipſius inſignita pietate, ac religione longe eæ laudes omnes vincebantur: ergo de tua magnorum virorum copia bis ſuppeditatum paucis annis rei Chriſtianæ communi eſt, ſemel in Contareno, iterum in Bembo. (5) Ad eum cum Paulli miſſu Ca-

1. *Qui ſimul ac Pont. Max. factus eſt*) Ad pontificatum evectus eſt, ac Paullus III. appellatus 4. Id. Octob. anno 1534.

2. *Illos ultro ipſe, &c.*) Ex eorum numero fuere *Gaſpar Contarenus*, *Jacobus Sadoletus*, *Hieronymus Aleander*, *Gregorius Corteſius*, *Reginaldus Polus*.

3. *Occurrit in primis homini* Bembus) Cum Paullus quinto Cardinales cooptaret 13. Kal. Januar. anno 1538. inter cæteros creatus eſt *Bembus*, qui tamen tantum inſequente anno 9. Kal. April. renunciatus eſt.

4. *Sumſerat, jam antea*, Gaſparem *illum* Contarenum) Inter Cardinales adſcitus fuerat *Contarenus* a Paullo anno 1535. 13. Kalen. Jun. altera Cardinalium creatione.

5. *Ad eum cum Paulli miſſu* Carolus Gualterutius *Fanenſis*, &c.) Aſſentiri aud poſſum *Caſæ* aſſerenti, *Gualterutium* Venetias adventaſſe, ut pontificium diploma, & *rubrum biretum*, quod vocant, *Bembo* deferret. Hac de re ne verbum quidem in *Bembi* epiſtolis: quin ex iiſdem ſæpius apparet, Romæ id temporis *Gualterutium* ſub-

Carolus Gualterutius Fanenſis, vir apprime bonus, navuſque, & induſtrius, veniſſet cum diplomate, cumque ejus dignitatis inſigniis; ille enimvero recuſare, ac deprecari, neque abduci, nunc demum ætate confecta, pati ſe poſſe dicere, a quiete, ac ſolitudine illa, quam unam rerum omnium jucundiſſimam, antiquiſſimamque jam inde a prima adoleſcentia habuiſſet; magnas tamen ſe ſe Pontifici, magnas collegio gratias agere, atque habere, quod ſenectutem ſuam honorificentiſſimo de ſe judicio, clariſſimoque decreto tantopere honeſtatam voluiſſent. Cum in eo multos jam dies perſeveraret, neque de ſententia depelli poſſe videretur, nihil propius factum eſt, quam ut Romam Gualterutius, re infecta, reverteretur. Non ſum neſcius, multos fore, qui noſtræ orationi hac in re parum fidei habeant: plerique enim omnes, quid de aliena voluntate credendum ſit, de ſua conjecturam faciunt: itaque incredibile multis viſum iri intelligo, Bembum id vere, atque ex animo aſpernatum eſſe, quod omnes fere ſumma cupiditate expetendum, atque optabile eſſe exiſtiment; tametſi ſcribimus hæc recenti hujus facti memoria, multiſque, qui in agendo adfuerunt, ſuperſtitibus, quos mendacii, atque impudentiæ noſtræ conſcios, ac teſtes habere cur velimus, cauſſa nulla eſt. Sed quoniam par eorum peccatum eſſe cenſemus, qui mentiri in hiſtoria audent, atque eorum, qui dicere verum reformidant, mendacii ſpeciem, verum cum dicturi eſſemus, non horruimus. Erat perinvidioſum futurum, reſpui tantam dignitatem, præſertim quæ non honoris modo ſplendorem, ſed etiam muneris contineret officium: eam enim ob cauſſam collegium dicitur Cardinalium a majoribus inſtitutum, ut ii & adſint Pontifici, & ad omnia reipublicæ tempora præſto ſint; ægerrimeque laturus eam rem Paullus erat, quod minui Chriſtianæ civitatis majeſtas, cujus ipſe princeps conſtitutus eſſet, videbatur, atque ejus privatim & conſilium condemnari, & auctoritas contemni, qui non beneficium modo Bembo a ſe datum exiſtimaret, ſed etiam onus quoddam officii pro ſua poteſtate impoſitum: ut ſi de ſuo ille honore

ſubſtitiſſe, &, ſi quid illic novi, id cum amico per literas communicaſſe. Præterea hoc in more poſitum novimus, ut novis Cardinalibus nunquam per privatos homines, qualis erat *Gualterutius*, ſed per aulæ Romanæ *Prælatos* ea dignitatis inſignia deferantur. Sed quid opus pluribus? *Octavianum Zenum*, qui erat a cubiculo honorario Pontificis, ad hoc miſſum eſſe certum eſt, cum ex literis (vol. 1. lib. 4.) datis ad Cardinalem *Farneſium* prid. Kal. April. anno 1529. tum maxime ex euchariſtica epiſtola (lib. 6. Fam.) eodem anno, eodemque die ad *Paullum* Pontificem miſſa: *Quod me in ampliſſimum Romanæ reipublicæ Cardinalium collegium, nihil ejuſmodi petentem, ſponte tua cooptaveris;* quodque Octavianum Zenum, *familiarem a cubiculo tuum, ejus rei nuncium, cum literis humaniſſimis, honorificentiſſimiſque ſcriptis, cumque pileo capitis tegumento purpureo, ſacroque, magnis itineribus ad me miſeris, immortales gratias habeo, habeboque, dum vivam.*

re putaret ſibi liberum eſſe recuſare, dicto certe Pontificis audientem non eſſe, in eo vero & collegium, quod ſanctum eſſet, & Pontificem violari. Itaque adcurrunt ad eum undique amici, ac neceſſarii, agunt, hortantur, obſecrant, ſi ſua ipſe gloria minus moveatur, gentis, ac poſteritatis tamen memoriam, nomenque reſpiciat, ac tantam dignitatem in domum ſuam illatam ne ipſe a ſe ſe abjudicet. Parum primo Bembus eorum moveri oratione, utpote qui eadem ſæpenumero audiſſet jam olim prope omnia, ac refutaſſet: (1) ubi vero ad eum Petrus Landus adiit, qui civitatis, aud multo poſt, Princeps fuit, (qui unus apud Venetos magiſtratus ampliſſimus eſt, idemque perpetuus) iſque longa, atque accurata oratione cum eo agere cœpit, cum oſtenderet quantum ea re ſubiturus eſſet offenſionis, atque invidiæ; quam indigne Pontificem Maximum, quam graviter omnem ſacerdotum ampliſſimum ordinem eam ignominiam ferre neceſſe eſſet; cumque adderet, nunquam hæc ſine nutu, atque conſilio Dei immortalis accidere ſolere; diligenter videret, ne divino numini refragaretur; tum vero, animo ſane ſuſpenſo, ac perturbato, hominem Bembus in præſentia dimittit, rem in diem poſterum differt; &, quoniam religionem ſibi injeciſſet, diligentius deliberaturum ſe ſe pollicetur. Poſtridie ejus diei, cum res homini in religionem plane veniſſet, (fuit enim non verſuta hac, atque ad hominum opiniones captandas ſimulata, quam in multis videmus rugis, ſuperciliοque horridam, triſtitia; ſed vere, atque ex animo, pietatis colentiſſimus) proximum in fanum mane ingreſſus eſt. Erat tum forte ſacerdos ad aram, atque hiſtoriam de iis, quæ a Chriſto dicta, aut geſta in terris ſunt, quod Evangelium appellamus, clara voce, ut mos ſacrificium facientibus eſt, effari inceperat: vix dum pedem in templum intulerat Bembus; ac ſacerdos, Petre, ait, ſequere me: ea vero illi vox, Dei prope ipſius ore mitti, viſa eſt. Itaque cum omnem ex animo dubitationem ſuſtuliſſet, quaſi Dei accitu, Romam proficiſci ſtatuit: magnus fit domum ejus omnium hominum, atque ordinum concurſus, frequens gratulatio, maximus totius civitatis plauſus; ille vero paucis poſt diebus ſilvas, receſſuſque ſuos, in quibus placatam, tranquillamque vitam prope omnem traduxiſſet, atque exegiſſet, crebro appellans, atque identidem reſpectans, (2) Romam ire perrexit. Vere hoc dicere poſſum,

1. *Ubi vero ad eum* Petrus Landus *adiit, qui civitatis, aud multo poſt, Princeps fuit*, &c.) Allucinatur iterum *Caſa*, *Bembum* renunciatum eſſe Cardinalem menſe Martio, anno 1539. ſupra docuimus; cum *Petrus Landus* anno ſuperiore jam a menſe Januario reipublicæ Princeps eſſet ſalutatus.

2. *Romam ire perrexit*) Eodem anno, quo creatus eſt Cardinalis, menſe Septembri Romam contendit.

ſum , ſic homini hoc diſceſſu hilaritatem prorſus excuſſam , ut ejus priſtinam jucunditatem , ſuavitatemque amici , familiareſque ex illa die deſideraverimus , atque , in omne tempus amiſſam eſſe , doluerimus. Cultus eſt Romæ Bembus cum a bonis pleriſque omnibus Contareno, Sadoleto, Corteſio, Morono Cardinalibus ampliſſimis, hominibuſque eruditiſſimis; tum vero præcipue a Reginaldo Polo , homine , Dei immortalis dubio procul beneficio , ex ultima uſque Britannia ad nos vecto , vel de cœlo potius , ſi modo dictu fas eſt , lapſo; cujus de laudibus, quamquam de tam præclara, ac plane divina virtute nemo ſatis digne unquam loquetur , alius mihi profecto dicendi locus dabitur : hoc certe aud facile in præſentia dijudicare audeam , pluſne eam inſulam , multis vulneribus Chriſtianæ reipublicæ per ſummam impietatem infligendis, nocuiſſe dicam; an, quod in illo ſolo talis, tantuſque vir ortus , & procreatus ſit, unde veræ, planeque Chriſtianæ pietatis, vitæque exemplum peteremus , profuiſſe . Is igitur cum Bembo familiariſſime vixit, cumque ſenis optimi multas, magnaſque animi dotes maximi fecit ; tum vero apertum , ſimplexque hominis ingenium , ſuæ ipſius voluntati , atque naturæ conſimile , ac par , plurimum ſemper adamavit. Sed , cum diligentiſſime Bembus coleretur a multis , ſummo etiam a Paullo honore afficiebatur ; tantaque apud eum fuiſſe gratia dicitur , ut nullam unquam rem ab eo poſtularit, quin perfecerit, atque abſtulerit : ſed enim hoc non ſolum auctoritatis , gratiæque fuit, ſed etiam moderationis , & pudoris . Tum ea erat Bembi, in dicenda ſententia , libertas, ea ſimplicitas, eaque in omni vita clementia , atque ingenuitas inerat , ut , ſi ante eum Paullus mortem obiiſſet , quod natura poſtulare videbatur , (aliquot enim annos illum Paullus anteceſſit ætate) creatum iri eum Pontificem Maximum , plerique compertum haberent . Sed , cum equo Bembus forte veheretur , paullum in oſtio ad parietem latus offendit ; qua ex plaga homo ſenex , ac debilis in febriculam incidit ; atque ex ea cum ſenſim extenuari , conficique ſe intelligeret , cumque mortem multos dies quaſi præſtolatus eſſet animo non modo forti , ſed etiam æquo , ut de ſua illa migratione cum amicis interdum etiam jocaretur , (1) diem ſuum pie , ſanctèque obiit . Cultus erat jampridem omni officio Bembus ab Hieronymo Quirino Iſmerii filio , homine partim genere, ac nobilitate , partim fide , munificentia , humanitate , morum ſuavita-

1. *Diem ſuum pie , ſancteque obiit*) E vita ceſſit 15. Kal. Februar. 1547. cum annos vixiſſet 76. menſes 7. dies 28. Id teſtatur epitaphium , quod in æde S. Mariæ ſuper Minervam parentis ſepulcro inſcribendum curavit ejus filius *Torquatus Bembus* .

te, ac dulcedine clariſſimo. (1) Is illi ſtatuam mortuo poſuit nobili artificio factam ex marmore, atque eam celeberrima Antonii in æde Patavii locavit, inſcripſitque in baſi in hanc fere ſententiam: propterea a ſe illam ſtatuam Bembo ſtatutam, atque in publico poſitam eſſe, ut cujus animi ſimulacra orbis terrarum cerneret, ejus ne corporis quidem deſideraret imaginem. Fuit omnino perpolitum Bembi ingenium, perque acre; maximeque perſpicax, acutumque judicium; plurima in alios, in ſe nimium pene multa inquirens; in ſeligendis, collocandiſque verbis multum ponebat operæ, atque in ea re magnam cum prudentiam, tum vero etiam diligentiam adhibebat: hoc enim unum ſibi perſuaſerat eſſe, quod in oratione novitatem, & quaſi, patriis moribus conſervatis, peregrinitatem tamen quandam effingeret; quæ, cum multum omnibus in rebus admirationis habeat, ob id ipſum plurimum etiam non modo dignitatis, ſed etiam jucunditatis adferre ſolet. Ac profecto, quantum intelligere nos poſſumus, præclare hoc, quod difficillimum ſemper habitum eſt, Bembus præſtitit, ut, cum

PETRO BEMBO PATRITIO
VENETO OB EJUS SINGULARES
VIRTUTES A PAULO III. PON. MAX.
IN SACRUM COLLEGIUM COOPTATO
TORQUATUS BEMBUS P.
OBIIT XV. KAL. FEB. CIƆ. D. XLVII.
VIX. AN. LXXVI. MEN. VII. D.XXVIII.

Situs vero eſt *Petrus* poſt aram maximam, inter *Leonis X.* & *Clementis VII.* Pontificum tumulos, a quibus prima, & præcipua acceperat ſuæ fortunæ incrementa. Aliud epitaphium, quod vetus ejus collega, & amicus, Cardinalis *Sadoletus*, ibidem poſuit, in hunc plane modum inciſum eſt:

DEO IMM. S.

Et virtuti, ac memoriæ Petri Bembi patritii Veneti S. R. E. Cardinalis, cujus ingenii, literarum, eloquentiæ, gloria in ſuo ſeculo princeps, & antiquorum laudibus par; gratia autem in ampliſſimo ordine, in moribus probitas, humanitas, liberalitas ſupra communem modum ſemper exiſtimata ſunt. Quod de ejus vita hominum judicium, beata mors ſanctiſſime ab eo, & pacatiſſime obita, divino quoque confirmavit teſtimonio.

1. *Is illi ſtatuam*, &c.) Hæc ſtatua, qua amiciſſimi viri memoriam *Hieronymus* voluit immortalitati commendatam, eſt *Daneſii Catanei* ſculptoris celeberrimi opus: Inſcriptio autem, ſtatuæ ſubjecta, ita legitur:

PETRI BEMBI CARD. IMAGINEM
HIERONYMUS QUIRINUS ISMERII F.
IN PUBLICO PONENDAM CURAVIT,
UT CUJUS INGENII
MONUMENTA ÆTERNA SINT,
EJUS CORPORIS QUOQUE MEMORIA
NE A POSTERITATE DESIDERETUR.
VIX. ANN. LXXVI. M. VII. D. XXIX.
OBIIT XV. CAL. FEBR. MDXLVII.

cum minus fere uſitate loqueretur, hoſpitis ſpeciem tamen effugeret: quod ſiqui ſunt, qui vulgi opinione ducti, quotidianam hanc, tritam, communemque dictionem in hominum eruditorum aut verſibus, aut proſa oratione vel poſtulent, vel exſpectent, atque ob eam cauſſam Bembi oratione, quæ a plebejo, ac pervagato hoc tabernariorum, atque opificum ſermone longe diſſonat, minus delectentur; ii erunt ex eorum numero, qui de iis ſtudiis exiſtimare aut leviter, aut nihil poſſint. Cajus quidem Cæſar, ut literis proditum video, & ipſe bene loquendi laudem, non populi conſuetudine, ſed multo ſtudio, multiſque literis, & iis quidem reconditis, & exquiſitis, aſſequutus eſt; & cum de ratione latine loquendi ad Ciceronem ipſum accuratiſſime, pluribus quidem libris, ſcriberet, verborum delectum originem dixit eſſe eloquentiæ. Jure igitur Bembus, majore quadam cura, in verbis eligendis torquebatur, præſertim cum etruſce ſcriberet: itaque nova, ſplendida, decoraque ejus in primis oratio eſt: parum enim fidei conſuetudini ſemper habuit; quod ea partim varia, atque inconſtans, partim etiam vitioſa, atque corrupta eſſet; & quoniam ne Romam quidem, nec adeo Athenas illas ipſas Atticas, quibus temporibus eloquentia maxime floruit, diutius tenere illud potuiſſe ſcriptum legerat, ut ne barbarie earum infuſcaretur, atque inquinaretur oratio; repudiandum ſibi hunc ſermonem, qui nunc eſt, ſtatuebat eſſe; atque eum, qui fuerat in etruſcis olim hominibus purus, atque emendatus, cum minus dum exterarum nationum in Italiam confluxerat, adſciſcendum: qui cum illi non de populo, futili, inanique doctore, diſcendus eſſet; ſed e veterum libris, graviſſimis auctoribus, percipiendus; illud etiam eadem opera adſequebatur, ut ejus, dignitatem, gravitatemque haberet oratio: nam quotidianus quidem, vulgariſque hic hominum ſermo, e ſordidis artibus maximam partem ductus, multum ex officina, multum e taberna, e ſellaque redoleat, neceſſe eſt. (1) Sunt igitur Bembi de ratione etruſce loquendi libri

1. *Sunt igitur* Bembi *de ratione etruſce loquendi libri tres*) Opus igitur inſcribitur: *Proſe di M.* Pietro Bembo, *nelle quali ſi ragiona della volgar lingua, ſcritte al Cardinale de' Medici, che poi è ſtato creato a Sommo Ponteſice, e detto Clemente VII. diviſe in tre libri*. Prodiit primum Venetiis in fol. è prælo Joannis Tacuini anno 1525. PRIMUS omnium *Bembus* fuit, qui noſtris hominibus linguæ ſuæ artem traderet, cujus præcepta ipſe longo ſtudio, multaque optime dictorum obſervatione congeſſerat, ut grammaticæ artis corpus abſolveret. Scio equidem, ante editos eos libros, jam ab anno 1516. de menſe Septembri Anconæ per Bernardinum Vercellenſem in 4. emiſſum eſſe in lucem *Joannis-Franciſci Fortunii* opus hoc titulo: *Regole gramaticali della volgar lingua*. Sed *Bembus* in Epiſt. vernaculis vol. 3. lib. 2. ad *Bernardum Taſſum* ſcribens, plagii aperte *Fortunium* inſimulat, ſuaque eſſe, quæ ille venditavit, aperte profitetur. „ Quanto al maeſtro *Pellegrino Moretto* „ (hic eſt *Pellegrinus* ille *Mantuanus*, qui præter quædam alia per-

tres in dialogo mirabiliter ſcripti , quibus profectò effectum eſt , ut, quod homines etruſce loquantur , non bonæ modo jam conſuetudinis ſit, quam tamen fluxam , atque inſtabilem videmus eſſe ; ſed jam etiam ſcientiæ, ac rationis, quæ mutari nullo modo poſſunt: (1) quamquam video non deeſſe , qui , cum cogitandi laborem ferre ipſi aut nolint , aut etiam nequeant , Bembi ſcripta non tam expurgata, quam religione nimia prope quadam attenuata eſſe contendant . Sed ſit ſane ſuus cuique modus: difficile eſt enim, in omni re ſtatuere quatenus: & tamen , ſi cum aliorum libris Bembi ſcripta conferantur , facile judicium erit : mihi quidem ejus oratio vehementer probatur , non modo quia elegans , nova , ſplendidaque eſt, &, ut ita dicam, nobilis ; ſed quia eſt etiam , Iſocrateo prope more , uber , atque ornata . (2) Sunt etiam ejus verſus etruſce ſcripti , & quidem permulti , graves, atque pleni; ut hanc quidem laudem, ſi modo nos de iis rebus

perpauca in vulgus edidit libellum , qui inſcribitur : *Rimario di tutte le cadenzie di Dante , & Petrarca , raccolte per* Pellegrino Morero *Mantovano* : excuſus eſt Venetiis per Nicolaum ab Ariſtotele menſe Novembri 1529.) ,, che ha ſegnare le ,, mie *Proſe* con le parole ingiurioſe , che ,, mi ſcrivete , potrete dirgli , che egli ,, s' inganna . Perciocchè ſe ad eſſo pare, ,, che io abbia furato il *Fortunio* , perciocchè io dico alcune poche coſe , che ,, egli avea prima dette ; egli nel vero ,, non è così . Anzi le ha egli A ME ,, FURATE con le proprie parole , con le ,, quali io le avea ſcritte in un mio libretto forſe prima , che egli ſapeſſe ,, ben parlare , non che male ſcrivere : ,, che vide, ed ebbe in mano ſua molti ,, giorni . Il qual libro io mi proffero di ,, moſtrargli ogni volta , che egli voglia, ,, e conoſcerà , ſe io merito eſſer da lui ,, ſegnato , e lacerato in quella guiſa . ,, Oltre a ciò io potrò farlo parlar con ,, perſone grandi , e digniſſime di fede , ,, che hanno da me apparate , e udire ,, tutte quelle coſe , delle quali coſtui ,, può ragionare , di molti , e molti anni ,, innanzi , che *Fortunio* ſi metteſſe ad inſegnare altrui quello , che egli non ſapea . ,, Sane inter eaſdem *Bembi* epiſtolas lib 2. vol.2. quædam eſt ad *Tryphonem Gabrielium* Romæ data Kal.April.anno 1512. ex qua conſtat , ipſum ex eo tempore *duos* ex tribus de *Italica lingua libris* jam confeciſſe , quos emendari etiam ejuſdem *Tryphonis* judicio cupiebat , aliorumque doctiſſimorum amicorum , *Joannis Aurelii, Nicolai Theupoli , Joannis-Franciſci Valerii , Joannis-Baptiſtæ Ramnuſii , & Andreæ Naugerii* .

1. *Quamquam video non deeſſe*) Minime defuere , qui *Bembo* tum viventi , tum mortuo obtrectarent , quibus ejus oratio aſpera viſa eſt , duriuſcula , & parum liberaliter veterum imitationi addicta . Præſtat cæteris nobilitate nominis, & ingenii *Juſtus Lipſius* , cujus quale ſit de *Bembi* operibus judicium , vide ſis *Epiſtol. miſcellan. Centur.* 2. *Epiſt.* 57. & *Centur.* 5. *Epiſt.* 47. & 50. itemque *Centur. ad Ital. & Hiſp. Epiſt.* 6. & *Notas ad lib.* 1. *Politicor. in cap.* 9. Contra obtrectatores tamen ipſum tutati ſunt clariſſimi viri , ac præſertim *Joannes Clericus* in opere gallico *Bibliotheque Choiſie* Tom. 1. artic. 7. ubi non oſcitanter latina *Bembi* opera cum magno doctrinæ apparatu penſitat .

2. *Sunt etiam ejus verſus etruſce ſcripti*) Etruſcos *Bembi* verſus , quibus titulus , *Rime di M. Pietro Bembo* , publicavere primum Venetiis Joannes - Antonius , & fratres a Sabbio anno 1530. in 4. Melior tamen , auctiorque tertia editio Romana per Valerium Doricum , & Franciſcum fratrem menſe Octobri anno 1548. curante *Carolo Gualterutio* . Hanc miſit ad Cardinalem *Farneſium* , Paulli III. nepotem , *Hannibal Carus* , qui in epiſtola nuncupatoria hæc de illo habet : *E' ſtato* M.Pietro Bembo , *non ſolo de' primi ſcrittori di queſti tempi ; ma il* PRIMO , *che abbia inſegnato a queſti tempi , e a quelli , che verranno , il vero modo di ſcrivere* . Recuderunt aliquando eadem carmina , aliiſque additis locupletarunt Jolitti Venetiis annis 1547. & ſequentibus in 12. quorum editiones etiam in pretio .

bus exiſtimare aliquid poſſumus, Bembo a cæteris omnibus concedi, neceſſe ſit: (1) in iis eſt carmen de Caroli fratris morte: videor mihi hoc vere affirmare poſſe, neminem unquam tam plane, tam ornate, tam dolenter quemquam luxiſſe, atque illis Bembus verſibus fratris obitum lamentatus eſt. (2) Scripſit præterea volumina epiſtolarum aliquot, quarum paullo magis decoram video a nonnullis locutionem exiſtimari: ſuum cuique omnino judicium; eamque ob cauſſam difficillimum eſt, omnibus æque placere: nam, ut Theognis ait, laudatus a Platone poeta,

—— (3) οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς
Οὔτ' ὕων πάντας ἁνδάνει, οὔτ' ἀνέχων.

Mihi quidem, cum has epiſtolas cum iis, quæ a Græcis, Latiniſve ſcripta olim ſunt, contuli; valde hæ cum illis congruere videntur. Sed pollutas plerique lue quadam etiam nunc aures habemus; nec plane dum e vulgi fece enatavimus, atque emerſimus: paucos enim adhuc bonos auctores etruſca habuit lingua, quibus lectitandis noſtrorum hominum expoliretur, expurgareturque judicium. Itaque homines ornatæ, factæque orationis inſueti, nec pulchritudinem intelligunt, aut cernunt, & ſplendore ipſo præſtricti læduntur, præſertim qui in veterum Græcorum, ac Latinorum libris uſque adeo verſati, volutatique non ſint, ut illorum virtutes aut transferre ipſi in ſua ſcripta, aut in alienis agnoſcere non poſſint: atque etruſce quidem a Bembo ſcripta hæc ſunt. Latine vero de Ætna ad Angelum Gabrielem ſcripſit adoleſcens; quem video libellum illi poſtea ſeni non valde probatum fuiſſe: de Virgilii Culice, & Terentii fabulis librum unum: de Guido-Ubaldo Feretrio, atque Eliſabetha Gonzagia ad Nicolaum Teupolum librum itidem unum, qui valde doctis omnibus probatus eſt; a Gabriele quidem Færno, homine eruditiſſimo, atque hujus generis acerrimo exiſtimatore, in cœlum fertur. Sunt etiam Bembi, præter eas epiſtolas, quæ Leonis nomine ab eo ſcriptæ

1. *In iis eſt carmen de* Caroli *fratris morte*) Carmen hoc, vulgo *Canzone*, omni venere quam maxime comtum, ita incipit:

Alma corteſe, che dal mondo errante. Illud affert vir clariſſimus *Ludovicus-Antonius Muratorius* lib. 4. *de perfetta italica poeſi* pag. 465. & ſeqq. deque eodem ſic honorificentiſſime ſentit: *Per una Canzone funebre queſta ha de i pregi ſingolari, e può ſervire d'eſempio ad altre*, e c.

2. *Scripſit præterea*, &c.) Omnium *Bembi* operum, quæque latine, quæque italice ſcripſit, elenchus videri poteſt ad calcem ejus vitæ Tom. 2. Hiſtoricorum Venetorum, qui publico decreto ſcripſerunt.

3. Scilicet: *Jupiter enim neque pluens omnibus placet, neque pluviam ſuſtinens.*

Digitized by Google

ptæ ſunt, ſuarum quoque privatim epiſtolarum volumina; ac ſeorſum epiſtola de imitatione ad Joannem Picum libri prope inſtar, ſane perlegenda: ſunt præterea ejus verſus latini multi, dulces, eleganteſque, ut me quidem æque propemodum, ac veterum illorum poetarum ſcripta, delectent: ſcripſit etiam magna cura, magnaque aſſiduitate (1) civitatis ſuæ hiſtoriam, nudiuſculam illam quidem; eſt enim unum Cæſarem imitatus; ſed puram in primis, atque illuſtrem.

GA-

1. *Civitatis ſuæ hiſtoriam*) Cum in Gallia anno 1529. 5. id. Majas deceſſiſſet *Andreas Naugerius*, cui Decemvirum decreto rerum Venetarum ſcribendarum cura, qua *Sabellicus* deſierat, demandata erat: novo ampliſſimi ejuſdem collegii decreto idem negotium datum eſt *Petro Bembo*, qui tum Patavii totus in ſtudiis ſuis erat. *Bembus* ipſe in hiſtoriæ ſuæ limine mihi teſtis eſt. Per idem tempus & Marcianæ bibliothecæ cuſtos fuit, quemadmodum ante ipſum *Sabellicus*, ac *Naugerius*, quod in *Sabellici* vita ſatis docuimus. Vir clariſſimus *Victor Trincavellus* Venetus, nobilis philoſophus, ac medicus, anno 1536. cum *Bembo* Stobæum, græce editum Venetiis in fol. per Bartholomæum Zanettum, dicaret, non ſine maxima ejus laude bibliothecam publicam memorat ipſius curæ commendatam. Quas egerit *Trincavello* gratias *Bembus* ob inſcriptum nomini ſuo illius auctoris opus, ex ejus literis patet Patavio idib. Febr. anno 1536. quæ lib. 6. Famil. occurrunt.

GASPARIS CONTARENI VITA.

CUM Permultum inter laudationem, atque hiſtoriam intereſſe oportere facile intelligerem, propterea quod illa virtutis modo præconium quærit, hæc veritatis in utramque partem teſtimonium continet; ſæpe mihi de Gasparis Contareni vita cogitanti veniebat in mentem vereri, ne, ſi eam literis mandaſſem, laudare me hominem magis, quam, qui ejus vitæ curſus fuiſſet, narrare voluiſſe, multi arbitrarentur, qui cum commemoratum a me de illo nihil viderent, quod eſſet a laude ſejunctum, quæ reprehenſionem habitura fuiſſent, dedita opera a me prætermiſſa eſſe exiſtimarent. Sed cum laudatoris ſit, de cujus laude dicit, ejus bona verbis amplificare, aliquid etiam alieni adfingere; vitia oratione attenuare, aut etiam ſilentio præterire; in altero facile præſtare poſſum, ut hic meus commentarius plurimum a laudatione diſſentiat: nec enim ſermone noſtro Contareni virtutem augere conandum nobis eſt: in altero, ut de ejus vituperatione indicem nihil, non nos, ſed res ipſa laudationi perſimilem narrationem noſtram efficiet. Quod ſiqui erunt, qui cum plus de aliena virtute prædicari ſentiant, quam quantum de ſua ipſi ſibi polliceri ſoleant, aut ægre id ferant, aut orationi meæ fidem non habeant; ii ſic cogitare debebunt, dici hæc a nobis de eo, qui jam non ſit, quique cum ſuæ civitatis probis viris omnibus, tum aliarum gentium, exterarumque nationum clariſſimis quibuſque hominibus notus, beneque cognitus fuerit, quorum cum magna pars ſit ſuperſtes, nulla nobis cauſa eſt, cur de mortuo mentientes, tot vivorum, illuſtrium præſertim hominum, vanitatis, impudentiæque noſtræ teſtimonia colligere velimus: clarorum autem virorum laudibus favere potius, quam obtrectare omnes debebunt: mihi certe aut de Contareno tacendum fuit, aut de eo, ni mentiri forte maluiſſem, cum laude dicendum.

Venetorum civitas optime morata, optimeque conſtituta eſt: id ex eo intelligere licet, quod una temperatione, unis legibus, ſine ulla ſeditione, ſine ullo inteſtino malo, annos eorum reſpublica amplius mille manet; quodque a parvis initiis profecta ad eam opulentiam,

at-

Digitized by Google

atque ad id imperium, quod videmus, pervenit: complures urbes, eaſque magnas, atque florentes, ſocias, vectigaleſque habet: Corcyræ, Cretæ, Cypro, multis, magniſque inſulis, tranſmariniſque provinciis dominatur: claſſem inſtructam, paratamque habet, quantam nullus Rex, nullæ nationes valeant comparare. Ea civitas una omnium, de quibus memoriæ proditum ſit, libertatis, æquabilitatiſque maxime amans, maximeque retinens eſt: quippe quæ duriſſimis quondam Italiæ temporibus, ſervitutem fugiens, e continenti ſe ſe in undas, æſtuſque conjecerit; fortuniſque omnibus relictis, unam modo ſecum extulerit libertatem, atque in ea tuenda tot ſeculorum ſpatium verſata, ſtudium, voluntatemque uſu etiam, atque exercitatione corroboravit. Itaque libertatis fortaſſe nomen alibi quoque gentium invenias; libertatem ipſam puram, atque incorruptam, ab omnique metu vacuam, utinam aſpicere in aliis civitatibus, uti quondam fuerat, Deorum nobis beneficio aliquando liceat. Illud ſalutare inſtitutum mordicus a Venetis retentum eſt, ut reipublicæ attingendæ, præter quam iis, qui initio in civitatem convenerunt, quique germani Veneti, & tanquam aborigines ſunt, poteſtatem præterea facerent nemini; niſi ſiquando deliberata re, bene de republica meritis, ejus urbis inquilinis, aliiſve quibuſdam id jus nominatim ad hodiernum diem conceſſum eſt. Ex eo igitur priſcorum genere civium Aloiſius Contarenus fuit, cum prudens paterfamilias, & locuples, tum præſtans ſenator, & nobilis: atque is Polyxenam Malipetriam in matrimonio habuit, feminam primariam; ea, cum aliquot jam peperiſſet pueros, neque ii diutius viverent, ad amicas, æqualeſque dicitur rurſum prægnans retuliſſe; a quibus, ut ſunt pleræque mulieres religioſæ, admonita eſſe dicitur, uti qui natus eſſet puer, ei nomen imponeretur unum ex iis nominibus, quibus vocati ii reges ſunt, qui ad Chriſtum Deum noſtrum parvulum, ac lactantem venerunt: fore enim, ut vitalis eſſet. Cum ſalva igitur paucis poſt diebus peperiſſet, puerum nominari Gaſparem juſſit, qui primus ejus familiæ hoc nomine appellatus eſt. Is ubi adolevit, magna in eo ingenii indoles erat, magna ad literarum ſtudia propenſio: itaque facile Aloiſius pater conſilium, quod de puero ceperat, mutavit: mercaturis enim illum faciendis, reique augendæ, quippe cui multæ, atque amplæ multis in locis res, rationeſque cum multis eſſent contractæ, filium ſcilicet natu maximum Venetiis deſtinaverat: eſt enim fere in liberis civitatibus, mercaturis rem quærere, nobilitati quoque non modo non turpe, ſed, ſi bono modo fiat, etiam honeſtum. Verum ubi pueri ingenium, naturamque majus quiddam ſpectare, atque polliceri intellectum eſt, conſilium illud

Digitized by Google

Iud de mercatura funditus pater abjecit; neque ulla in re filii voluntati, ac ſtudio defuit. Is ubi quod ſatis eſſet operæ Antonio Juſtiniano, Laurentioque Bragadeno Venetiis viſus eſt dediſſe (nam ii publice a civitate conſtituti erant, qui juventutem in dialecticis, atque in philoſophia erudirent) Patavium profectus, Petro Pomponatio Mantuano, magno, nobilique philoſopho, in diſciplinam ſe ſe tradidit. Erat in adoleſcente naturæ vis peracris illa quidem, &, ut mihi videbatur, peracuta, ſed tamen neſcio quomodo magnitudine, & firmitate potius præſtans; &, quod maxime rem continet, ad ſapientiæ ſtudia accommodatum, & tanquam philoſophum inerat ingenium: memoria omnino valebat plurimum: huc accedebat animi, ac victus, vitæque totius conſtantia quædam, ut, quam ſemel inſtituiſſet rationem, de ea non defatigatione, non pigritia, non voluptate depelleretur. Opinio eſt, in omni vita re venerea illum omnino uſum eſſe nunquam; defixa mens ſcilicet in eo ſtudio, cui ſe ab ineunte ætate dediderat, eoque capta, atque alta, nihil præterea concupierat: itaque celeriter aſſecutus eſt, ut æqualium magiſter, grandiorum natu, magiſtrorumque tanquam æqualis, & compar haberetur. Certum temporis ſpatium, horarum ſane aud amplius trium, meditationi, & bibliothecæ attributum, & tanquam ſepoſitum habuiſſe dicitur, cui tempori nec unquam quicquam detraheret, nec fere adderet; qui reliquus erat dies in congreſſionibus amicorum, collocutionibuſque conſumebatur: eæ de literis ſcilicet erant, ut in ſuo ſtudio, ne cum vacare quidem videretur, ceſſaret; idque ipſum, nihil agens, ageret tamen, urgeretque propoſitum, & tamen animum a contentionibus relaxaret. Illud etiam narrari nobis ab eo ipſo meminimus, cum diceret, nunquam ſe in omni adoleſcentia commiſiſſe, ut mane aliquid poſtridie aggrederetur ediſcere, quin prius ea, quæ pridie percepiſſet, diligentiſſime reminiſcendo recordatus eſſet: vitandam enim aſotorum conſuetudinem ajebat, qui crudi ſe ſe tamen ingurgitant; quoque magis cibo replentur, oneranturque, minus virium, minus valetudinis habent. In eo igitur curſu cum ſedulitate magis, quam contentione, aut labore admirabiles progreſſus efficeret; atque eos, qui in eodem curriculo erant, longo intervallo antecederet, mortem Aloiſius pater obiit. Duodeviginti ille annos natus erat eo tempore: liberorum autem magnum ſane numerum, filios ſeptem, quatuor filias, præterea magna cum multis contracta, implicitaque negotia Aloiſius reliquerat. Atque odioſum omnino negotium eſt homini, in cogitationis, ac doctrinæ ſtudiis occupato, familiaris rei procuratio: ut minus mihi mirum videri ſoleat, Democritum, nobilem quondam philoſo-

phum, ut ea cura, eoque impedimento liberaretur, omnes fortunas ſuas, ſicuti literis proditum eſt, abjeciſſe. Veruntamen quamquam invitus, ac mærens diſcedebat a literis, tamen Patavio profectus eſt; atque eandem illam animi moderationem, æquabilitatemque adhibens, fratribus partim in Apuliam, partim in Alexandriam (ibi enim magnas ſocietates Aloiſius pater habuerat) diſtributis, partim Venetiis relictis, bene domi conſtitutis rebus, Patavium reverſus eſt; ſtudiumque, audquaquam longo intervallo a ſe intermiſſum, cupide renovavit. In ea urbe, doctiſſimorum hominum plena, ac liberalibus artibus affluenti, aliquot annos commoratus eſt; cum in principibus jam philoſophis numeraretur, atque ejus nomen plurimum in dies increbreſceret. Atque hoc loco poſtulari, exigique a nobis arbitrati ſumus, ut, qui ejus progreſſus, & quale tanquam iter ad percipiendas fuerit diſciplinas, demonſtraremus. A primis igitur Dialecticæ elementis profectus ſic omnem philoſophiam perluſtravit, ut illius ſingulas tanquam oras non viſeret modo, atque inſpiceret, quod plerique facimus, ſed in unaquaque etiam illius quaſi regione commoraretur, & habitaret: itaque illud aſſecutus eſt, nihil in ea ut arte ita copioſa, & magna, atque varia, tam eſſet magnum, atque arduum, aut tam minutum, atque parvum, quod ejus aut diligentiam lateret, aut fugeret intelligentiam; nihil autem tam abſtruſum, aut reconditum, quin promtum illi, expoſitumque, quamvis ſubito eſſet, atque ex tempore. Ejus nos rei permagnum quondam ſpecimen cepimus: nam cum Florentiæ forte eſſemus, qua ille Roma profectus iter in Germaniam habebat ad Cæſarem; erant in ea urbe cum alii complures in ea philoſophia, quæ de natura eſt, docti, atque exercitati, tum duo præter cæteros Petrus Victorius, & Franciſcus Medices, quorum erat utriuſque & natura admirabilis, & exquiſita doctrina; tum ſtudium ardens in utroque, ac peracre vigebat, flagranſque, & ſingularis in utroque induſtria: ſed alterius breve tempus doctrinæ augendæ, & declarandæ fuit; Victorius qualis vir, quantuſque jam tum eſſet, ea, quæ nunc eſt ejus doctrina, librique ab eo editi declarant. Ii per eos dies ad Contarenum ſane ventitabant, a quo nos quoque non fere diſcedebamus: hoc affirmare poſſum, cum omnis inter eos ſermo eſſet de phyſicis, nullius rei mentionem eſſe factam a ſummis illis viris, ingenio præſtantibus, animo vacuo, otio abundantibus, ſtudio incenſis, tempore paratis, a bibliotheca, & literis recentibus, quin eam Contarenus & memoria teneret, & intelligentia comprehenſam haberet, & oratione tam facile explicaret, quam quæ facillima ſunt. Præſtabat id non tam credo memoria, qua tamen valebat, ut antea di-

dictum eſt (natura enim quoque plurimum ille excellenti fuit) quam ipſa, via, ac ratione percepta, doctrina: ſic enim eum ipſum dicere ſolitum eſſe accepimus, non modo certam artium multarum inter ſe quandam naturalem eſſe diſpoſitionem, ut aliam alia ſuo quæque loco deinceps tanquam ſubſequatur, & cum priori poſterior quaſi coagmentetur; ſed unius quoque, ejuſdemque cujuſvis ſcientiæ ſiquis ordinem, & tanquam ſeriem conturbaverit, atque reſciderit, ad exitum perveniri non poſſe: magnoque in errore verſatos ſuperioris ætatis homines ajebat eſſe, qui multa properantes tranſilirent; aut ullam artem ediſcere ſe poſſe diſſipatam arbitrarentur, aut mutilam, atque hiantem: amputatis enim, interſciſſiſque diſciplinis progredi, perveniriqne ad ſcientiam non magis poſſe, quam interruptis iter pontibus confici. Unum autem omnino ſibi comitem, ac monitorem ad Ariſtotelis iter, multis ſæpe obſtructum difficultatibus, Thomam Aquinatem aſciverat, hominem non contentionis, ſed veritatis amantem, qui & ſubtilitatem habeat, nec ultra, quam par eſt, progrediatur acumine; atque idem articulatim, partiteque, ac diſtribute doceat. Doctus etiam græcis, latiniſque literis erat. Poetas Homerum, Virgilium, Lucretium, Horatium lectitaverat, atque didicerat. Itaque cum non artis factitandæ, ſed eruditionis, liberaliſque doctrinæ fruendæ cauſsa, philoſophiæ ſe dediſſet, omnes tamen artifices, magiſtroſque omnes non ſcientia modo, ſed fama quoque, & celebritate facile ſuperabat. Erat hominis vita, atque victus non tam excultus, atque expolitus, quam cum gravitate quadam ſimplex, ac lenis, placatuſque; oratio inculta illa quidem, atque inornata, ſed hoc ipſo, quod omni careret fuco elegans, ac cum auctoritate; nulla mollities, nullæ, ne in adoleſcentia quidem, animi, aut corporis deliciæ; ſermo nulla aſſentatione ſuffuſus, nulla animus malevolentia infuſcatus; & cum feſtivitas, lepoſque aud magnopere adeſſet, aberat etiam ruſticitas, atque triſtitia. Quin etiam hoc ab eo dici memini, devorare ſe ſe certorum hominum (qui in aliqua vitæ parte claudicarent) incommoda, aut etiam vitia ſolere, ſimul ac de bonis, quibus illi excellerent, aliquid deguſtaſſet. Ac cum Galeatius Florimontius, qui nunc Sueſſæ Epiſcopus eſt, vir cum omnibus honeſtis artibus perpolitus, tum præcipue caſtus, atque integer, tum religione, ac pietate in primis incenſus; in notandis autem, reprehendendiſque amicorum vitiis unus omnium maxime acer, ac liber, caſtigator nonnunquam etiam ſubamarior, atque is a Contareno in fratris locum diligebatur. Cum ille igitur, nobis audientibus, nequire ſe ſatis mirari diceret, illum, qui omnium eſſet mundiſſimus, ac ſaniſſimus, cum hominibus

quibuſdam ; quos ipſe appellabat, id quod nobis minime neceſſe eſt, qui turpitudine aliqua tanquam morbo adfecti, atque inquinati haberentur, tam ſæpe conflictari. Quæ ille cum ſane commotus, ac ſtomachans diceret: Quid nos, inquit Contarenus, nunquamne abſinthio, aut ſcamoneæ radice curari nos patimur? Quidni? inquit ille. Ergo, inquit Contarenus, earum potionum exſorbemus ſapores teterrimos, ut ſucco epoto, illius juvemur vi ſalutari; horum vitia, ſiqua ſunt, non devorabimus, & tanquam amaritiem perferemus, atque exſorbebimus, ut illorum tanquam veſcamur virtute, atque alamur bonis? quid autem ipſis nobis fiet, ſi amandum ſtatuerimus, niſi qui perfectus, abſolutuſque fuerit, eſſe neminem? laudare ſe, quod in quoque probaret, libenter, ajebat; quod reprehenderet, vituperare non ſe neceſſe habere. Hanc animi æquitatem, hanc tam præclaram maximarum artium doctrinam alia longe iis majora bona decorabant; ſumma integritas, ſumma innocentia, pietas, non hæc, quæ facie, motu, amictu commendatur, quam in multis cernimus, ſimulata, & ſpecie, atque oratione hominum opinionem captans, ſed ſolida, nuda, ſinceraque, in mente, atque in animo inerat: quibus ille rebus inſtructus, cum magnum ejus eſſet nomen, magnaque non ſolum laus, ſed etiam admiratio, aliquanto citius, quam conſtituerat, Patavio deceſſit. Nam cum omnis prope dixerim terrarum Orbis eo tempore contra Venetos conſpiraſſet, teterrimumque ei civitati bellum intuliſſet, afflictis Venetorum opibus, Patavio ipſo obſeſſo, nec multo poſt amiſſo, maturius omnino, quam in animo habebat, invitus, nondum diſcendi ſiti ſcilicet expleta, domum ſe ſe recipere coactus eſt. Erat ejus ætas nondum firmata, ut reipublicæ operam navare poſſet: itaque in iis ſe ſe ſtudiis aliquot annos continuit, cum ejus domus tanquam bonarum artium gymnaſium quoddam ab iis, qui doctrinæ deſiderio tenebantur, frequentaretur. Veruntamen ad rempublicam ubi primum acceſſit, ejus ingenium, quod de Hortenſio eſt memoriæ proditum, tanquam Phidiæ ſignum, ſimul aſpectum, ac probatum eſt: itaque cum tres & triginta tum haberet annos, a civitate ad Cæſarem Carolum hunc V. in Germaniam Orator (ſic enim Veneti appellant) eſt miſſus. Legationis munus magnam apud Venetos habet dignitatem, magnam ad ſummos honores, magiſtratuſque adipiſcendos commendationem, ſæpeque a multis una petitur, & in comitio ſuffragiis Oratores magna ambitione creantur. Gerebat illis temporibus in Italia bellum Cæſar cum Rege Galliæ, cum quo illi antea quoque continentia bella interceſſerant, atque cum eo Pon. Max. Leo X. ſe ſe conjunxerat: cum Rege Veneti conſpiraverant, atque

omnis

omnis impetus belli ad Mediolanum conſederat : nam eam urbem Gallis, Venetiſque defendentibus, Cæſaris, ac Leonis copiæ oppugnabant. Ad eum, quicum bellum ſuæ erat civitati, planeque ad hoſtem ire ſe Contarenus intelligebat, apud quem exploratoris, non legati locum obtinere eum neceſſe eſſet, atque ipſa res cogeret. Accedebat etiam, quod Cæſarem, quibuſcum inimicitias exerceret, iis ſolere eſſe amariorem audierat; illiſque maxime, qui Gallorum faverent rebus. Itaque animo ſane commoto ad Cæſarem adiiſſe dicitur: nam & ſponte ipſe ſua verecundus, ingenuo quodam, quod tamen ſine ſegnitia eſſet, pudore fuit. Verum eadem illa doctrinæ, caſtitatis, ingenuitatis, innocentiæ opinio, multo ante ejus adventum ad exteras quoque nationes perlata, Cæſaris illi animum, voluntatemque conciliaverat: nam amare ille plurimum ingenuos, apertoſque hominum animos dicitur. Itaque ut ſemel in primo illo, qui ei cum Cæſare fuit, congreſſu, hilari vultu acceptus, & comiter appellatus eſt, facile ad eum deinde ſemper aditus habuit; & illo, quamquam civitati erat iratus, non modo pacato, ſed etiam propitio uſus eſt. Ac paullatim cum eam, quæ antea de ſe fuerat, opinionem magis ac magis in dies confirmaret, atque augeret, jam ipſi Cæſari non modo gratus, ſed etiam familiaris erat. Itaque cum certior factus eſſet, Gallorum, Venetorumque copias in Inſubribus fuſas, ſuperataſque, Gallos ex oppido eſſe expulſos cæde, & fuga ſuorum, qui eam rem nuntiarent Contareno, miſiſſe dicitur, atque iis præcepiſſe, ut de incommodo, quod Veneti accepiſſent, reticerent, neque illorum copias in eo prælio dicerent interfuiſſe: eam in illo ſe ſe corporis imbecillitatem aſpicere, ut excruciari eum illam noctem, ſuæ tanta illa patriæ clade nuntiata, nolit. In Hiſpaniam Cæſar conſtituerat reverti, neque per Gallorum fines, qua proximum erat iter, quod exercitum non habebat, ire poterat: itaque per Belgas profectus ad Oceanum perrexit, atque ibi navibus conſcenſis in Britanniam appulit, pauciſque intermiſſis diebus rurſum naves ſolvit, atque in Hiſpaniam contendit. Toto hoc itinere eum Contarenus proſequutus eſt, cumque in Hiſpaniam perveniſſent, biennium apud eum eſt commoratus, atque in ea Legatione omnino quinquennio conſumto Venetias rediit, cum illud re confirmaſſet, quod a Græcis quibuſdam poetis mandatum verſibus video: Magnam gratioſi nuntii eſſe utilitatem. Nam cum omne id temporis ſpatium inimico inter ſe animo Cæſar, & Veneti eſſent, ac fere continenter bello inter ſe contenderent; multa ille tamen ob eam, qua ſuo nomine erat apud Cæſarem, gratiam obtinuit; multa ſuæ civitatis mandata confecit; magno quoque uſui rei-

publi-

Digitized by Google

publicæ fuit; ſimulque illud eſt aſſequutus, ut multarum, magnarumque rerum diuturna tractatione, ac conſuetudine, tot nationum naturis, moribus, inſtitutis cognitis, atque perceptis, magnum rerum agendarum uſum, magnamque haberet prudentiam. Itaque cum diligentiam, operam, curam, prudentiamque ſuam civitati mirifice probaſſet, abſens & in ſenatum lectus eſt: qui honos Venetorum legibus non fere diuturnior anno, & menſibus quatuor eſt: & quod olim, exiguis etiam tunc civitatis rebus, precibus rogandi erant, qui, domeſticis ſuis relictis negotiis, ad conſilium de publicis capiendum convenirent, Rogatorum concilium appellatur: ejuſque permagna & poteſtas eſt, & dignitas; quippe cui omnis reſpublica permiſſa ſit, viciſſimque in hac civitatis amplitudine, ac dignitate clariſſimis quibuſque civibus ſummis opibus, ſumma contentione expetitur. Magnæ præterea auctoritatis eſt in ea civitate magiſtratus, cui ab eo nomen inditum eſt, quod præcipua, magna, atque ampla procuratio demandata illi eſt ærarii, ac vectigalium, quæ in continenti Veneti magna, atque ampla habent: nam eum magiſtratum illi Sapientes terræ firmæ appellant: hanc quoque poteſtatem Contarenus ſtatim renuntiata legatione, maxima totius civitatis voluntate, omnibus ſuffragiis adeptus eſt. Habuit de ea ipſa legatione, more majorum, orationem in ſenatu uberem, ac plenam, cum de Cæſaris ingenio, voluntate, inſtitutis, opibus, copiiſque diſſereret; earumque nationum, ad quas adiiſſet, mores, leges, facultates, conſilia exponeret: quæ cum ab eo diſtinctius ſcilicet, atque eruditius dicerentur, quam Venetorum hominum aures audire ad eam diem conſueſſent; tanta diligentia, tantoque ſilentio, atque attentione audiebatur, ut vocis bonitas, qua ille ſane exili fuit, non magnopere deſideraretur. Non ſum vulgi opinionis, judiciique neſcius: arbitrantur enim, philoſophiam hominum, vitæque hujus communis quaſi corruptelam eſſe quandam; atque eos, qui in ſtudiis cogitationis, ac doctrinæ, paullo ulterius progrediente ætate, verſati ſint, homines in ſolitudine, atque in angulis educatos, curiæ lucem aſpicere, aut in hujus civilis turbæ, ac fori ſtrepitu, & concurſatione, & in rerum agendarum tumultu, & tanquam acie, ſine magna animi titubatione negant auſuros eſſe conſiſtere, hominum conſuetudinis imperitos, legum, morum, ſermonum, voluntatumque ignaros, atque a communi vita, & hominum ſenſibus, victuque longe multumque abhorrentes: ſic vulgo exiſtimant. Sed falluntur ſane, multoque id aliter evenit. Nam, qui tanquam inermes, ad prælium, & pugnam; ſic nullis, aut levibus doctrinæ præceptis, quaſi armis, inſtructi ad rempublicam accedunt, ii artem, quam facere intendunt,

unam

unam quidem omnium maximam, ac difficillimam, reipublicæ, patriæque periculo diſcere coguntur; atque, ut in vetere Græcorum proverbio eſt, dolio faciendo figlinam aggrediuntur percipere; idque ipſum de malis auctoribus, magiſtriſque ſane inſciis, atque improbis, vulgo, & foro. Quamquam nobilitari homines iidem Græci in foro ajunt: qui ſi hoc ſentiunt, virtutem, ut majore in luce poſita, locataque ſit, ita magis magiſque ſplendeſcere, atque illuſtrari, ipſi ſane videant, ubinam eam potiſſimum in bono lumine collocent: ſin illud præcipiunt, a populo bene vivendi rationem, tuendarumque civitatum diſciplinam peti oportere, aut in foro cum reliquis mercibus expoſitam virtutem venire, næ ego, mihi locum modo demonſtrari, magno emere poſſum. Sed non eſt ita. Nam ſponte quidem ſua aut prudentiam hominum animus, atque ingenia non magnopere gignunt; aut hujus nobis ætatis tanquam ſterilitas quædam vehementer lamentanda eſt: quibus autem opinionibus imbutæ eorum mentes, & tanquam conſitæ, ad remp. e populi diſciplina, & quaſi cultura prodire ſoleant operæ pretium eſt attendere. Nam ii, qui animum philoſophiæ præceptis excoluerunt, regendarumque civitatum artem edidicerunt; neque timidi ſunt, quod ſcientia earum rerum, quas quiſque tractet, animum addere, non adimere ſolet; neque audaces, ac temerarii, quod ſtultitia, ac temeritas plurimum ab arte, ac ſapientia diffident. Reipublicæ vero gubernator ille de populo nec ignaviam a verecundia ſegregare, neque præcipitem, aut pertinacem civem ſejungere a forti, atque conſtanti magnopere novit, niſi uſu demum, atque experientia doctus, cum ſæpe lapſus, ſæpe deceptus multa in rep. offenderit, & civitatis periculo, ac detrimento (ut antea a me dictum eſt) prudentiam didicerit. Philoſophia autem, quæ vel maxime in effingendis, atque ad virtutem conformandis hominum ſenſibus, atque motibus occupata ſit, &, utut illi morati tandem ſint, quemadmodum cum iis conflictari non incommode queamus, vias, rationeſque tradat, neque ab hominum abhorret moribus, & qui ſit optimus reipublicæ ſtatus, intelligit, & quibus artibus inclinatæ, ruenteſque civitates ſubleventur, tenet; & ad eas, quæ non optimis inſtitutis, ac legibus temperatæ ſint, accommodari ſe ſe tamen non recuſat; remediaque temporum, locorum, caſuumque incommodis adhibet ſalutaria: eadem multa de hominum vitiis, quæque eorum cautiones ſint, præcipit: eadem qui cuique ætati, cuique fortunæ, cuique animi, aut corporis affectioni mores, ſenſuſque comitari ſoleant, commonet. Ad eam doctrinam tam fructuoſam, tamque opimam ubi uſus quoque, atque exercitatio acceſſit, tum vero præclari illi, ac ſingula-

Digitized by Google

gulares cives exſiſtunt : qualis vel in primis Contarenus ſua in republica fuit : qui cum ingenuarum artium in gremio educatus, & tanquam philoſophiæ alumnus quidam, ad agendum deſcendiſſet, maximoque ſibi uſui ea præcepta, quæ olim imbiberat, eſſe intelligeret, ſuos cives hortari non deſiſtebat, ut ea perveſtigarent, quæ de naturis humani generis, deque rerumpublicarum gubernationibus à Philoſophis explicantur. Nec vero occultabat hoc ipſe de ſe: nam a principio, cum primum in Senatum lectus fuit, ſæpe factum eſſe ajebat, ut, in ſuggeſtum aſcendere ſententiæ dicendæ cauſſa cum cuperet, auſus non ſit; quod pudore quodam, & rei inſolentia retraheretur: eamque rem magno ſibi dolori eſſe ſolitam; itaque in animo habuiſſe, niſi cum animi timorem, ac verecundiam pervinceret, ad rempublicam poſthac non accedere, ſuumque locum aliis conceſſurum, quibus ad dicendum animus non deeſſet: nec enim verum eſſe, fortibus, ac ſtrenuis civibus ab ignavis, timidiſque locum præripi. Verum nihil neceſſe fuit, talis civis prudentia, ac conſilio remp. privari: nam paucis menſibus, cum ſe ſe animo facile confirmaſſet, ſic ſententiam dicebat, ut neminem magis prudenter, magiſve compoſite loquutum unquam fuiſſe conſtaret. Docebat ille quidem verbis, quam maxime poterat, propriis, cum partite, ac diſtincte, tum memoriter, ac copioſe: animos autem cum oratione minime conaretur impellere, auctoritate ipſa vehementer permovebat, & fide; lingua celeri, ac volubili leporem, atque ornatum illum oratorium neque adhibebat, neque adhiberi æquum eſſe cenſebat: animos enim civium inflecti, atque incitari, quo maxime tempore ſedatos, rectoſque eos eſſe oporteret, cum conſilium capturi de republica eſſent, turpe, atque inutile eſſe exiſtimabat: eoſque, qui magno quodam conatu orationis vim ad ſenſus, atque impetus animorum, & motus commovendos admoverent; ſi id ſuæ privatæ utilitatis cauſſa ſuſciperent, improbe; ſi reip. cauſſa, arroganter ſine controverſia facere ajebat; quod tantum ſibi ſumant, ut non communi remp. conſilio regi velint, ſed ſuo; quamque ipſi probarent ſententiam, in eam cæteros cives non adducere, ſed compellere ſtuderent. Eodem tempore Contarenus Brixiæ Præfectus renuntiatus eſt: cum magiſtratum Capitaneum Veneti appellant: quo cum proficiſci cogitaret, jamque impedimenta impoſita in lintrem haberet, repente horribilis nuntius adfertur, Romam a Cæſaris militibus captam, Pontificem Max. in arcem compulſum, urbem ipſam diripi, ac vaſtari: quibus rebus Venetias nuntiatis, magnus ſubito cum dolor, tum etiam terror invaſit. Itaque mutato conſilio Contarenus, cum vereretur aliis armis Brixiam egere, quam quibus ſe ſe ipſe

aſſue-

aſſuefecerat, conſilio, atque auctoritate, eum magiſtratum recuſavit; atque interim otium a rep. nactus, ſtudiis ſcilicet ſuis illis priſtinis obſequebatur. Bellum, cum gravis hæc plaga accepta eſt, cum Cæſare Veneti, ac Clemens VII. Pont. Max. communiter gerebant; ſed totius imperii ſumma tradita erat Franciſco-Mariæ Urbinatium Principi, quem illi Ducem appellant; eum Veneti ſuarum copiarum ſeorſum ducem habebant; nam civem terreſtres copias ducere per leges non licet: ac cum deditione facta, Clemens jam complures menſes in cuſtodia a Cæſaris militibus aſſervaretur, cumque Urbis depopulandæ, vaſtandæ, incendendæ modum homines feri, ac barbari ſibi ſtatuerent nullum; (cui rei Cæſarem, quod longe abeſſet gentium, cum maxime cuperet, negant potuiſſe occurrere) commoti rei indignitate, atque acerbitate Chriſtianorum Principes plerique omnes inter ſe de Pont. Max. e cuſtodia educendo conſpiraverunt: ejus rei cauſſa concilium Ferrariæ indictum eſt, quod Alfonſum Eſtenſem, qui ejus urbis imperium a majoribus acceptum eo tempore obtinebat, maximi animi hominem, reique militaris peritiſſimum, adjungi ſibi vehementer ſtudebant: a quo cum propter conſilium, ac virtutem, tum propter oppidi opportunitatem, opes, bellique inſtrumenta, quibus ille abundaret, earumque rerum omnium facultates, quæ ad bellum uſui erant, multa, magnaque auxilia ſubminiſtrari ſibi ad id bellum intelligebant poſſe. Eo Galliæ, Britanniæque Reges Legatos miſerunt cum mandatis homines nobiliſſimos: idem & ii, quibus Pontificis Max. ſalus privatim curæ erat, fecerunt, & Mediolanenſis Dux Franciſcus Sfortia. Eodem Veneti Contarenum mittunt: maxime enim eorum reipublicæ intererat, eam confici rem; propterea quod cum Pontifice, quemadmodum dictum a me eſt, ſocietate, & fœdere conjuncti, continentibus bellis, non longe ab ſuis finibus, cum Cæſare contenderent. Eo concilio peracto, atque aud ita multo poſt Pontifice liberato, ad eum Contarenus, ſuæ civitatis juſſu, Legatus profectus eſt. Magna erat eo tempore omnium rerum perturbatio, magni Galliæ, Italiæque totius videbantur motus impendere; quod & Clemens ipſe iniquiſſimo animo contumeliam, quam acceperat, ferre exiſtimabatur, quod per pacis ſimulationem circumventus in hoſtium poteſtatem veniſſet; quod ſuperbe, crudeliterque tractatus, & in deditionem receptus tamdiu in cuſtodia fuiſſet retentus; atque ad extremum quod non dimiſſus, ſed elapſus e manibus, & catenis eſſet; quod omnia exempla, cruciatuſque in ſuos editi Romæ, atque in omnibus vicis, & oppidis eſſent. Accedebat, quod Florentini Hippolytum, atque Alexandrum Pontificis fratrum filios, qui ipſius potentia in ea urbe imperium

Digitized by Google

antea obtinuiſſent, e civitate ejecerant: quod ille graviſſime, atque indigniſſime ferebat: ejus dolor quam in partem erumperet, exſpectabatur ab omnibus. Eadem Galliæ Regis cauſſa erat, atque conditio: nam & bello ſuperatus, captuſque, tantum ſe de vetere virtutis opinione, deque bellica gloria deperdidiſſe, maximo erat illi dolori; & ſui, liberorumque ſuorum mercatu (ut ipſe exiſtimabat) nundinatione-neque illa Cæſaris, hoſtili ſcilicet in eum odio exarſerat. Tum Veneti multis de cauſſis Franciſcum Sfortiam in regnum reſtitui volebant; atque eam rem ad ſuam remp. magnopere pertinere arbitrabantur. Quibus omnibus rebus efficiebatur, ut in tanta animorum incitatione, & diſcordia renovari in Italia bellum neceſſe eſſe omnibus videretur. Interim Clemens cum Cæſare in gratiam redierat, amicitiamque conciliaverat; & quo liberius in patriam iracundiam exercere poſſet, juſtiſſimas ſuas in Cæſarem minuerat inimicitias, & ſuas illi injurias aut condonaverat, aut viciſſim, pacis ſimulatione, idoneum doloris ſui ulciſcendi tempus exſpectabat. Atque cum Cæſaris duces, & exercitus illius nomine Florentiam oppugnarent, faciendum ſibi eſſe exiſtimavit, ut propius ipſe accederet: itaque Bononiam ſe ſe contulerat. Eo Cæſar quoque ex Hiſpania venit, ut a Pont. Max. cujus unius ea poteſtas eſt, diadema, cæteraque Imperii inſignia acciperet; atque ei advenienti cum obviam Contarenus extra urbem proceſſiſſet, dicitur, eum Cæſar per quam longo ſane intervallo a ſe viſum agnoviſſe, atque iis oculis, eaque vultus hilaritate eum aſpexiſſe, ut id a multitudine, quæ viſendi cauſſa prodierat, & omnes vias oppleverat, animadverteretur; atque ex ea re conjectura fieret, rem inter Cæſarem, & Venetos conventuram: id quod exitus comprobavit. Nam præter omnium opinionem, in tanta animorum incitatione, & diſcordia, tot ultro citroque illatis, acceptiſque injuriis, ac detrimentis, cum pacificationi locus vix ullus videretur eſſe relictus, receſſum tamen ab armis eſt, paxque inter omnes conſtituta. Quæ res per Contarenum acta magna ex parte, & confecta, cum ſuæ civitati gratiſſima, atque optatiſſima accidiſſet, mirifice ejus & gloriam, & auctoritatem auxit, ut nullam rem tantam, aut tam difficilem eſſe cenſerent, quin eam ille animo, & cogitatione ſuſcipere, & conſilio tueri, & auctoritate, atque induſtria conficere poſſet. Memoria teneo, me Romam illis temporibus veniſſe: tantus erat omnium, qui in ea urbe tunc aderant, de Contareni doctrina, prudentia, continentia, pietate conſenſus, tantaque admiratio, ut non amarent modo eum, qui tunc erant civitatis principes, ſed etiam vererentur, & colerent. Atque omnino multa præclare legibus ſancita ſunt apud Venetos; in his, quod vetantur Legati

gati

gati ab his, ad quos miſſi ſunt, ulla aut munera, aut beneficia accipere; quod utinam aliæ quædam civitates aut reperiſſent, aut repertum a Venetis imitari ſaltem vellent; ne ſuos cives (id quod uſu fere evenit) pleroſque foris venales, domi hoſtes haberent: quamdiu enim abſunt, neglecta, quam ſuſceperunt, reipublicæ cura, a quibus locupletari ſe ſperant, eorum gratiam aucupantur, atque iis ſe ſe venditant; iidem domum reverſi, beneficiis, ac muneribus alligati, atque devincti, quam patriæ caritatem debent, eam alienis, ſæpe etiam hoſtibus, præſtare, ac perſolvere coguntur: ita dum alii aliorum aut Regum, aut Nationum rem gerunt, deſerta nimirum a civibus publica res eorum jampridem labat, & corruit. At Contarenum eæ civitates, apud quas magna cura, ſummaque fide, ac diligentia rem ſuam publicam geſſit, præclariſſimis muneribus donaverunt: tot enim, tamque variarum gentium conſtantiſſimo conſenſu mirifice probatum, ſummoque laudatum opere, maxima dignitate, exiſtimatione, gloria muneratum, ditatumque domum dimiſerunt. Severiſſimis legibus Venetiis ambitus conſtrictus eſt; ſuffragium ne per ſe, neve per alium quemquam rogent interdictum eſt: itaque cum a civitate ipſa univerſa, non a ſingularibus civibus nominatim, petendi magiſtratus ſint, idque ſæpe (iidem enim eoſdem magiſtratus, certis intermiſſis temporibus, crebro gerunt) una virtute nixam omnium civium ambitionem eſſe oportet; ut qui ſæpiſſime ampliſſimas dignitates adepti ſint, ii non amicorum, aut propinquorum diligentiæ, aut tenuiorum hominum officii, aut etiam fortaſſe avaritiæ, ſed ipſius reip. certiſſimum de ſe teſtimonium habeant: nam multis locis reprehendendi erroris ſui civitati facultas datur: itaque ſæpe uſu venit, ut, qui ſemel primo aliquem honorem cunctis ſuffragiis aſſecuti ſint, iidem, iterum petentes, repulſam ferant. Quo major eorum civium ſplendor eſt, qui omnium dignitatum curſum, & tanquam ſpatia, & circuitum iterum, & ſæpius ſine ulla offenſione confecerint, ii clariſſimi apud civitatem ſunt; iis honos ab omnibus ætatibus, omnibuſque ordinibus habetur; ii, cum opibus, & potentia ne infimos quidem cives antecedant, dignitate, exiſtimatione, auctoritate, gloria anteferuntur omnibus: eadem eſt enim civium omnium, parque ſpecies; una toga, eaque ſimplex; nullus omnino non modo comitatus, ſed ne comes quidem; ut primi civitatis (ſiquis illorum conſuetudinis ignarus intervenerit) uni de multis facile videri poſſint. Sed ii, quoquo venerint, ſalutantur, appetuntur; iis in viis deceditur, obviam itur; in curia, in foro aſſurgitur; ut mihi virtus nudata phaleris omnibus, & adventitiis ornamentis exuta, in una ea civitate ſua ipſa pulchritudi-

Digitized by Google

ne, & lumine nitere, ac ſplendeſcere ſemper ſit viſa. Prorſus viſendæ Venetiæ ſunt, non propter urbis modo eximiam pulchritudinem, novitatemque antea inauditam: etenim maximam, formoſiſſimamque urbem, in mediis excitatam æſtibus ſe ſe e fluctibus erigere, quis non miretur? naves onerarias maximas, paſſim ad privatorum januam religatas, triremes in plateis navigantes, quis ſine magna admiratione, ac voluptate aſpexerit? Mihi quidem ſic videtur, hanc profecto urbem ſi conſpicata modo eſſet antiquitas, Neptunum nimirum aliquem ex profundo, ac latebris excitaſſet, atque eum celſiſſima illa tecta ſtruentem, ac fabricantem feciſſet: qui tametſi nullus ſcilicet unquam fuit, tamen ſi ſit, aut eſſe ſi poſſit aliquis, nullum illi attribui munus, aut opus illa urbe præclarius poſſet, aut quod magis divinæ conveniret naturæ. Sed hæc oculorum, illa animi ex ejus urbis cognitione voluptas capitur, ut equidem ſentio, vel maxima, quod unæ dominantur apud eos leges: iis & magiſtratus obtemperant, & cives æque ad unum omnes: atque eo uſque mihi potentiam exſecrata prudentiſſima civitas videtur, ut neminem unum ulli magiſtratui præeſſe paſſa ſit; terni, quini, ſeni, deni imperia, poteſtates, ſingulos magiſtratus gerunt: ut non ſolum domini os, quo nulla tetrior, nulla oculis deteſtabilior objici ſpecies poteſt, aſpiciendum civibus non ſit; ſed ne domini quidem imago, & ſimilitudo, aut effigies. Quamobrem ſpectatum exteræ nationes alacri animo Venetias eant; nec urbis modo cauſſa, quod dicere inſtitueram, ſed vel maxime civitatis, pulcherrimo totius orbis terrarum ſpectaculo ſe ſe ad eam diem caruiſſe profecto intelligent.

Poſtquam Roma Contarenus rediit, confeſtim ad ſummos honorum gradus ſine ulla dubitatione, vel controverſia elatus eſt: nam & maturius, quam civitatis conſuetudo antea tuliſſet, ſapiens magnus factus eſt, & conſiliarius, qui duo magiſtratus ſummi apud Venetos ſunt; neque dubium erat, quin, ſiquis ex Divi Marci Procuratorum collegio demortuus eſſet, ejus Contarenus in locum ſubſtitueretur: ea una procuratio perpetua Venetorum legibus eſt: id unum ad honorum perfunctionem Contareno abfuit. Itaque ſic in republica verſabatur, ut etiamſi literas omnino non didiciſſet, illuſtriſſimum tamen civitatis locum obtinere eum neceſſe eſſet; ſic autem doctrinæ gloria celebrabatur, ut, tametſi rempublicam attigiſſet nunquam, civium omnium, qui fama, ac nomine excellunt, clariſſimus ſuo tamen nomine fuiſſet futurus. Accedebat chriſtianæ theologiæ ſingularis quædam, atque exquiſita cognitio; eaque non ſcientiæ modo, aut oſtentationis, diſceptationiſve, ſed vitæ, ac diſciplinæ cauſſa comparata: ad ejus enim

præ-

Digitized by Google

præcepta animum, mentemque referens, omnes ſuas cogitationes, conſilia, actiones, vitam denique omnem conformaverat, atque direxerat, ut non modo ad *Philoſophorum* regulas bene, beateque, ſed etiam ad Chriſtianorum divinum hoc præſcriptum pie, ſančteque viveret. Eſt Venetiis quidam, quaſi Romanorum, qui quondam fuit, campus ille, atque comitium, quod magnum ab illis concilium nominatur: ad id concilium omnes, quibus ferre ſuffragium per ætatem licet, ſtatutis diebus conveniunt; ibi cum Contarenus forte eſſet, conſiliarius, cuſtoſque poſitus ſortibus, quibus Veneti in petendis magiſtratibus utuntur (nam quorum ſors exiit, ii pronuntiant quem potiſſimum ſua ſententia ei magiſtratui, cujus comitia habentur, gerendo idoneum eſſe exiſtiment) itaque mirifico caſu accidit, ut ibi cum eſſet, in univerſæ civitatis conſpectu, atque oculis, publice Roma allatæ literæ ſint, in quibus res omnibus nova, omnibus inopinata, illi quidem certe ipſi prorſus incredibilis, ſcripta eſſet; cooptatum Contarenum a Paullo Pont. Max. in Cardinalium collegium eſſe. Legerunt eas inter ſe literas primum ejus collegæ, a quibus ſatis magno interpoſito ille intervallo, ad ſortium urnas, ut dixi, aſſidebat. Itaque excepta inter legendum vox ab iis, qui proximi conſederant, ſuſurro primum, & rumore dubio, bonam evenire, felicem, fauſtamque eam illi dignitatem precante, ad aures Contareni profluit; ille vero reſpuere, nec adduci poſſe, ut eam ſibi rem narrari ſaltem pateretur, atque omnino ne aures quidem ad audiendum præbere. Verum recitatis palam literis magna univerſæ frequentiæ approbatione, ac lætitia, inter ſe collocuti conſurrexerunt collegæ, atque ad eum cum magna cum lætitiæ, tum etiam obſervantiæ ſignificatione adierunt; quod ille cum vehementer commotus recuſaret, ac ſe ſe id ætatis ad aliud vitæ genus negaret poſſe traduci, ad curiæ veſtibulum ab iis, univerſo eo concilio comitatus, deductus eſt. Cumque collegæ, hominis honeſtandi ſtudio, domum reducere eum ſumma contentione pergerent, prorſus non tulit. Erat eo tempore inter collegas Aloiſius Mozanigus, grandior natu vir, qui apud civitatem gratiſſimus cum eſſet, princepſque conſilii publici haberetur, ſæpe a Contareno de republica diſſenſerat: is ad eum gratulatum cum aliis non adiit, credo, quod pedibus erat admodum infirmis; hic clara voce, ut a cuncto exaudiretur ſenatu, rei novitate percitus, adjurans, cum frontem feriret, ac Paullo malediceret, adfirmaſſe dicitur maximam ab eo civitati injuriam fieri, quod eam cive privaret, quem illa unum omnium habuiſſet optimum. Conſilio dimiſſo (id enim is conventus nomen habet) univerſa civitas domum ad Contarenum læta, atque alacris confluere cœ-

cœpit: ille vero ſuſpenſo animo, incertuſque etiam nunc quid ageret, minus multo erat, quam cæteri, hilaris; nec mehercule injuria: quid enim honos ille homini in re ſua familiari ampla, atque illuſtri, in republica principi, in toto orbe terrarum claro, atque nobili, afferebat, præter moleſtias, ac labores? Mutanda vitæ, victuſque quinquageſimo demum anno ratio tota, & conſuetudo; ſuæ civitatis dediſcendi mores, alienæ ediſcendi, aud parum quidem ab ea, ad quam ille ſe ſe exercuerat, diſciplina abhorrentes; vivendum ad unius hominis non ſemper prudentiſſimi pene arbitrium, atque nutum; comitatus magni alendi, ſæpe diu eodem cenſu; aliæ cogitationes, conſilia, inſtituta, officia, actiones, perſona ſuſcipienda prorſus alia. Sunt hæc homini æquabilitatis, ac dignitatis potius, quam potentiæ, atque opum cupido, incommoda vehementer, odioſa, gravia, ac moleſta; præſertim ſiquis ante partis honoribus tanquam exſaturatus, & parta jam gloria contentus eſt. Sæpe mihi narravit vir omnium clariſſimus, atque graviſſimus, quem Romæ his paucis annis a ſua civitate Legatum, ſumma apud duos Pontifices Max. auctoritate, ſummaque gratia vidimus, Paullum, & Julium Tertios (in utriuſque enim tempora ejus legatio incidit) Matthæus Dandalus, ſe ſe, cum vehementer auctor Contareno fuiſſet ejus honoris accipiendi, qui non ab eo expetitus, ſed ad eum delatus eſſet, magna contentione, ratiocinandoque vix ægre ad extremum homini perſuaſiſſe, ne committeret, ut Paulli conſilium, in quod non ille temere incurriſſet, ſed ſine ulla dubitatione duce Deo deveniſſet, aſpernari videretur, præſertim his reip. Chriſtianæ temporibus: multos enim fore, qui eam rem aliorſum acciperent, atque ille faceret; quique in Romanam Eccleſiam impietatis, ſceleriſque nefarii Gaſparem Contarenum, virum unum omnium maxime pium, maximeque religioſum, ſubſcriptorem habere gloriaturi, ſe ſeque in eo impudentiſſime jactaturi eſſent; quippe qui, cum a Pont. Max. ne beneficium quidem accipiendum ſibi eſſe ſtatueret, quod de cauſſa illa tota judicaret nemini dubium relinqueret. Hæc cum Dandalus diceret, adderetque, eos, qui Contareno æquiſſimi futuri eſſent, ſuſpicaturos tamen eſſe non ob animi magnitudinem, atque æquabilitatem, tantam illum dignitatem a ſe removiſſe, ſed propter imbecillitatem, atque ignaviam defugiſſe; pervicit homo gravis, atque eloquens, omnique neceſſitudinis genere cum eo ab adoleſcentia conjunctus, cum propter affinitatem, tum præcipue propter morum, voluntatum, ſtudiorum ſimilitudinem, ut dubitantem confirmaret, atque in ſuam ſententiam diu multum cunctantem, ac tergiverſantem perduceret: qui maximam partem eorum, quæ a me poſita in hoc commenta-

mentario ſunt, nos docuit. Omnino verum id eſt, quod ait apud Euripidem Theſeus, cum Herculem, quo tempore ille Athenas in exilium venit, multis honoribus, ac beneficiis proſequeretur: ſic enim ait: Laudem feremus omnium pulcherrimam univerſa a Græcia, feciſſe cum memorabimur bonis bene. Quod ille græce optime, nos latine ut potuimus. Veruntamen is eſt virtutis ſplendor, ut non modo ii, qui ejus compotes ſint, honore digni habeantur, ſed etiam ſiqui honorem illis, qui adepti eam ſint, habeant, honorati ipſi, & clari ob eam rem evadant. Id, quod Theſeus de ſe ſperabat, Paullus etiam aſſequutus eſt: nec enim dici poteſt, quantum in Contareni dignitate amplificanda ſuam ipſe gloriam propagarit. Quamquam fuit ille ſuo quoque nomine inſignibus laudibus ornatus, virque egregie magnanimus, & plane maximus. Ab hoc tempore aliud tanquam vitæ exordium, & quaſi origo Contareno naſcitur. Antiquiores habentur Venetum mores, propterea quod inquinari ſe externis conſuetudinibus ea civitas paſſa non eſt: victu, & cultu non modo a luxuria longe abſunt, ſed etiam de lautitia hac, quæ pleraſque Italiæ civitates nuper invaſit, permultum circumſcripſerunt; quippe qui priſco more eſſe ſe principes, quam videri malunt: conſuetudo autem eorum, moderatioque vitæ quotidiana diſcrepat illa quidem fortaſſe nonnihil, ſed ita ut ad ſummam expolitionem deſit forſitan aliquid; firmum autem quiddam, ac ſolidum certe ſubſit, & levitate, atque ineptiis vacet. Quod Romæ contra mihi viſum eſt fieri: aptiores enim in convictu, & congreſſionibus Romani homines ſunt, ſed accerſito quodam interdum genere, minimeque vernaculo: vitæ autem cultus lautior eſt, atque, ut video nonnullos exiſtimare, etiam delicatior: in principibus quidem luxus pene regalis; magnus equorum, jumentorumque numerus; multitudo familiarium; lauta, ſplendida, ſumtuoſa ſupellex: ut dediſſe mihi operam videantur, non modo re magni ut eſſent, atque clari, ſed etiam ſpecie, ac pompa. Neque eo hoc dico, quod exterarum rerum, quæ ad dignitatem, ac decorem pertinent, rationem non habendam eſſe exiſtimem, aut quo mihi id arrogem, ut utrius civitatis ſtudia rectiora ſint, dijudicare me poſſe profitear; ſed illud affirmo, hanc quaſi migrationem e ſua in alienam, non illam quidem deterius, ſed longe longeque aliter moratam civitatem Contareno, ingraveſcente jam ætate, ſubitam, ac repentinam, neceſſario moleſtam fuiſſe. Veruntamen ita vitæ, victuſque mutatio facta ab eo eſt, ut ingenium tamen, inſtitutaque illa ſua priſtina retineret: nec ullos ſpiritus, tanta facta acceſſione dignitatis, atque fortunæ, ſibi ſumeret; ſed probitas, affabilitas, & ea-

dem,

dem, quæ in privato fuerat, facilitas, atque humanitas (quamquam invidioſa illa, tantoque opere a multis expetita purpura recens induta erat) integumentis involuta, & quaſi perſonata elucebat tamen, & agnoſcebatur ab omnibus. Nam cum intempeſtivi ipſi complures, moleſtique ſæpe eſſent, propterea quod omnibus præſto ille ſemper erat, admonitus eſt a ſuis, non tam faciles ejus ordinis cæteros ſe ſe præbere conſueviſſe, ſed certam diei horam conſtitutam habere, ante quam adiri ad ſe non paterentur, neque cuique ſui poteſtatem facerent. Quibus ille reſpondit, non ſe putare honorem illum ſibi ſoli eſſe datum, ſed ejus partem amicos, partem inopes homines, & egentes jure ſibi optimo vindicare, ad quorum arbitrium vivendum ſibi eſſe ſtatueret, non ad ſuum: nec enim æquum eſſe, amicorum, clientumque negotiis tempus, idoneum quod ſit, a ſe præſcribi, ſed ab iis ipſis, quid rerum ſuarum occaſiones, ac momenta exigant, ſtatui oportere. Itaque ut quique ad eum veniebant, ſtatim admittebantur, ac quibus operam ſuam ſemel eſſet pollicitus, fidem in eo religioſiſſime ſervabat; ut ſæpe tenuium, aut miſerorum hominum cauſſa ad ſummos Reges iterum, & ſæpius adire non dubitaverit: cum id præcipue Chriſtiani eſſe officii contenderet, id maxime hominum genus auxilio juvare, quod maxime opis, & auxilii egeret. Quod judicium ipſius etiam faciebat, ut reliquias Græcæ nationis, multis, gravibuſque malis conflictatas, foveret, ac, quibuſcumque rebus poſſet, ſublevaret: accedebat autem huic animi propenſioni erga illos, ut miſeros, & duriſſima ſervitute oppreſſos, quod memor erat veterum beneficiorum, quæ univerſi mortales ab erudita ea gente accepiſſent: inde namque & bonas artes, & cuncta ingenua ſtudia profecta per omnes terras manaſſe affirmabat. Nam quin Majores eorum pietatem chriſtianam, cultumque hunc optimum noſtræ vitæ ſtrenue adjuviſſent, dubitari non poſſe dicebat, cum Baſilius, Chryſoſtomus, Nazianzenus quaſi ſigniferi hujus ſanctiſſimi doctorum hominum gregis fuiſſent, qui pectora noſtra excoluerunt, ac ſcriptis, laboribuſque ſuis veros ritus, exploſis inde falſis opinionibus, eo inſeruerunt: quare oportere nos, ſi grati eſſe velimus, lapides etiam, ſtirpeſque ejus telluris amplexari, nedum homines, cum quibus tot arctiſſimis vinculis conjuncti ſumus, omni amore proſequi non debeamus: vigebat autem eo magis in animo ipſius hæc opinio, quia illos ipſos ſummos Theologos, quos appellavi, ut Philoſophos quoque ejuſdem gentis, quotidie in manibus habebat, & eorum laboribus, vigiliiſque ſe inſtructum eſſe recordabatur. Benigniorem eum eſſe cum res non pateretur, quod proximum erat, fidem diligentiſſime præſtabat,

bat, ut ad diem, quibus deberet, ſemper perſolveret; quæ res a potentioribus non paucis neglecta efficere ſolet, ut multis in locis ſit fides anguſtior: neque hoc tantum majoribus in nominibus cuſtodiebat, ad tempuſque his, qui ſe grandiore pecunia juviſſent, reſpondebat (quod tamen ut faceret, ægre, & urgente tantum aliqua neceſſitate committebat) verum etiam adverſus tenues homines, quibus aliquid deberet, ſe talem præbebat; quæ culpa, moribus eorundem inhærens, inquinat non parum eorum ſplendorem, miſeroſque illos creditores ad deſperationem, & laqueum aliquando adigit. Declarat, quantopere maculam hanc fugeret, quamque omni in re juſtitiam coleret, vox edita aliquando ab ipſo, quum forte audiſſet, Dioecetem ſuum jubere minutum quendam opificem cras redire: caſtigatum enim illum juſſit pecuniam eam ſtatim diſſolvere, addiditque, ſi unde id faceret non eſſet, ſumeret ex abaco vas, ipſumque divenderet: arbitrari enim ſe, tenuem illum hominem magis mercede ſua, quam ſe argento illo, menſæque ornatu egere. Eodemque pacto toto animo abhorrebat ab indignis gravi, & honeſto viro quæſtibus: non pauci enim, ne deſit ipſis pecunia in minime neceſſariis ſumtibus, & ut inanem ſplendorem retinere poſſint, cogunt illam illiberaliſſima quavis ratione, ac ſordidiſſima. Quum igitur eo tempore, quo Bononiam Legati nomine obtinebat, qui, pars illius muneris obeundi, illatarum injuriarum cauſſas audiebat, ita cum eo egiſſet (putabat enim, Contarenum ejuſdem animi eſſe, cujus plerumque ſunt, qui negotiis illis implicantur) Eſuribimus profecto: nullum enim emolumentum parit impoſita mihi cura, cunctaque in civitate concordiæ, atque otii plena ſunt; inquit ille: Voluptatem magnam mihi nuntias, cupioque hunc ſtatum rerum permanere, videreque diem illum, quo ego, ut habeam ſumtum unde faciam, mulam etiam, qua vehor, cum omni ornatu proſcribere cogar. Non putavi autem alienum eſſe, has etiam ipſius voces memoriæ mandare, quum præſertim hujuſcemodi brevia dicta, quia ab intimis ſenſibus proficiſcuntur, ſubitoque prolata ſunt, in ſingulis factis, ac motibus animi, ut reliquis etiam caſibus humanis, videantur in primis mores, voluntatemque eorum, unde erumpunt, indicare; eædemque voces multum valere non ſine cauſa ſemper exiſtimatæ ſint ad homines informandos, illoſque etiam emendandos, qui contrariis vitiis tenentur: quam cauſſam fuiſſe puto, cur plures & docti, & prudentes viri ſedulo multas collegerint, & volumina etiam ex ipſis confecerint. Sæpe, multumque ineunte adoleſcentia cum iracundia, quæ paullo ſibi conſuevisset eſſe moleſtior, quaſi luctatum, ad extremum proſtratam illam, & do-

& domitam ajebat oppreſſiſſe: non modo enim turpe, ſed etiam miſerum ſibi ſemper viſum, ira incitatos a conſilio, atque a nobiſmetipſis abſcedere; quod de ſe Terentianus ille prædicaret: Præ iracundia, Menedeme, non ſum apud me: Bibulum autem illum, qui cum L. Libone fuit ad Oricum (quamquam hoc Scribonio ab inimiciſſimo homine memoriæ traditum eſt, & qui, quacunque re potuit, exiſtimationem ejus ſemper violavit) ſibi nullius pretii hominem videri fuiſſe, qui, cum de compoſitione agendum eſſet cum Cæſare, ad colloquium non prodiit, ob eam rem, quod furenter conſueviſſet iraſci; ne res maximæ ſpei, maximæque utilitatis ejus iracundia impedirentur. Itaque non modo ſtomachantem, ſed ne commotum quidem viſum illum a ſe unquam eſſe, qui cum eo familiariſſime vixerunt, affirmant, ut nimium prope patiens, ac lentus exiſtimaretur: neque iis, qui in epulis, in cubiculo ipſi miniſtrarent, ſæpe ceſſantibus, ſæpe etiam peccantibus, non modo non convicium faceret, ſed ne verbo quidem malediceret. Quod igitur de nonnullis doctis viris memoriæ proditum eſt, ut Socrate, Stilpone Megareo, quum illi natura propenſi eſſent ad aliquod vitium, effeciſſe tantum eos ſtudio, ac diligentia ſua, ut nullum unquam in vita ipſorum veſtigium rerum illarum appareret, id vere de hoc noſtro prædicari poteſt: in illiſque ſine dubio Contarenus enumerari debet, qui vitioſam naturam compreſſerint; ac quicquid illic aliquod majus malum, ſi creviſſet, ferre potuiſſet, tenerum adhuc, & imbecillum fregerint, & omnes ejus fibras exſtirparint. Superbiorem ipſum (de quo etiam ſupra nonnihil ſignificatum eſt) copia bonorum, quæ aut a fortuna acceperat, aut ipſe ſuo labore, induſtriaque quæſiverat, non fecerat; in quod vitium paſſim multi, minoribus multo ornamentis decorati, ruunt: & ſane hanc culpam ille, ut ſcopulum aliquem, magnopere vitabat; quod ſi unquam in ſermone aliquo aliquid a ſe forte prolatum intelligeret, quod tenuem modo umbram illius mali retineret, valde dolebat, ut contigit quodam tempore. Cum enim Paullus III. loqueretur cum ipſo de augendo numero ſummorum Antiſtitum, oſtendiſſetque, ſe in animo habere quoſdam in eum ordinem cooptare, Contareno minime probatos (quod ille etiam præſeferebat, atque id tunc palam dicebat) videns ipſum ſuæ voluntati refragari, Pontifex Max. inquit iis ipſis verbis: Inſitum fuit ſemper Cardinalibus, ut novis repugnarent, ne ſibi alii dignitate exæquentur. Reſpondit igitur ille commotior, quam ſolebat: Noli, Sanctiſſime Pater, ita de me exiſtimare; cognitum enim tibi plane eſt, quot ego nominarim, idoneam prorſus materiam huic operi efficiendo, & unde fingi poſ-

ſint

Digitized by Google

ſint perſonæ tantæ dignitati ſuſtinendæ aptæ: nam, quod ad me attinet, non puto purpuram hanc maximum eſſe eorum, quos in vita aſſecutus ſum, honorum. Extrema hæc verba, illa occaſione edita, ſtatim ut domum rediit, doluit ſibi excidiſſe; ut qui noluiſſet, ſpecimen aliquod a ſe unquam datum aut ſuperbi hominis, aut inanis hujus honoris, & gloriæ cupidi. Quin etiam dictitabat, ampliſſima ſacerdotia plus in ſe oneris, quam ſplendoris habere; quoque majora illa forent, eo moleſtiæ plus, ſollicitudiniſque continere: quare ſe ſæpe vicem dolere ſolitum eorum, qui Pontifices Maximi creati forent, quia pondus Ætna gravius humeris ſuis ſuſtinerent. Cujus judicii Seleucus quoque rex quondam fuit: ille namque dixit; quæ vox ejus monimentis literarum mandata eſt a doctis viris, ut errorem eorum coarguerent, qui falſo putant, opulentiſſimos quoſque homines beatos eſſe, magniſque ſemper voluptatibus frui, cernentes ſplendorem vitæ illius, ac florem: inquit igitur ille, neſcire privatos illius ſtatus incommoda, ideoque magnopere falli in judicio de illo faciendo: quod ſi ſcirent tantum, quam arduum ſit, ac moleſtiæ plenum tot epiſtolas ſcribere, ac legere, futurum prorſus ut diadema abjectum jaceret ſine honore ullo, nec quemquam inventum iri tam ſtultum, qui ipſum tolleret, ac capiti ſuo imponeret; nec tamen non multo majoribus, gravioribuſque curis premi neceſſario illos, ſi munus ſuum fideliter obire vellent, qui vitam, moreſque eorum, quibus præſunt, regendos ſuſceperunt, animoſque ab omni labe purgandos, quam qui in eo tantum eximio ſtatu rerum ſuarum, regnoque conſervando occupati ſunt. Quum igitur hoc crimen Contarenus vehementer reformidaret, ac, ſiquis vere exiſtimare poſſet, vacuus prorſus ab ipſo foret, non tamen penitus potuit ea ſuſpicione carere. Erat ille in omni ſuo ſermone, factoque integer, ac liber; remotus ab omnibus blanditiis orationis; acerrimus inimicus vanitatis illius, aſſentationiſque, quæ nunc in locum invaſit ſimplicis veritatis, libertatiſque loquendi, merito quondam magnopere probatæ; ob quod etiam ingenii bonum ferunt, eum Carolo Cæſari valde acceptum fuiſſe, quum ob alias etiam animi dotes ab eo diligeretur. Hæc igitur probitas nuda, experſque omnis fuci, ac fallaciarum; quæque, uti eo venerat, ita ſe Romæ in longe aliis moribus, inſtitutiſque conſervarat, cauſſa fuit, ut ſuperbiæ a nonnullis inſimularetur; quaſi ille contemnens cæteros præ ſe, quicquid ſentiret de omni re contra commoda illorum diceret, nec ſua quicquam intereſſe putaret potentioribus adverſari: quam anſam quidam arripientes, ipſum, ut contumacem, & inhumanum apud Paullum III. criminati ſunt, quod ni-

Digitized by Google

mis libere in ſenatu contra ipſum ſententiam diceret, atque honeſtiſſimos quoſque viros offenderet: ipſe vero id diverſo conſilio faciebat, neque ut impediret commoda aliquorum, ſed ut religioni ſuæ, & ei, quod rectum eſſe ſentiebat, ſerviret. Ut autem, quod non verum eſſet, nec ordine factum, quamvis intelligeret ſe apud aliquos offenſurum, accuſabat, ita gratiam aliorum aſtuta, ſimulataque oratione non aucupabatur: cui rei oſtendendæ in utramque partem exemplum hoc ſatis accommodatum erit. Contigit aliquando, ut eo adſtante in ſenatu ageretur de Camarino in poteſtatem tradendo uni alicui Pont. Max. nepotum, eo genere juris, quod Feudum appellant: admonuit igitur Contarenus Paullum, ut ante, quam de tanta re quicquam ſtatueretur, colendæ juſtitiæ cauſſa, vacuæque a culpa conſervandæ Sanctiſſimæ Sedis, mandaret, ut jura Varanæ familiæ, quæ diu in poſſeſſione ejus oppidi fuerat, diligenter noſcerentur, ne injuriæ aliquid ipſa in ea re acciperet. Hæc ſententia, præſenti animo dicta, illa ipſa die per urbem ſparſa, diſſeminataque eſt: quare Hercules Varanus, qui Romæ tunc erat, ſtatim domum ad Contarenum venit, gratiaſque illi maximas egit, cauſſamque ei ſuam totam commendavit: cui quidem ille, eadem animi ſimplicitate, quod tamen quidam ab agreſti, inhumanoque ingenio profectum potius dicerent, reſpondit: Non neceſſe erat, te mihi iſto nomine gratias agere: quod enim feci tunc, ut æquitati, officioque meo ſatisfacerem, feci, nec quicquam amplius cogitationis ſuſcipiam de iſta re præter id, quod mihi fides mea præſcripſerit, niſi aliquid a Pontifice ipſo, quod eo faciat, curæ meæ mandatum fuerit. Blandus aliquis, illa occaſione uſus, ſtuduiſſet gratiæ illi, ſine ullo ſuo labore partæ, novam gratiam addere; animumque honeſti viri inani ſpe, falſiſque pollicitationibus lactaſſet. Quare mihi venit in mentem arbitrari, non paucis in rebus ſimile fuiſſe Contareni ingenium naturæ, moribuſque Dionis Syracuſani: ut enim reliqua, in quibus ipſis inter ſe magnopere convenit, taceam, non deerant etiam in regia illa Dionyſii filii (ut ab eruditiſſimis viris memoriæ proditum eſt) qui caſtiſſimi illius, & integerrimi viri maximas virtutes, & ſane eaſdem has, propinquis vitiorum vocabulis deformarent, ac gravitatem ſuperbiam eſſe dicerent, libertatemque loquendi contumaciam vocarent: qui Dion, cum induci non poſſet, ut una cum aliis peccaret, qui ſe omni genere vitiorum contaminarent, eorum peccata videbatur diſſimilitudine vitæ coarguere. Fertur tamen, ille durior fuiſſe natura, triſtiorque: unde temperare indolem illam ſummo ſtudio ipſum debere a doctiſſimo viro, ſtudioſiſſimoque gloriæ ipſius elegantiſſima voce dictum eſt: hortatus

Digitized by Google

tatus enim eſt Plato, ut Gratiis hoſtias immolaret, ſuaſitque, ut aliquid etiam daret moribus ſuorum temporum, inſtitutiſque reliquorum mortalium; non quia id omnino verum eſſet, ſed quia ad congreſſus hominum frequentandos, benevolentiamque eorundem retinendam, obſequium ſæpe neceſſarium foret. Atque hæc privati officii ſunt, illa publici; quod malas conſuetudines tollendas curavit, illas veteres renovandas; quod multarum legum præclariſſimarum auctor, ſuaſorque fuit; quod in dicenda ſententia nunquam invidiam reformidavit, multaque contra collegarum ſuorum commodum ſæpe ſuſcepit, atque perfecit. Vitioſa quadam conſuetudine duabus, ſæpe etiam pluribus civitatibus, unus, & idem dabatur cuſtos, qui græco verbo Epiſcopi appellantur: neque in iis ipſis ætatis progreſſus exſpectabatur, qui annalibus Pontificum Maximorum legibus conſtitutus eſt; adoleſcentuli, ſæpe pueri, maximis adminiſtrationibus præficiebantur. Has, atque hujuſmodi alias pravas, corruptaſque conſuetudines ſua Contarenus ſententia delebat; moreſque ſacerdotum hominum, nimium nonnunquam deformatos emendabat, magnaque ſua ipſe offenſione communem reipublicæ levabat invidiam. Non eadem conditione eſt collegium Cardinalium, cæterarumque civitatum ſenatus, aut conſilium: nam illæ ex ea, quam habent, civium copia in ſuos ſenatus, qui aptiſſimi viſi ſint, legunt; in collegium Cardinalium e toto orbe terrarum, qui aut doctrina, aut nobilitate, aut prudentia, aut probitate, religione, pietate excellunt, ſi Pontifici Maximo viſum ſit, eos cooptare licet; eoque factum eſt, ut ſumma is ordo amplitudine, ſumma auctoritate, ſummo ſplendore, omni ille quidem tempore fuerit; quippe e Chriſtianorum flore decerptus, atque collectus. Veruntamen iis, de quibus inſtitutus mihi ſermo eſt, temporibus præcipuum quoddam in eo lumen enituit: propterea quod Paullus Pont. Max. magni, atque acris judicii vir, eximia, ſingularique virtute homines nactus, ad eam illos dignitatem ultro ipſe evocaverat; ut ei collegio, quod per ſe antea eſſet clariſſimum, ea re lucis tamen permultum attuliſſe videretur. Ex hac virorum clariſſimorum copia, cum mittendus ad Cæſarem Legatus eſſet, Contarenus potiſſimum ad id munus delectus eſt: cauſſa mittendi ea fuit. Vehementer erat Cæſar anxius, ſollicituſque, quod Germani, qui plurimum armis poſſunt, neque præſto illi in bellis erant, neque cum pecunia juvabant; propterea quod maximis inter ſe ſeditionibus de religione contendebant, atque inteſtinis diſſenſionibus diſtenti, nullo illi uſui eſſe poterant. Abjecti quidem, perditique, ac deſperati homines, xxxx. fere abhinc annis, jampridem receptas, rataſque diſciplinæ chriſtianæ ſententias

tentias in controverſiam revocaverunt, multitudinique perſuaſerunt imperitæ, uti a Romano Pontifice, quod caput Chriſtianæ reipub. atque Eccleſiæ eſt, deſciſcerent, ſe ſeque in libertatem vindicarent: quod malum tarde initio ſerpens, ab iis neglectum, a quibus opprimi id & poterat, & debebat, paullatim infimæ plebis, vulgique mulierum, animis, legum vinculis laxandis, & diſſolvendis, pollicendaque cupiditatum multarum licentia in fraudem inductis, paucis annis opinione magis adcrevit: idemque nefarius furor, poſtquam populare exiſtimari cœptum eſt pietatem evertere, multos quoque principes invaſit. Alios metus impellebat, veritos, ne a ſuis desererentur, ſi ab illis diſſentire pergerent: partim rerum novarum ſtudio, partim levitate, & ſtultitia, quod Deo immortali, legibuſque ſpernendis, fortitudinis opinionem facere ſe ſe de ſe nonnulli arbitrarentur; partim etiam avaritia, quod ſacerdotum maximas, ampliſſimaſque poſſeſſiones publicatas, inter ſe partiebantur: multi tamen, quibus eſſet Deus pro ſua ipſorum pietate propitius, veram, integramque pietatem conſtantiſſime complexi, nullis permulceri illecebris, nullis illici præmiis, nullo timore depelli ſe ſe paſſi ſunt; eaque a majoribus, quæ acceperunt, inſtituta ad hoc uſque tempus fortiſſimo animo retinuerunt. Sed tanta inter utroſque exſtitit non modo contentio, ac diſceptatio, ſed jam concertatio, atque pugna; tantumque exarſit odium, ut maxime bellicoſiſſimæ, florentiſſimæ, atque adeo ante hunc furorem religioſiſſimæ, optimeque de republica meritæ nationis vires, opes, & copiæ abſumtæ, in ſe ſe ipſa conficienda, atque delenda, ſint. Quibus rebus permotus Cæſar animo, & cogitatione in ea cura defigebatur, ſi per compoſitionem minui id malum, ſedarique diſcordiæ poſſent: qua de re cum omni contentione cum Germaniæ civitatibus ageret, primo Chriſtianorum omnium concilium in iis maxime locis indici poſtulaverunt, quo adire tuto ipſi poſſent: is erat locus nuſquam gentium: quippe cum ab omnibus defeciſſent, nec ullis ſe ſe gentibus committere auderent, præterquam in eorum ipſorum finibus; ad id concilium venturos, ejuſque decretis, judiciiſque ſtaturos ſe ſe pollicentur. Id eo ab illis conſilio fiebat, quod Pontificem Max. nunquam eo deſcenſurum ſibi perſuaſerant: verum ubi probari a Paullo III. conditionem, ac ne de loco quidem, cujus iniquitate deterritum iri eum maxime ſperabant, recuſari ſenſerunt; paullatim regredi, neque in eo, quod ultro ipſi poſtulaverant, manere; dirimi controverſias per colloquium poſſe; id brevius, expeditius, certiuſque eſſe, dicere; longum eſſe exſpectare, dum ex ultimis terris conveniretur. Omnia ſibi Cæſar experienda exiſtimabat, ſi

ulla

Digitized by Google

ulla ratione mederi ei tanto malo poſſet. Itaque deliguntur homines docti ex utroque numero undeni: ad colloquium venitur: magna contentione, magna pertinacia ab iis, qui ſe ipſi Proteſtantes appellant, diſputatur, atque in omni genere calumniæ delitеſcitur: eos ii, qui ratas veteres ſententias eſſe voluit, Catholicique appellantur, acriter refellunt, conſtantiſſimeque in ſententia perſeverant. Ad extremum, cum concertationum exitus nullus reperiretur, nec quicquam inter eos conveniret prorſus disjunctis, diſcordibuſque opinionibus, infecta re a colloquio diſcedunt: quod quoniam ſe abſente factum erat, Cæſar ſperans, Germanos ſuum aſpectum, atque auctoritatem reveritos, aliquid de pertinacia, atque calumniis remiſſuros, iterum deligi homines jubet, qui colloquendi cauſſa Ratisbonam conveniant; atque eo ipſe proficiſcitur, ut majore auctoritate de concordia ageretur, ſimulque magnopere a Paullo III. per literas petit, legatum ut ad ſe mitteret, qui ad rem tantam, & tam gravem maxime eſſet idoneus. Paullus e tanta præclariſſimorum hominum facultate, & copia Contarenum ſine ulla dubitatione delegit, atque hominem in Germaniam mittit; quod is & magnum jam antea ejus gentis propter eas cauſſas, quæ commemoratæ a nobis ſunt, haberet uſum, & Cæſari eſſet gratiſſimus; idemque innocentiæ, doctrinæ, prudentiæ, facilitatis, animique moderationis magna apud Germanos opinione excelleret; quique (id quod Cæſar magnopere poſtulaverat, maximeque ad rem pertinere arbitrabatur) in diſputando minime eſſet ambitioſus, minimeque pertinax. Eo cum veniſſet, mirabiliter acceptus a Germania eſt, & magno in honore apud Cæſarem fuit. Nam cum omnes Germaniæ Principes, tum Rex Romanorum ipſe, officii, honoriſque hominis cauſſa, domum ad eum venit; & in ſacris, cæremoniiſque ſolemnibus, datus ei locus eſt ſecundum Cæſarem primus: nihilque earum rerum, quæ ad homines magnos honeſtandos adhiberi conſueverunt, in eo prætermiſſum eſt; quæ, tametſi ordini ſcilicet debebantur, & dignitati, tamen cum alacrius aliquanto, tum etiam cumulatius, quam antea ſolita ſint, perſonæ dicuntur eſſe perſoluta. Accedebat, quod Cæſar jucundiſſima ejus conſuetudine, & ſermonibus delectatus, ſæpe hominem ad ſe extra ordinem vocabat: cumque de gravioribus negotiis, deque republica collocuti inter ſe eſſent, multa ad eum Cæſar de ſuis privatim rebus referebat: multa de Geometria, multa de Geographia quærebat; quibus ille ſcientiis, quod eæ ad rem militarem (quæ illi ſpectanda erat maxime) pertinent, operam multam illis temporibus dabat: illa autem cum in promtu Contarenus haberet, quod puerili diſciplina erat in iis artibus ſtudioſe verſatus,

Digitized by Google

tus, omnia ſcilicet certa, dilucidaque reſpondebat. Quæ cum de Contareni apud Cæſarem familiaritate, ac gratia, apud omnem autem Germaniam auctoritate, & fama, Romam eſſent allata; ventum eſt in ſpem, fore, ut res convenirent, mitigatiſque Contareni lenitate, & prudentia Germanorum animis, teterrimæ diſcordiæ tollerentur; quæ res quoniam majorem in modum illi gloriæ futura erat, homini vehementer invideri cœptum eſt. Nec deerant etiam Romæ, qui dicerent, nulla alia de cauſſa ipſum Germanis gratum, acceptumque eſſe, niſi quia adverſariis indulſiſſet; ac decreta, quæ pugnaciſſime defendere debebat, iiſdem prodidiſſet. Hæ vero graves, acerbæque voces ab iis, qui æquo animo laudem, gloriamque Contareni non ferebant, emanabant: nec tantum illic, ubi plurimum ipſi obeſſe poterant, improbe mittebantur, verum etiam per omnem Italiam fuſæ, ac diſſeminatæ, magnopere illius exiſtimationem, ac dignitatem lædebant: quas tamen ille, magno animo præditus, reique ipſius naturæ non ignarus, primo contemſit; ad eum namque malevoli hi ſermones invidorum in Germaniam uſque delati ſunt; ſimulque ſperabat, exitum earum rerum innocentiam ſuam, fidemque patefacturum: cui ſane ipſe toto animo incumbebat. Contigit tamen tunc, quod ſæpe in magnis, arduiſque rebus uſu venit, ut negotium illud, Chriſtianæ reip. magnopere utile, atque adeo ſalutare, in medio curſu fractum, ac diſſipatum ſit: id autem magna ex parte factum eſt malitia, fraudeque illorum, qui Cæſaris potentiam, quæ multum compoſitis rebus, Germaniaque pacata, creviſſet, ſuſpectam habebant, ſuiſque rebus periculoſam exiſtimabant; hi namque non modo veterum diſcordiarum fibras, ut oportebat, communis utilitatis cauſſa non evellebant, verum etiam novarum ſimultatum ſemina occulte jaciebant in aures eorum, quibus commiſſa res erat, inſuſurrantes, ac falſos quoſdam metus eo inferentes. Ut autem aſtuta hæc conſilia rem remorabantur, &, ne ad exitum adduceretur, impediebant; ita ſubito exortum eſt, quod animos Germanorum ad longe alias curas traduceret, finemque diſputationi illi, ac colloquio faceret: hoc autem fuit incurſus Turcarum Regis in Pannoniam cum maximis copiis, communiſque hoſtis metus: nec enim effecit tunc timor ille, quod plerumque conſuevit, magnopere exacerbatis animis, ut ſtimulum periculum tantum admoveret ad odia extinguenda, & gratiam reconciliandam; ſed potius ſpem, quæcunque erat, malorum illorum ſedandorum eo tempore intercidit, ac ſuſtulit. Miſſis igitur ſermonibus illis, quod factum eſt extremo menſe Quinctili, cœperunt Germani arma, totoſque ſe ad impetum illum coercendum, fineſque

ſuos

ſuos tuendos contulerunt. Cæſar vero aliam rationem iniit ejus periculi callido conſilio propulſandi, quod a veteribus etiam ducibus non ſemel uſurpatum fuit, & ſatis tutum ſemper, utileque cognitum eſt: ſtatuit enim cum claſſe, quam maximam ædificaverat, ornaveratque, in Africam navigare: magno namque ſpatio Solimanus inde remotus, auxilium illis locis ferre nullo modo poterat, & ne majorem etiam aliquam plagam in Græcia acciperet, non ſine cauſſa metuere debebat. Urgebant præterea Carolum, ut hoc faceret, aſſiduæ preces Hiſpanorum, crebraque damna ſtimulabant, quæ cuncta illa maritima regio quotidie accipiebat ob frequentem irruptionem piratarum, adeo ut mare pene omne clauſum illic foret. Quare ut tam gravibus malis regnum illud ſuum liberaret, deleretque maculam, quam ſibi videbatur ſuſcipere ob tantam licentiam prædonum, ſtatuit, ut dictum eſt, apparatum illius belli non deeſſe, ſedemque nefariorum hominum, ſi poſſet, omni ratione evertere; quamvis inimici timoris ipſum arguerent, quod ferociſſimum hoſtem declinaret, ac tellurem, quam maxime tueri debebat, tanto impendente periculo deſtitueret: in Italiam igitur celeriter venit. Cum vero muneri, quod ſuſtinebat, non ſine magna animi ſui moleſtia finem factum eſſe vidiſſet Contarenus, nec ſe poſſe amplius navare operam reipublicæ, una cum Cæſare reverſus eſt. Poſtea vero quam Tridentum ventum eſt, Imperatorem, ut ſe dimitteret, rogavit: velle enim ſe, quum commode id facere poſſet, Eccleſiam ſuæ fidei commiſſam, quæ non longe inde abeſſet, inviſere; ac poſtquam publice non poſſet, privatim religioni, officioque ſuo ſervire. Venerunt tamen eo tempore Roma a Pontifice Maximo literæ, quæ juberent ipſum, perſona legati retenta, apud Imperatorem eſſe, Mediolanumque una cum eo proficiſci, in quam urbem ille, ut veteris imperii juris non multo ante receptam, volebat (ut moris eſt) cum pompa ingredi, indeque Lucam accedere, quo in loco Pontifex ipſe, Cæſarque ſtatuerant ſimul congredi, ac de communibus rebus ſtudioſe agere. Accidit hoc in itinere res, quæ vehementer animum optimi viri commoveret: cum enim Brixiam ventum eſſet, civis ejus loci, honeſtus ſane vir, ac vetus amicus Contareni, qui ad ipſum ſalutatum venerat, quæſivit ex eo ſimpliciter, quæ mens ipſum impuliſſet, ut capita, quæ ferrentur prolata ab adverſariis, adeo abſurda, & a vera ratione aliena, in Germania comprobaret: cui ſtatim reſpondit ille, eas eſſe meras nugas, rumoreſque prorſus inanes, & quos omnium aures reſpuere deberent: ſe namque, nedum anceps quod eſſet, & in quo ſcrupulus aliquis reſideret, ſine auctoritate Pontificis Maximi conceſſurus adverſariis fuiſ-

ſet, ea etiam, quæ rata in primis ſunt, & firma, aliter recepturum non fuiſſe. Non deſtitit auctor ejus ſermonis, ſed addidit, rem aliter, atque ille putaret, ſe habere: neque enim incertam eſſe, ac nullo auctore prolatam famam illam: ſe namque literas vidiſſe ab ejus ordinis homine ſcriptas, ſummo viro, quem etiam nominavit, quæ id commemorarent, ac verum eſſe contenderent. Non potuit tunc homo leniſſimus ſibi temperare, quin ſtomacharetur, exclamaretque: Digna vero merces hæc eſt meorum laborum, ſi vera ſunt, quæ narras: ſtatimque, ut innocentiam ſuam, exiſtimationemque tueretur, miſit epiſtolam ad Pontificem Maximum, qua valde queſtus eſt de injuria illa, ſermoneque improbiſſimo, quem Roma profectum, ac per omnem Italiam ab iniquiſſimis diſſipatum, contra dignitatem ſuam comperiſſet; rogavitque ſimul, ut, ſi penitus eum non aſpernaretur, ſaltem ſe indicta cauſſa ne condemnaret, nec quicquam de illa re ſecum ſtatueret, antequam ipſe ad eum perveniſſet: ſperare enim ſe facile cauſſam ſuam probaturum, oſtenſurumque laude ſe, ac præmio, non reprehenſione, aut pœna ulla ob ea, quæ in Germania geſſiſſet, dignum eſſe. Cum Mediolanum perventum eſſet, quæ civitas omni genere lætitiæ, magnificentiaque apparatus Cæſarem excepit, mirifice ſuo quodam facto Contarenum Carolus decoravit, ac, quid ſentiret de virtute, ſingularique probitate hominis, notum, teſtatumque omnibus eſſe voluit: lateri enim ſuo ipſum in omni ea pompa hærere voluit; cumque hoc ille modeſtiæ cauſſa recuſaret, ſequereturque aliquanto poſt, mandavit humaniſſimus princeps uni e famulis, ut pene invitum ipſum traheret, ac prope ſe collocaret, omneque id tempus, donec eo perveniret, quo paratum illi hoſpitium erat, conſumſit cum eo jucundiſſimis ſermonibus: id vero quum perſonæ, dignitatique datum non ſine cauſſa aliquis arbitrari poſſet, licet tamen exiſtimare, multum etiam ad hoc valuiſſe judicium, quod fecerat de homine; quod putaret, ut qui veræ gloriæ non ignarus eſſet, eam rem non minus ſibi, quam Contareno laudi, & honori futuram. Et ſane literis mandatum eſt, ejus nominis primum Auguſtum Cæſarem, quum primum Alexandriam, quam bello ceperat, ingreſſus eſt, in magna copia honeſtorum, ac clarorum virorum, Areum, graviſſimum, & eruditiſſimum hominem, ſibi adjunxiſſe, familiariterque cum eo ſolo in tanta illa lætitia, fortunæque ſuæ magnitudine locutum eſſe; quem etiam, ut magis eum cives ſui ſuſpicerent, ac fortunatum judicarent, manu teneret: erat enim philoſophus ille Alexandrinus. Sed aliæ quoque res, dum illic manſit, indicio eſſe potuerunt, quantopere Contarenum diligeret: id quod animadver-

madverſum ab aliis opulentis viris, qui in eo comitatu erant, fecit, ut omnes ipſum colerent, ac de illo celebrando quaſi inter ſe contenderent. Cæſar, qui, ut ſupra oſtendi, mare tranſire ſtatuerat, quæ ad curſum illum neceſſaria erant, ſtudioſe parabat; imperaratque, ut Genuam claſſis, propinquoſque in portus cogeretur: quare, ut id celerius fieret, ſtatuit ſibi in eam urbem accedendum, indeque Lucam eundum, quo Pontifex Max. ſe venturum ſignificarat. Contarenus igitur breviore via ſe Lucam contulit, atque illic, quod maxime cupiebat, poſt paucos dies Pontificem Max. vidit; qui ſane hilari vultu, nulloque ſigno edito offenſionis, ipſum accepit: nec multo poſt eodem Imperator venit, qui non ceſſavit etiam in aliis magnis rebus, quas cum Paullo III. egit, multa prædicare de prudentia, induſtria, probitate Legati, quibus omnibus virtutibus in munere illo obeundo uſus fuerat in Germania; nec non queſtus eſt, quod Romæ multa falſo jactata forent contra fidem, & dignitatem ipſius, quum ille integre, ſincereque perſonam eam ſuſtinuiſſet, ac negotia cuncta cum fide adminiſtraſſet: cui ſtatim ſapientiſſimus ſenex, quique ignarus non erat artium malarum, quibus plerique Romæ utuntur, aut invidia commoti, aut, ſi alios depreſſerint, ſperantes ſe in locum illorum invaſuros, reſpondit, ſibi eximie cognitam eſſe, ac probatam Contareni virtutem; ſeque eam ob cauſſam ipſum tunc in Germaniam miſiſſe, tantumque oneris ei impoſuiſſe; facturumque etiam brevi, ut nemo dubitare poſſit de benevolentia ſua erga illum, ac, quo denique loco eum haberet, ſe omnibus declaraturum. Non contentus autem hoc Pontifex, ut omnem ſcrupulum ex animo Contareni evelleret, gauderetque ille ſecum tam promto erga ſe animo fortunatiſſimi hominis, ac tam præclaro teſtimonio ſuarum virtutum, notum eſſe voluit ipſi eum ſermonem; ſimulque ſuaſit illi, ut contemneret malevolas voces improborum, nec putaret eas quicquam valere ad exiſtimationem ſuam violandam: fontem etiam hujus mali aperire volens, teſtimonium citavit veterum poetarum, qui naturam invidiæ verſibus ſuis expreſſerunt; moremque illam habere tradiderunt, ut ſumma loca feriret non minus, quam venti editiſſima quæque appetere, ac violentius verberare conſueverunt: omnique demum ratione, qua potuit, oſtendit, ſe eum valde carum habere; cumque etiam gratias amanter egiſſet pro ſuſceptis laboribus, fecit ei poteſtatem, ut tot itineribus defatigatus, Romam reficiendi ſui cauſſa breviore via accederet; ipſe namque vicinitate invitatus, Bononiam profectus eſt, indeque Ariminum venit, ac Flaminia denique via Romam reverſus eſt: nondum autem duobus menſibus tranſactis, memor ejus, quod dixerat,

rat, de augenda dignitate Contareni, Legatum ipſum Bononiæ declaravit: quæ publica cura, provinciaque reliquas omnes ſuperat, quas intra ſuos fines, imperiumque ſtatus reip. poſſidet. Ille igitur, hoc novo onere ſibi impoſito, ut qui non minus rebus gerendis, quam contemplandis factus erat, Martio menſe ſe ſe in provinciam contulit; factumque eſt, ut VI. Kal. Aprilis in urbem ingrederetur, qui dies apud eos maxime celebris agitur, conſecratus Genitrici ejus, qui ſalutem nobis dedit. Summa igitur lætitia totius civitatis exceptus eſt, conataque eſt illa, quam ſpem conceperat animo de probitate, & prudentia ipſius, externis etiam rebus, honoribuſque omnibus indicare: certo enim ſciebat, futurum ſibi illum potius eſſe optimum parentem, quam durum aliquem, & avarum dominum, aut etiam fortunarum ſuarum expilatorem; in quo certe illi falſi non ſunt: ut primum enim res illas attigit, nullo negotio cognitum eſt, non minus ipſum in rebus judicandis clementia uti, & æquitate, quam ſummo illo jure, quod ſæpe merito reprehenditur, ac, ſiquis vere exiſtimet, quod alio nomine appelletur, dignum eſt. Totos dies ille cauſſis audiendis, controverſiiſque tollendis operam dabat; nec unquam moleſto ſane hoc, & odioſo munere, præſertim homini in aliis curis, ſtudiiſque educato, defatigabatur: hoc autem faciebat, naturamque ille ſuam, conſuetudinemque flectebat, quia veræ gloriæ deditus erat, ac prodeſſe mortalibus, quacunque re poterat, ſtudebat: quare quodcunque munus obiret, dignum viribus, operaque ſua, in ipſum tota mente incumbebat. Erant hæ curæ, cogitationeſque hoc tempore Contareni, procurabatque ille commoda ejus nobiliſſimæ civitatis; cum repente, inopinante illo, Roma literæ venerunt, quæ ipſum ad aliud munus traducerent, in quo ſane ille diutius verſatus fuerat, quodque omnes numeros honeſtatis in ſe habebat. Cum enim ſedari nunquam potuiſſent ulla ullius opera iræ inter Franciſcum Gallorum Regem, & Carolum V. Imperatorem, ſed quotidie magis novis injuriis inferendis inflammarentur eorum animi, gereretur que, aut pararetur ab ipſis ſemper bellum teterrimum, quod in ſingulos dies reip. Chriſtianæ graviſſima vulnera imponeret, & ad internecionem denique redigeret maxime pias nationes, officii ſui eſſe ratus eſt Paullus Pont. Max. tanto malo, ſi ulla ratione poſſet, mederi, tantumque, & tam ſævum incendium extinguere: quare mittendos ſibi eſſe cenſuit ſeorſum ad ambos potentiſſimos Reges, Legatos, prudentiſſimos viros, & tanto oneri ſuſtinendo pares: præclare enim ſciebat, quanta vis eſſet in miniſtris ad unamquanque rem efficiendam; hancque curam omnium maximam requirere perſonas in primis ſapientia,

pientia, & auctoritate præditas, atque ornatas, & non minus gratas acceptaſque Principibus iis, quorum animos delinire, ac flectere deberent. Elegit igitur, quem ad Cæſarem, in Hiſpaniis tunc degentem, mitteret, Gaſparem Contarenum; & ad Gallorum Regem ire voluit Jacobum Sadoletum; ambos viros probos, atque omni ingenii laude florentes; &, ut collegas in ampliſſimo Sacerdotio, ita multis honeſtis artibus inter ſe conjunctos, ac maxime bonis omnibus probatos: quæ res geſta eſt Sextili menſe. Erat eo tempore Sadoletus Romæ: quare ſignificavit per literas Pontifex Contareno, quid de illo ſtatuiſſet; mandavitque, ut, quæ ad iter neceſſaria erant, expediret: ſocium namque ipſius in honeſtiſſimo illo munere intra paucos dies in viam ſe daturum. Hoc accepto nuntio ille, qui nullum unquam, utilitatis aliorum cauſſa, laborem recuſarat, quamvis ætate jam confectus eſſet, & ſatis imbecilla valetudine, æquo tamen animo tulit, ſibi onus illud imponi; quod ſi animam etiam in ea legatione ſe profuſurum eſſe certo ſciſſet, tanta erat pietate præditus, & ita dicto audiens eſſe Summo Pontifici cupiebat, ut ipſam prorſus repudiaturus non fuerit. Appropinquabat ſane illi mors, quæ tamen longe alia ratione, & ubi minime exſpectabatur, ipſum oppreſſit: nec enim (ut a me nunc diligenter narrabitur) aut laboribus, aut defatigationibus novis accelerata eſt.

Agebat Contarenus ætatis ſuæ annum LIX. in his curis, quas oſtendi, toto animo occupatus: partem tamen illarum jam in id munus, quod inſtabat, derivans. Incumbens igitur illis, quæ multæ profecto, ac graves erant, moleſto anni tempore, ut par eſſet ipſis ſuſtinendis, aliquando reficiendi ſui cauſſa ſe in propinquum urbi locum conferebat; ubi manens, & æſtum declinaret, quo conficiebatur domi, & aliquantulum a perpetuis ſuis laboribus animum relaxaret: nam ſiquid majoris momenti ſubito eveniſſet, facile illuc adibatur, ubi etiam poteſtatem ſui omnibus faciebat. Locus autem valde animo ipſius, temporique illi accommodatus, ac quo plurimum variis de cauſſis delectabatur, erat ſacellum Divæ Mariæ a Monte vocatæ, cujus poſſeſſio, procuratioque eſt ſodalium Divæ Juſtinæ. Acciderat autem, ut illis ipſis diebus, qui primi Sextilis menſis fuere, fratris filius, illius ſalutandi, & viſendi cauſſa, Bononiam veniret, qui ſuperiore anno Patavii inter ſodales illos receptus fuerat: vocabatur vero novo nomine, ut conſuetudo eſt eorum, qui ſe ſacris aliquibus initiant, Placidus: cum autem probus adoleſcens eſſet, ſeminaque nonnullarum virtutum in ſe contineret, a Contareno diligebatur. Ille igitur primo apud ſuos in urbe manſit in Divi Proculi dicato ipſis domicilio, ut ta-

tamen eo facilius frui poſſet Contarenus, ipſeque itidem ſitim ſuam expleret videndi virum, quem maxime optabat, ſecum ſanguine conjunctum, cujus etiam viſendi alienigenæ deſiderio flagrabant, impetravit a ſuis, ut ſe illic eſſe paterentur, quæ cauſſa reliquis cauſſis addita eſt frequentandi receſſum eum, diutiuſque illic commorandi. Hic collis ab Urbe abeſt ſpatio mille paſſuum, amœniſſimus, & natura, & arte factus ad animum multis modis paſcendum, atque omni honeſta voluptate explendum: & ſane, qui deſideria optimi hujus viri, gaudiaque cognita haberet, quod non magno negotio omnibus contingere potuit, qui familiariter cum eo vixiſſet, facile judicaret, paucos illos dies, quos illic traduxit, jucundiſſimos ei fuiſſe omnium, quos in vita unquam deguſtaſſet: vivebat enim cum ſui amantiſſimo fratris filio, cumque aliis nonnullis comitibus illius, eorundemque ſacrorum ſociis, honeſtis ſane viris, & eruditis: rem divinam crebro faciebat; omniſque ſermo illi: erat de rebus, quibus maxime capiebatur. Cum igitur, ut traditum a me eſt, calores eſſent maximi, crebro in porticulam quandam declinandorum illorum cauſſa veniebant; & ut illic frequentius deambulabant, ita etiam aliquando poſita menſa cibum capiebant: vergit enim illa ad ſeptentriones, urbemque ipſam quaſi ante pedes poſitam proſpicit, planitiemque omnem, quæ ipſam cingit; quin etiam remotiores urbes illinc commode cernuntur, Mutina, Ferraria, aliaque nobilia oppida: quare non ſine cauſſa expetitur proſpectus ille, paritque oculis incredibilem voluptatem: quamvis tunc, capto jucunditate illius, Contareno nihil tale timenti, exitum comparaverit: aura enim illa lenis, quæ flabat, frigidiuſculuſque aer, cum temperamentum corporis ipſius rarius eſſet, parvoque momento ſæpe commoveretur, facile ad imas partes penetravit, ſanguineque inflammato abſceſſum in latere creavit, e genere eorum, quæ ἀποστήματα Græci vocant; quare ſtatim febris conſecuta eſt, quæ ſeptimo die ipſum conſumſit, quamvis magna diligentia ſummorum medicorum curatus ſit: ſimul ac enim primum cognovit ſe ægrotare, Bononiam reverſus eſt. Ipſe autem in primis naturam, vimque ejus morbi mature perſpexit: tribus namque diebus, antequam animam efflaret, omnem rem Ludovico Beccatello, uni e familiaribus ſuis, quo plurimum in rebus majoris ponderis utebatur, enarravit. Dixit igitur, gravitatem ejus morbi non apparere, reconditaſque corporis partes magis ipſum oppreſſiſſe, quam exteriores male habere, in promtuque eſſe; addiditque, genus id morbi periculum magnum in ſe continere: quod ſi vires corporis eæ forent, ut ſpatio trium, quatuorve dierum reſiſterent, ſine dubio morbum ipſum impetum

petum

petum ſuum remiſſurum: ſe tamen magnopere vereri, ne contra ipſe deficiat, naturaque penitus frangatur: intelligere enim ſe venæ motum valde imbecillum eſſe. Cui ille, qui ſaluti ipſius omni ſtudio proſpiciebat, reſpondit rogans, ut abduceret paulliſper animum ab his moleſtis cogitationibus, rationemque omnem ſui curandi in prudentia, diligentiaque medicorum poſitam eſſe vellet; affirmans præterea, Deum optimum maximum, quem ſemper ille pie coluiſſet, ipſi præſidio futurum; eſſe autem accurate incumbendum valetudini recuperandæ, ut cito mandatum ſibi munus obiret, iterque ad Imperatorem faceret. Ille vero ſtatim hilari vultu, ad alium longe majorem Imperatorem ſibi iter inſtare, dixit, idque ipſos brevi cognituros: neque tamen ſe hoc dicere, quia mortem valde perhorreſcat, parumque animo æquo ferat, ſe e vita diſcedere: intelligere enim ſe præclare quot, quantaque beneficia a Deo acceperit, quorum etiam pleraque commemoravit, non gloriæ cauſſa, oſtentationiſque, cui tunc locus minime erat, verum ut ſe gratum eſſe erga auctorem illorum ſignificaret. Inquit igitur, ſe ortum eſſe ea in civitate, quæ nulli earum cederet, quæ in univerſo terrarum orbe exſiſtunt, e familiaque, quæ aud poſtremum locum in ea rep. teneret; conſecutumque itidem illic eſſe honores non parvos, & ut domi, ita etiam foris gradus maximos dignitatis adeptum eſſe; utramque vitam ſe cum laude alqua coluiſſe, & eam, quæ in contemplatione rerum verſatur, & eam, quæ rebus agendis incumbit; perveniſſe ad ætatis annum LIX. quem terminum vitæ non multi attingere potuerunt: quare ſecum quoque hac parte non male actum eſſe, canereque ſe debere una cum ſacro Hebræorum Vate carmen, quod ad æquum, gratumque animum ſignificandum pertinet, nomenque illius laude, gloriaque cumulandum, quia non tam liberaliter ſe geſſerit erga multos, neque tot bonis expleverit omnem populum, gentemque. Unum tantum ſibi moleſtum eſſe, quod, ut optabat, commodis quorundam tenuiorum hominum non proſpexerit, qui ſibi, poſtquam ad ſacrum illum honoris gradum aſcenderit, fideliter miniſtrarint; ſperare tamen ſe, Deum optimum max. Pontificemque, cujus dignitati toto animo inſervierit, fortunas eorum ſublevaturos. Nec oblitus eſt ſuo, opportunoque tempore mandare cuſtodi ipſius, ut privilegium, quod beneficii loco a Pontifice impetrarat, ad delicta penitus abſtergenda traditum, ſibi legeret, dum mente, orationeque conſiſteret. Cum hæc animo verſaret ſane conſtanti, ac forti, atque hoc ſermone ſemet conſolaretur, ſuos, qui præſentes aderant (ii autem erant, ut quiſque maxime illi acceptus, probatuſque fuerat) angebat, atque ita perturbabat,

babat, ut lacrymas vix tenere poſſent; a quibus tamen ſibi diligenter temperabant, quamvis intelligerent, ne magna quidem copia ipſarum ſpectante illo effuſarum, poſſe ipſum commoveri, & e ſtatu illo animi dejici. Eadem vero hominis providentia in intelligendo, prædicendoque ſuis vitæ ſuæ fine, exitu ipſo comprobata eſt, quæ in cæteris rebus judicandis, ſignificandiſque ſæpe apparuerat: creſcente enim ſemper vi morbi, remediiſque omnibus ſuperatis, oppreſſus ille eſt, animamque efflavit . . . . K. Sept. meridie. Quamvis autem horas circiter ſex antea voce orbatus eſſet, non tamen ſenſu animi, intelligentiaque extremo illo tempore caruit, ut certis quibuſdam notis, indiciiſque perſpectum eſt, confiditque clementia Conſervatoris noſtri, ut chriſtianum virum decet; & cum aliter non poſſet, ſe ſpem omnem ſuam in eo collocatam habere, nutu, admonitus diligenter de hoc, ſignificavit. Ut vero ſe conſtantem in hoc, maximeque pium præbuit, ita, quæ moris eſt, conſuetudiniſque, non ſolum magno, verum etiam alacri animo geri, cuſtodirique paſſus eſt, quæ ſane, ut nuntia mortis, perterrefaciunt pleroſque, ac valde omnes, qui non firmas radices egerunt in perſuaſionem chriſtianam, perturbant. Reliquit vero ille diſceſſu ſuo ſuos omnes mæroris, ac luctus pleniſſimos; ut univerſam quoque civitatem dolore magno adfectam, quæ ſane, quacunque ratione potuit, funus illius honeſtavit, & quam moleſta ipſi optimi cuſtodis mors fuiſſet, planum fecit: die autem, quæ ſequuta eſt mortem ipſius, funus ductum eſt. Orationem de laudibus ejuſdem, & honeſte acta cuncta vita, habuit Romulus Amazeus, diſertus, & nobilis orator, qui tunc in ea urbe, domicilio quodam vetere omnium diſciplinarum, & humaniores literas docebat, & negotia publica reip. adminiſtrabat. Corpus in Divi Proculi depoſitum eſt, eo conſilio, ut Venetias poſtea comportaretur, in ſepulcroque majorum ipſius clariſſimorum virorum collocaretur. Paullus III. nuntio allato de obitu Contareni, ægre admodum illum tulit; declaravitque quanti hominem feciſſet, omni genere liberalitatis uſus erga domum illius: nec tantum Pontifex Maximus, qui ſæpe opera ipſius fideli, & utili uſus fuerat, verum etiam Romæ cæteri probi viri morte ipſius vehementer conflictati ſunt; nam quantum luctum eadem in patria excitarit, non facile dici poteſt: omnes denique, qui aliquando doctrinam illius guſtarant, ſingulariſque probitatis hominis ſpecimen aliquod acceperant, publicam illam cladem exiſtimarunt. Civis autem, collegaque ipſius in ampliſſimo Sacerdotio Petrus Bembus quantum dolorem cepiſſet ex gravi morbo Contareni, deſperataque jam a medicis ſalute, notum omnibus eſſe voluit: in epiſtola enim

enim ad Flaminium Tomarotium, quomodo adfectus animo eſſet, audito caſu illo, & propinqua morte optimi, & honeſtiſſimi viri, diligenter narravit. Verbis ipſis, quum illuſtri loco poſita ſint, alioque ſermone edita, ſuperſedebo. Poſſem etiam aliorum multorum doctorum, & excellentium virorum teſtimonia citare, qui quantum damnum morte illius factum eſſet, ſcriptis ſuis teſtati ſunt: in quibus etiam nonnulli, qui ab eo vehementer diſſentiebant de ratione vivendi, veroque cultu chriſtiani hominis, & acerrimi adverſarii opinionum, quas ille in Germania defendit, exſtiterunt, magnifice tamen de eruditione, continentiaque illius in illis ipſis libris, quibus ſententias ipſius oppugnabant, locuti ſunt; quod fere uſu venire non ſolet, ut a quibus de veritate homines diſſentiant, non eoſdem etiam conentur deformare, atque ita auctoritate omni ipſos ſpoliare. Et quoniam de dolore, quem illo tempore cepit Paullus III. mentionem feci, libet etiam commemorare, quod ab eodem illo familiari Contareni, & omnibus officiis cum eo conjuncto, Ludovico Beccatello, honeſto in primis, & fide digno viro, accepi, ad id confirmandum vehementer accommodatum: declarat enim, manſiſſe diu in animo Pontificis ægritudinem hanc, ac levi quoque momento refricari ſolitam tantam plagam; niſi forte aliquis putet, ſapientiſſimum illum ſenem quotidie magis, in magna penuria talium virorum, cognoviſſe quantum incommodum olim acceptum fuerit obitu ejus viri, qui ut quietorum temporum ornamentum ingens, ita perturbatorum præſidium firmum erat: quum enim ad ſe illum evocaſſet, opera ipſius quibusdam in rebus uſurus, diligenter ex eo quæſivit, an præſens forte ille adfuiſſet, quum fato Contarenus functus eſt; rogavitque, ut diceret aliquid de inſtitutis, & vita illius: cui ſtatim, mihi affirmavit ille, ſe reſpondiſſe id, quod erat, mirificam fuiſſe Contareni integritatem, fidemque in iis omnibus rebus gerendis, quæ mandatæ illi ab ipſo forent, intelligeretve ipſe ſua ſponte, facere ad dignitatem Romanæ reip. conſervandam; virumque illum vera probitate præditum fuiſſe, non ficta, ac ſimulata, quam perſonam plerique, ut eo perveniant, quo cupiunt, ſibi callide imponunt; unumque omnium Contarenum veteres, ac maxime ratas opiniones & animo probaſſe, & verbis etiam ſemper defendiſſe: quo ſermone accepto, commotum Pontificem Maximum, qui deambulabat, ſtetiſſe, manuque iterum percuſſiſſe menſam prope poſitam, dixiſſeque non ſine gemitu quodam, ac ſuſpirio, quod indicavit, evulſam fuiſſe penitus omnem ex animo ipſius ſuſpicionem, quæ quondam eo inculcata de illo vocibus malevolorum fuerat: Amiſimus profecto magnum virum, ac valde utilem reip. noſtræ civem; ſed ut alia, ita hoc, magno, conſtanti-

que animo ferendum. Quoniam autem non ſemel dictum eſt in hac vita de magna labe animi quorundam, quum ab ipſo illo vitio magnopere Contarenus abhorreret, qui alienam perſonam induentes (unde græco vocabulo, ſumto ab actoribus fabularum, vulgo ὑποκριταὶ appellantur) & eam quidem ſemper meliorem, vel optimam potius omnium, longe alii videri volunt, quam vere ſint; atque ita magnis in rebus imponunt ſimplicibus hominibus, nihil inde mali ſuſpicantibus, unde plurimum ipſos exſpectare oportebat; non alienum eſſe duxi de hoc etiam diſſerere: etſi enim nunquam defuerunt, qui fallacias, & dolos horum nefariorum hominum aperirent, ac maxime illos eſſe cavendos in vita admonerent, nunquam tamen ita probi viri eruditi, & inſtructi fuerunt, ut ſatis poſſent artes eorum intelligere, atque inſidias etiam vitare. In primis autem in pietatem noſtram chriſtianam, quæ tota in ſimplicitate animi fundata eſt, radices egit, atque incommoda ſæpe magna apud nos peperit hæc fraus. Quo majore odio digni ſunt hi peſſimi mortales, qui in re, quæ quo magis pura, integraque eſt, eo magis probatur, aſtutis conſiliis utuntur, ac dolos malos exercent. Hoc etiam aliquo modo ſignificaſſe videtur doctiſſimus vir Plato, qui hoc genus hominum notans, inquit: Poſtremam injuſtitiam eſſe, videri velle optimum virum, quum minime ſis. Idemque ab Æſchylo, non ſolum gravi poeta, ſed etiam docto in diſciplina Pythagorea prolatum eſt, quum ferret in cœlum magnis laudibus Amphiaraum, ſummum illum augurem, eundemque ſanctiſſimum virum: inquit enim, ipſum non ſtuduiſſe, quod multi faciunt, ut videretur optimus, verum ut eſſet: nam quod nos, malis multis doctos, reddunt etiam aliquando dubios, & incertos, faciuntque, ut probos, honeſtoſque viros ab improbis, & impuris diſtinguere nequeamus, non dici etiam poteſt quantopere hoc pacto obſint, cum apud Euripidem etiam ſapiens antea ſemper habitus Theſeus, eo nomine ſuſpectam habuerit eximiam probitatem, caſtitatemque filii: inſimulatus enim falſo Hippolytus, quod cubile ipſius violaſſet, quum ſe ille apud eum purgaret, quod vita ſua ab eo ſcelere valde remota eſſet, fidem ea de cauſſa non fecit; timuit enim pater, ne tenuis victus, cultuſque, quo filius delectabatur, abſtinentiaque a veſcendis animantibus, ſimulata foret; ſimulque ne diſciplina Orphei, quam ille profitebatur, familiaritaſque demum Dianæ, in qua ſe valde jactabat, ficta eſſet: quare in alteram partem miſerabiliter peccavit. Sed eo redeamus, unde digreſſi ſumus. Idem etiam intimus conſiliis Contareni, nec minus ſtudioſus famæ, exiſtimationiſque hujus optimi, ac pudentiſſimi viri, quem ſibi in vita tanquam vivum quoddam exemplar probitatis propoſuerat, notam, quam improbe vitæ ipſius inure-

re

re præpoſterus quidam amicus ſtuduit , hoc pacto delevit . Narrat enim, forte eveniſſe, ut illo ipſo tempore, quo graviter Contarenus ægrotabat, Bernardinus Ochinus, ille novæ condendæ Franciſcanæ familiæ dux, & auctor, Bononiam venerit, Romam ad cauſſam dicendam evocatus: inſimulabatur enim, in iis concionibus, quas Venetiis habuerat, nonnulla dixiſſe, quæ veteribus decretis Romanæ reip. adverſabantur: additque, habuiſſe illum literas ad ſe ſcriptas a Giberto Epiſcopo Veronenſi, quibus a ſe petebat, ut diligenter ageret cum Legato, ut hortaretur hominem ad ſiſtendum ſe in judicio, coramque ad ea, quæ ipſi objiciebantur, defendenda: quum cognoviſſet, ipſum timide ad id deſcendere, egereque ſtimulo quopiam, & auctoritate magni alicujus, & gravis viri: neque enim adhuc Gibertus hominis levitatem, inconſtantiamque perſpexerat: is autem veſperi venerat, quum jam cœnaſſent omnes, Legatus tamen adhuc in lectulo vigilaret; qui, quum ſperaret, morbum poſtridie leviorem fore, ut commodius eum audire poſſet, loquique cum ipſo familiariter, juſſit ut præberentur illi, quæ ad curandum corpus pertinerent; contigiſſe vero contra, ut ea nocte morbus ingraveſceret, quare mane Legatum totum diſtentum fuiſſe in remediis, quæ medici adhibenda juſſerant, ſumendis, noviſque curationibus: unde factum fuerit, ut neque de hoſpite illo, neque de alia ulla re agi cum eo potuerit. Bernardinus interim, cui in primis mala ſua mens, maluſque animus cognitus erat; atque umbras etiam (ut, qui ſibi alicujus ſceleris conſcii ſunt, faciunt) reformidabat, cœpit vereri, ne aſtute illic detineretur: putabat enim, fingere morbum Legatum; quo metu homo oppreſſus (nam hoc verum eſſe non multo poſt e conſilio, quod cœpit, perſpectum eſt) non ceſſabat Ludovicum urgere, ut rogaret Legatum, poteſtatem ſibi faceret abeundi: in quo ille ipſi non obtemperabat, putans brevi fore, ut melius eſſet Legato: videbatur enim ſibi perſpexiſſe, cupere illum magnopere cum Bernardino loqui, qui ſane uſque ad id tempus magnum ſibi nomen ex facultate illa dicendi, & opinione ſanctitatis conciliarat. Cum autem, magis magiſque ſemper timore creſcente, inſtaret, Ludovicus importuno ſane tempore coactus eſt, cum æſtu febris in lectulo Legatus jactaretur, eo irrumpere, rogareque, ut pateretur ipſum abire; in quo ſane humaniſſimus vir ei morem geſſit; quumque ad eum Bernardinus introductus eſſet, hæc ipſa verba protulit: Vides, quo in ſtatu ſim; excuſatio hæc apud te juſta ſit; & ora, ut Deus optimus maximus mihi propitius ſit; feliciterque inſtitutum iter perage: cui ille tantum, demiſſo (ut moris eſt) capite, reſpondit, ſe prorſus ita facturum; illicoque abiit. Hic eſt ſermo, quem Bononiæ habuit cum ſanctiſſimo, & modeſtiſſimo

Q 2 viro

viro Bernardinus; nec verbum præterea additum eſt; qui tamen poſtea, quum ſuſceptam vitæ rationem deſeruiſſet, acerrimumque ſe hoſtem Pontificiæ poteſtatis præbuiſſet, ut ſe ſapienter id feciſſe oſtenderet, a perditaque cauſſa, & flagitiis multis contaminata, merito defeciſſe, habereque ſe multos ſocios ejus conſilii, probare vellet, non veritus eſt criminari amicum, memoriæque, ac literis prodere; queſtum ſecum eſſe eo tempore Contarenum de moribus, inſtitutiſque Romanorum Antiſtitum; & inſectatione ſæva, atque injuſta bonorum, hujuſcemodique alia multa ſcribere prorſus inania, & quæ non ſolum a veritate abhorrerent, ſed etiam vitæ ejus, cui adficta erant, nullo modo convenirent. Quæ cuncta Ludovicus (ut eſt vir optimus, & omnis officii, quod in amicitia coli debeat, obſervantiſſimus) aſſeverabat, refellendi ejus mendacii cauſſa, & purgandæ innocentiæ viri illius mortui, quem vivum magnopere dilexerat; nec tantum hoc ſe ita habere teſtimonio ſuo confirmabat, ſed alios etiam teſtes hujus rei producebat, qui præſentes illic adfuerant; in quibus etiam nominabat Julium Contarenum, fratris Legati filium, qui poſt ejus mortem, & ob naturæ probitatem, & ob commendationem patrui, creatus eſt Pont. Civitalis, cui præfecturæ regendæ præpoſitus antea fuerat. Cum hoc tanti momenti ſit ad integritatem Contareni oſtendendam, abſtergendamque maculam illi falſo aſperſam, volui totam rem, ut factam eam accepi, ac pene iiſdem verbis, quibus mihi expoſita eſt, commemorare. Rebus autem geſtis ab eo dum vixit enarratis, nunc quæ monimenta ingenii reliquerit, fructuſque otii ipſius indicabo; prius tamen, quod adhuc valet aliquid ad confirmandam doctrinam hominis, teſtimonium de ea re graviſſimi, & eruditiſſimi viri citabo: quod additum ſuperioribus teſtimoniis, quæ prodidi de eximio ingenio ipſius, præſtantique cognitione omnium diſciplinarum, vera eſſe declarabit, ſimulque non ſinet quempiam dubitare, quomodo ille, in vita plerumque occupata, tot, tamque præclara opera efficere potuerit, quæ multum etiam poſteris proſint, perpetuoque teſtentur, qualis ille, quantuſque vir fuerit. Ludovicus igitur, cui cognomen ferrei oris fuerit, nobilis philoſophus, & qui multos annos in Bononienſi gymnaſio ſumma cum laude, & admiratione omnium, qui aliquando ipſum diſputantem audierunt, matrem eam omnium optimarum artium coluit, mortuo Contareno, quum ſermo ipſi eſſet inſtitutus cum honeſtis quibuſdam viris de damno, quod eo tempore factum eſſet interitu illius, plurimiſque animi dotibus, ac maximis virtutibus, una cum eo extinctis, inquit doloris plenus: (nam virum eum valde dilexerat, in familiaritatemque ſe ejus inſinuarat illo tempore, quo Legati nomine urbem eam rexit) Ego, quod mihi videor

deor meo jure facere poſſe (nec enim malum me omnino eſſe exiſtimatorem harum rerum arbitror) adfirmo, hunc hominem omnibus, quos aliquando cognovi in philoſophiæ ſtudiis merito laudatos, qui ſane non pauci fuere, præſtitiſſe & ſcientia multarum rerum, & judicii firmitate, ipſumque vere philoſophi graviſſimo nomine dignum fuiſſe judico. Certe quum ego de aliqua re, propria ejus ſtudii, cum eo diſſerebam, videbar mihi præ illo minutus quidam philoſophus eſſe; vel potius novus quiſpiam auditor, & plane rudis ejus artis, quam profiterer, quare ad ipſum ſæpe me conferebam, ubi locus aliquis obſcurior mihi negotium faceſſeret: in qua quæſtione quum paullo antea ipſe toto animo verſatus eſſem, & aliquas etiam horas, evolutis pluribus voluminibus, præterita die conſumſiſſem; ille vero, ut exiſtimari poteſt, ſpatio multorum annorum nullam cogitationem de ipſa ſuſcepiſſet, ita tamen apte, & exquiſite nodos illos diſſolvebat, ut videretur diu, multumque non multo antea de ea cogitaſſe: quare, inquit, ſæpe ego pene ſtupidus evaſi; mihique potius cum cœleſti aliqua natura, quam cum mortali homine viſus ſum loqui: idque nunc, quia res ita ſe habet, verumque id prorſus eſt, prædico, nulla alia cauſſa impulſus: quis enim non videt, aſſentationi nunc locum non eſſe, quæ præterea a perſona, quam ſuſtineo, longe ſemper abeſſe debet? Hæc aſſeveranter tunc ab illo prolata quum eſſent, auxerunt magnopere opinionem, quam, qui aderant, de præſtanti Contareni ingenio antea in animis habebant. Sed etiam ſcripta, quanta fuerit eruditio ipſius, aperiunt; quæ ſane, ut ordine a me tradantur, hæc ſunt. Edidit juvenis adhuc (trigeſimum enim tertium ætatis annum tunc agebat) librum contra judicium Petri Mantuani doctoris ſui; nec tamen ea de cauſſa minus pius, quamvis contra pietatem facere videretur, fuit: ille enim in omni ſermone ſuo adfirmare ſolitus erat, ex opinione, ſententiaque Ariſtotelis exiſtimari debere, animos noſtros eſſe mortales: quum contra ipſe, ſedulo adverſus eum diſputans, citatis multis locis, & tanquam tabulis obſignatis, oſtenderit, longe aliter principem Peripateticorum de ea re ſenſiſſe, viderique potius immortalitate donatos ipſos Ariſtotelem eſſe voluiſſe; cujus opinionis antea Plato, unde didicerat, ſine ulla dubitatione fuerat. Argumenta autem illa firma ad probandum, & gravia fuiſſe, opuſque totum valde elaboratum, perſpicitur: quia acutiſſimus ille phyſicus in libro, quo defendit opinionem illam ſuam, acriter oppugnatam ab eo, quem inſtruxerat, tradit, eum librum & doctiſſimum omnium, & uberrimum eſſe, qui omni tempore materiam illam perſecuti ſunt; additque, videri prorſus eum divina opera, & manu fabricatum fuiſſe. Scripſit etiam de elementis libros quinque, in quibus

bus viam omnem, rationemque Ariſtotelis diligenter expreſſit: miſit autem illos ad Matthæum Dandalum ſororis ſuæ virum, cujus hic ſupra mentio cum magnis, veriſque ipſius laudibus facta eſt. Addidit his in altiore philoſophiæ parte libros quatuor, quos dicavit Paullo Juſtiniano nobiliſſimo, & clariſſimo ſuo civi; qui odio rerum humanarum, quum pertæſum eſſet varietatis ipſarum, ut facilius divinas contemplaretur, Deoque ipſi toto animo ſerviret, in Etruſcos montes, cœtumque Camaldulenſium ſe contulerat. Hi libri ei, qui attente legerit, nullo negotio patefacient, quæ fuerit vis animi ipſius, & quanta prudentia in rebus gravioribus tractandis. Sed idem etiam (ut melius adhuc intelligatur, factum illum natura, & ſtudio fuiſſe ad perſonam eam ſuſtinendam, quam ipſi multo poſtea ſapientiſſimus Pontifex, multumque ſemper omni in re providens impoſuit) juvenis adhuc, vitamque colens liberam, ac nullis ſacris aſtrictam, occaſionem hanc ejus rei nactus, quod familiaris ipſius Pontifex Bergomas deſtinatus fuerat, ipſum inſtituere cupiens, duos libros ſcripſit de officio eorum ſacerdotum; finxitque ita, atque informavit talem virum, quales ſi forent, quibus tantum hodie commiſſum eſt, non laboraremus. Quis enim non fateatur, pias in primis, caſtaſque fuiſſe cogitationes ipſius, totaque mente, ac ſtudio ſolitum eſſe in illis volutari optimum virum, poſtquam alium inſtruere, & ornare in ea vita auſus eſt, quam ipſe adhuc non attigerat, nec unquam cogitarat, præcepta illa ſibi utilia aliquando futura? Præterea, quum orta quæſtio eſſet in Senatu de Pontificis Max. poteſtate, divinituſne illa ſtabilita foret, an humanis conſiliis regeretur; quumque multum de ea re illic in utramque partem diſputatum eſſet, domum reverſus, ut quid ipſe de eo ſentiret, oſtenderet, omnique errore cives ſuos liberaret, ſpatio unius noctis libellum confecit, qui nunc excuſus in manibus verſatur. Sed, ut iiſdem etiam in ſuo, proprioque ipſorum munere prodeſſet, effigiemque ejus reipublicæ, in qua natus erat, exprimeret, quinque libros confecit de Magiſtratibus, reque publica Venetorum, qui itidem divulgati ſunt. Poſtquam vero in ampliſſimorum Antiſtitum collegium cooptatus eſt, perlectis diligenter ſynodis omnibus, quæ variis temporibus ob emendandum ſtatum chriſtianæ reip. coactæ ſunt, in breve quoddam corpus graviſſimas quaſque ipſarum collegit, ſervato temporum ordine, materiaque omni, quam perſecutæ ſunt, demonſtrata. Utile vero mirifice potuit eſſe volumen illud ei ſynodo, de qua tunc ſummis contentionibus agebatur; quamque Paullus III. adverſarius, reconciliandorum animorum gratia, proponebat; multumque opis adferre illis omnibus, qui in eo certamine verſari deberent: miſit autem opus hoc multarum vigiliarum ad eum,

cu-

cujus maxime intererat, quid de ea re fieret, & qui eo tempore tota mente in illam curam incumbebat. Abſoluto autem illo, par huic opus, & quod eundem finem haberet, aggreſſus eſt: ſcripſit enim quatuor libros de ritibus, cæremoniiſque noſtræ religionis, perſuaſioniſque Chriſtianæ, quæ Sacramenta appellant: quibus libris complexus eſt materiam illam omnem, &, quæ radix, viſque ipſarum fuiſſet, declaravit; quidque demum pie credi, & cuſtodiri de illis deberet, veris rationibus, argumentiſque ſatis firmis comprobavit: nam ipſum, argumento hoc ſumto, ſi quod pollicitus erat, præſtare voluiſſet, debuiſſe omnem quæſtionem, de qua nunc tot, tantæque lites, & concertationes inter diſſidentes partes reip. exſiſtunt, explicare planum, & exploratum eſt: quare ſic quoque præclare inſtruxit, & armavit illos, qui pro veritate cominus congreſſuri erant cum hominibus magno errore inflatis, & cauſſam eam malam obſtinate defendentibus. Ut autem libellum alium, admodum utilem pravis opinionibus ex animis hominum evellendis, conficeret, occaſionem hanc habuit. Factum eſt, quum ille Bononiam Legati nomine obtineret, ut vir prudens, ſaluſque gregis illius, qui fidei ipſius, poteſtatique commiſſus foret, ut paſtorem bonum decet, valde ſtudioſus, ad eum veniret, medicinam ab eo petens, rationemque accipere cupiens, qua ſalvum ipſum, incolumemque redderet, quum graviter ægrotare non parvam partem ipſius cognoſſet; quam tamen totam rem ille ita tractari volebat, quum honeſtam, nobilemque civitatem regeret, ut ne ignominia illa notaretur, & tamen remedium cito adhiberet, ne magis malum ſerperet. Conſilium ipſius quum mirifice probaſſet Contarenus, multa animo revolvens, ut erat ſummus, & accuratus medicus hujus peſtilentis morbi, ſtatuit demum ita rem eſſe agendam. Confecit tanquam inſtitutionem quandam brevem chriſtiani hominis, collegitque, quæ magis mordere animum debent, probra omnia, & ita, ut aperire ipſa oporteat cum dolore ſacerdoti: illum autem commentariolum κατήχησιν appellavit, qui ſane non uni illi civitati ſanandæ factus videretur, ſed chriſtianis omnibus in officio retinendis, & ab illa contagione liberandis: cum vero gravis ille vir ad ſuos comportavit, divulgatumque ſtudio quodam, & arte effecit, ut vulgo reciperetur, cunctique ſe viæ illi tenendæ, legibuſque ſervandis aſtringerent, ſtatim enim probatus fuit omnibus, exceptis paucis illis, qui plane perditi, ac deſperati forent; poſteaque & ipſe formis excuſus eſt. Quum autem, ut geſta tunc res eſt, temporique illi aptum fuit, nomen & civitatis, & Præfecti ipſius in ſacris rebus curandis celaverim, illa poſtea patefacta, quum incommodi nihil amplius inde naſci poſſit, deberi puto perſonam etiam

a me

a me indicari. Moronus enim Mutinenſium Epiſcopus is fuit, qui & ipſe non multo poſt ob ſingularem prudentiam in rebus gerendis, præclaraſque alias animi dotes, auctus dignitate eſt a Pontifice Maximo; cujus ampliſſimi Sacerdotii inſigne Bononiæ manibus ſuis Legatus capiti ipſius impoſuit. Illuſtravit etiam ſcholiis quibuſdam ſuis Contarenus multos obſcuros locos in epiſtolis Divi Paulli, quum ipſas accurate legeret, quo ſane in ſtudio toto animo occupatus erat, cum mors eum oppreſſit. Sed etiam epiſtolas ipſe non paucas conſcripſit eruditas, & optimorum præceptorum plenas: ut libellos etiam nonnullos alios, aliquam occaſionem illorum conficiendorum nactus; præcipue autem ſtudiis amicorum, variiſque eorum temporibus ſerviens, in quibus eſt quæſtio diligenter explicata, perdifficilis ſane, magnique ſemper momenti habita ad vitam bene, beateque degendam; qua traditur, liberam eſſe poteſtatem noſtram, omnique nexu cauſſarum, ac neceſſitate ſolutam, veteres illi περὶ τῶν ἐφ' ἡμῖν ipſam vocabant, & qui de fato diſſerunt, re huic contraria, neceſſario de ipſa diſputationem ſuſcipiunt: eum vero librum miſit ad Victoriam Columnam, feminam lectiſſimam, & quæ ob eximium amorem erga virum mortuum, admirabilemque ingenii laudem in condendo carmine, maximo quoque honore digna eſt. Sed etiam, ut ſorori ſuæ, quæ ſe in caſtiſſimum cœtum mulierum Muranarum conjecerat, morem gereret, animumque ipſius ſuaviſſimo cibo aleret in ea ſolitudine, cui ſe dicaverat, interpretatus eſt duos Hebræorum illorum cantus italico noſtræ ætatis ſermone; cum enim ille doctrina, ingenioque ſuo prodeſſe quoque alienis ſtuderet, non viſus ſibi eſt poſſe ſuis ullo modo deeſſe. Quin etiam, eodem honeſto deſiderio incenſus, ut utilitatibus fratrum ſuorum ſerviret, qui crebro mercaturis faciendis operam dantes, navigabant, confecit libellum de æſtu maris, & quam cauſſam reciproca illa fluctuum agitatio haberet, diligenter monſtravit: qui tamen liber amico ipſius commodatus, magno adhibito ſtudio, recuperari nunquam potuit. Sed ne omnia diligenter minutiora ipſius opera, quæ plurima ſunt, enumerem; in quibus tamen appareret ſpecimen illius doctrinæ, ac judicii, finem faciam; poſſum enim vere adfirmare, quodcunque temporis vacuum a negotiis nanciſcebatur, in his rebus ipſum conſumere ſolitum, omneſque vigilias ſuas eum conſueſſe temporibus amicorum, neceſſariorumque ſuorum conſecrare, neque enim oſtentationis, & gloriæ cauſſa hujuſcemodi ſcriptiones ſuſcipiebat; in hiſque ſe dies, atque noctes macerabat: quamvis juſtus inde honos, nec magnopere reprehendendus conſequatur; ſed, ut dixi, voluntati amicorum, commodiſque indulgens, ſive ſtudiis ſuis, memoriæque ſerviens, a ſcribendo nunquam ceſſabat.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS DE CASA

PRÆFATIO

AD PETRUM MEDICEM

VIRUM AMPLISSIMUM

IN VITA

ALFONSI REGIS.

Ex MS. Bibliothecæ D. Cajetani de Alteriis Neapolitani, hujuſce ætatis Medici præclariſſimi.

Voluit aliquando Martinus V. Pont. Max. cum eſſet admodum ſenex, a pictore quodam, qui per id temporis celeberrimus erat, in picturam referri. Quare pictorem accerſens, eum, quid vellet, admonuit. Qui protinus, inſpecto ejus ore propter ætatem jam ſatis invenuſto, talem ad unguem retulit, qualem conceperat, ſervata picturæ lege, ac decore; moxque ad Pontificem reverſus, ei picturæ tabellam oſtendit, pro egregio artificio mercedem non mediocrem accepturus: qua inſpecta, cum Martinus rei deformitate offenſus eſſet, nulla artis ratione habita in pictorem contumelioſe invectus eſt, ipſumque a ſe cum tabella continuo ejecit. Quæ profecto res ei vitio non mediocri data eſt: aliud enim pro ſe pictori exemplar oſtendere oportuit, ſi eum imaginis pulchritudinem, quam veritatem ſequi malebat. Quanto melius Alfonſus rex, qui marmorario cuidam non mediocriter ſubiratus, quia miſſis faciei ſuæ vitiis pulchriorem in marmore reddiderat, quam eſſe animadverteret: Ad meam te, inquiens, formam fingendam, non ad alienam mercede conduxi. Nec minori laude dignus Nicolaus V. cum ſibi a Franciſco Philelpho doctiſſimo magis, quam ſapientiſſimo viro libellus, in quo ejus vita continebatur, miſſus eſſet adulationibus, quam veritate plenior, re cognita in ignem conjecit; ſatius eſſe multo

Digitized by Google

affirmans, nihil omnino ſcribere, quam hujuſcemodi lenociniis principum gratiam aucupari. Et licet levius erret, qui pingit, fingitve, quam qui ſcribit hiſtoriam; quo levior eſt pictura, quam hiſtoria: qui tamen in pingendo, fingendove propoſitum exemplar non exprimit vel adulatione, vel inſcitia, accuſari ſolet; quorum utrumque in hiſtorico vitium eſt perquam maximum. Laudatur igitur non immerito pictura, ſculpturaque, non quæ varia eſt, quæ colorum plurimorum ſpecie diſtinguitur; ſed quæ ad ſimilitudinem viventis, propoſitive exemplaris imaginem refert. Qua profecto cauſſa hiſtoria, quæ procul eſt ab omni aſſentationis ſuſpitione, non minus probandam exiſtimaverim. His ego rationibus adductus, Vir Magnifice, in Alfonſi vita ſcribenda leges veritatis ſervare, quam adulari malui; præſertim ad te ſcribens, virum quidem, qui tam patris tui ſapientiſſimi viri exemplo, quam innata natura tua ab hujuſcemodi vanitate ſemper abhorruiſti; veritatem cum aliis in rebus amplectens, tum vel in primis in hiſtoria. Etenim ſi principis vitam ſcripturi, illa tantum, quæ laudanda ſunt, proſequamur, improbanda omittamus; quid aliud, quæſo, agemus? niſi mentiendo ſecula fallamus, quæ accuſandis vitiis emendari ſolent, non ſecus quam laudandis virtutibus. Quamquam in hac vita ſcribenda nihil a me minus factum eſt, quam quod aut vituperare tantum regem, aut laudare voluerim: abſit, ut tam temerarius haberi poſſim. Ejus enim mores, ingenium, naturam non tanquam cenſor, aut orator, ſed tanquam hiſtoricus refero; nihil omnino rem minuens, aut augens. Quam, obſecro, per otium legas: ſpero, te operis brevitate ſatietatem minime accepturum.

AL-

Digitized by Google

A L F O N S I
R E G I S
V I T A.

ALfonſus Rex natione Hiſpanus fuit, & Ferrando Rege prognatus, quem non tam ſucceſſio, quam vitæ integritas, & animi magnitudo ad regnum citerioris Hiſpaniæ, quæ Tarraconenſis dicitur, & ad Siciliæ, Balearumque inſularum ditionem aſciverat. Hic quatuor ex conjuge natos ſuſcepit, Alfonſum primogenitum, Joannem, Federicum, & Petrum; quorum Alfonſum, cum eſſet annorum xx. regem reliquit, qui nequaquam ſegnis paternum imperium admodum amplificavit. Nam Sardiniam, & Corſicam ad ditionem adjecit, & in Italia Campaniam, Apuliam, Calabros, Samnites, & Pelignorum, Marſorumque potiorem partem; contenditque, quoad vixit, ut ſibi principatum Italiæ vendicaret. Valuit plus conſilio, quam manu. Illi novæ res magis, quam otium, placebant; neque unquam a bello temperavit, bellumque ex bello quæſivit. In Italia, ſiquando pacata omnia fuiſſent (quod neſcio, an unquam fuerit temporibus ejus) in Africam contra Mauros, aut in Græciam contra Turcas claſſem armabat. Maſſilienſes multis moleſtiis affecit, quorum portum, vicoſque ejus proximos incendit. Divi Ludovici corpus, quod apud eos in ſumma veneratione eſt, inde Valentiam abſtulit. Nullum tamen in Italia bellum, niſi Neapolitanum, ad votum finivit. Invitus pacem accipiens magis, quam dans; in quo tamen ipſo adverſa multa pertulit: nam & apud Cajetam, non procul a portu, commiſſa navali pugna cum Genuenſibus, ſuperatus, captuſque eſt, & Mediolanum ad Philippum Mariam, cujus imperio Genua tenebatur, quaſi in ſpeciem triumphi perductus, a quo tamen præter omnium opinionem inſigni magnificentia, & honore prorſus regio ſuſceptus eſt; moxque ab eo ampliſſimis muneribus affectus, & in intimam amicitiam adſcitus ad bellum regni proſequendum remiſſus eſt. Profuſus potius, quam liberalis: in vaſis aureis, argenteiſque, & pretioſiſſimis gemmis undique coemptis, in aulæis Britannicis, tapetibuſque, reliquoque luxu regio ſupra, quam credi poſſet, magnificus. In conviviis lautiſſimus, in nutriendis præclaris ingeniis benignus, ædificandi quoque intentiſſimus fuit, ſed ſu-

pra mortalium fidem venationis ſtudioſiſſimus; fundebatque ea in re quotannis circiter octoginta millia aureorum, aliquando ducenta millia exceſſiſſe dicitur. In qua plerunque uſque adeo ferox fuit, ut ſiquis ſibi, vel filius, dum feras perſequeretur, aut dum certaret (ad quod ſocium neminem unquam volvit) vel ſponte, vel caſu obviam fuiſſet, dimiſſa fera illum petebat; & niſi caviſſet, perimebat: quod genus crudelitatis temporibus meis bis commiſiſſe accepi.

Cavebatque proinde ſibi quiſque, nec temere in venatione vagabatur. Triſtis, ſi prædam non feciſſet; jucundus, ac benignus, ſi victor apros, aut cervos fixiſſet. Aucupium accipitrum pari ſtudio perſecutus eſt; inter quos falconibus, & ſacris majorem in modum delectabatur, queis non niſi miluos, aut grues inſequi curabat, non tam prædæ, quam certaminis cupidus. In venerem vehemens, neque ejus rei ullo pudore tenebatur. Fide fuit ſatis dubia: literas etiam inter arma non neglexit, hiſpanica lingua facundiſſimus. Nunquam reſpondit aut italicis, aut alienigenis oratoribus, niſi patrio ſermone: quamobrem cum a Janotio Manetio, apud eum aliquando Florentinorum legato, rogaretur, quare cum italicum, latinumque teneret, eo in reſpondendo non uteretur? Spectare ad regem, inquit, diſerte, ac incunctanter loqui; idque nulla alia lingua fieri, quam propria arbitrari. Oratores omnium nationum ad ſe profectos propria impenſa, quoad dimitteret, opulenter alebat. In liberalibus diſciplinis ſuæ ætatis poeta inſigni (*a*) magiſtro uſus eſt, qui ſuavitate ingenii, facetiiſque, quam doctrina melior erat. Hic de præclaris dictis, & factis ejus libellum non ineleganter compoſuit. Habuit & Bartholomæum Facium rerum a ſe geſtarum ſcriptorem non contemnendum. In ſacris literis Epilam Hiſpanum, doctorem acutiſſimum, audivit. In arte differendi Ludovico Cardoni viro ſubtiliſſimo plurimum tribuebat, audireque eum aliquando volebat. Martinum quendam grammaticæ profeſſorem ſatis ridiculum nunquam contemſit, tametſi de illius inſcitia non dubitaret; arceſſebatque in hebdomade, cum Neapoli eſſet, bis noſtrates philoſophos, & eos partim audiens, partim conſulens, in hiſpanicam linguam latinorum auctorum dicta traducens, inter quos nemine magis, quam Seneca delectabatur. Voluitque ejus epiſtolas in patriam linguam convertere; & quia vitam ejus neque græce, neque latine exſtare audierat, componendam Janotio Manetio mandavit. Sacras porro literas bis quoque in hebdomade audiebat, ſed variis diebus. Religionem miram præ ſe ferebat non ſine ſuſpicione hypocriſis: nam & cæremoniarum obſervantiſſimus fuit, & ſacris aſſidue genu poſito, ac ſingulis diebus reveren-

(*a*) Scilicet *Antonio Panormita*, ut in margine MS. exaratum legitur.

verentiſſime interfuit. Horas canonicas omnes nunquam omiſit. Virginis genitricis in primis dicatiſſimus. Quotannis paſchalem Domini cœnam maxima religione, ſolennitateque colebat, ad cujus imitationem pauperum nonnullorum pedes lavabat, tergebatque, & randem tradita cuique ſtipe deoſculabatur, induique ſingulos albis veſtibus jubebat; eoſque eſſe tot numero volebat, quot vixerat annos, ſingulo annis ſingulis ad numerum adjecto: hujuſmodi re annorum ſuorum ſupputationem faciens. Crucem, cum Calliſtus Pontifex expeditionem in Turcas indiceret, accepit, geſtavitque, ſuoſque omnes geſtare voluit: qua quidem ſimulatione decimas permiſſione Calliſti a ſubditis ſacerdotibus extorſit. Beneficia præterea, quæ in ſuis regnis vacabant, dare voluit, & pecuniam inde cogebat, a quo paucis ante obitum annis temperaſſe voto dicitur. Nam cum ſecundum genu ei ulcus graviſſimum innaſceretur, ex quo pene in ſummum vitæ diſcrimen adductus eſt, eum ſalutis gratia voviſſe ferunt, nunquam ſe inde amplius pecuniam quæſiturum. Cæterum vir fuit manſuetior, quam privatus: raro, aut fortaſſe nunquam ſine ſpe adeuntes dimittebat, frequenter illud uſurpans, Regem non decere quenquam a ſe triſtem dimittere. Prandebat, cœnabatque in propatulo, ubi magna procerum, aulicorumque frequentia adeo ſtipabatur, ut fere ſemper premeretur. Brachia etiam in ſe innitentium ſtans, ſedenſque, vel longævus, patienter ſuſtinebat. Die Veneris ſemel duntaxat cibum ſumebat, pane, & aqua contentus: inediæ, algoris, æſtus, vigiliarumque militari, quam regio more, patientiſſimus extitit. Spectaculis frequenter interfuit. Invitatus ad nuptias nemini unquam acceſſum negavit, & ubi potuit, ſemper affuit. Blandus, & mitis, & urbanus in verbis. Aurum quacunque occaſione data, modo honeſtatis ſpeciem poſſet prætendere, undecunque corradebat, videbanturque illi plurimum apud eum auctoritate pollere, qui ſe ad extorquendum promtiores exhibebant. Denique ingentes virtutes in eo, & vitia ingentia contendebant, ut de Hannibale tradit antiquitas. Ædificia magnifica multa reliquit, inter quæ arcem Cajetanam editiſſimo urbis loco ſitam, & vivo lapide fundatam. Arcem novam Neapolitanam, quæ omnia ætatis noſtræ ædificia magnitudine, ac pulchritudine ſtructuræ facile excedit, in cujus aditu arcum triumphalem ex marmore ad antiquum morem erexit. Oppidum aud longe ab ea arce in mari ſitum, quod a forma Ovum appellatur, inexpugnabile reddidit; juxta quod ſecus mare alteram arcem, quæ de nomine Falconis a celſitudine nuncupata eſt, ſtruxit. Turrim præterea inter arcem novam, & ovum in mari fundatam ad ſummum faſtigium evexit; in cujus culmine laternam pyramidalem, quæ noctu nautis

por-

portum oſtenderet, adjecit; viſiturque venientibus inde a freto uſque Siculo. Neapolim fere omnem ſtravit, vicoſque quoſdam obliquos cum ædibus direxit, molem alteram in portu conſtruxit, antiquam refecit, amplificavitque. In quo quidem opere montem lapideum a radicibus artificioſe evulſum provolvit. Cogitaveratque paullo ante obitum de urbis ambitu augendo, & mœnibus novis cingendo. Naves duas miræ magnitudinis fabricari juſſit, quas regias ob magnitudinem, decoremque appellari voluit, neque a portu Neapolitano quoquam, niſi ſemel, neque admodum longe ablegavit: in ſpeciem majeſtatemque regiam habitæ. Paludes circa Neapolim derivavit, ſalubriorem inde aerem, & feraciorem agrum efficiens. A multis principibus procul ab Italia venientibus ob reverentiam ſalutatus, viſitatusque eſt, quos exquiſitiſſimis honoribus excepit, nec niſi muneratos dimiſit; profectuſque eſt etiam ad eum viſendum Neapolim uſque Federicus Imperator cum Elionora conjuge, qui a Nicolao V. imperii inſignia acceperat: in cujus adventu venationes, & ſpectacula multa edita; fuitque adeo in eo honorando intentus, ut nihil aliud eo præſente audire cuperet, quam quo pacto ipſi in dies magnificentior, ſplendidiorque appareret. Saltavitque cum eo aliquando incenſis facibus in conſeſſu Capuano, urbis Neapolis vico nobiliſſimo, manu Elionoram trahens, Imperatore Lucretiam tenente, & ad quartam uſque horam noctis ſaltatum eſt ad tibias inſueto movendi more: quam ob virginitatis opinionem, venuſtatiſque decorem ſupra omnes mortales adamavit, ſupra ſexum extulit, ut quam ipſe ſalutare non vereretur domum ejus profectus; nec quicquam audiebat cupidius, gratiuſque, quam ipſius laudes ſive pudicitiæ, ſive formæ: quamobrem XII. annos, ex quo eam amare cœpit, nullus unquam princeps, nullus orator Neapolim venit, qui Lucretiam honoris gratia non adiverit.

Acceſſerunt ad eam Imperator, Cardinaleſque omnes, quos aliquando Neapolim contigit ad Alfonſum proficiſci. Ea porro intercedente nemini quippiam denegavit: omnia præſtitit: quin de ea in uxorem ducenda, Maria conjuge adhuc vivente, cogitavit. Idque, quantum potuit, effecit; ſed, repugnante religione, a Pontifice Maximo exorare nequivit: chirographum tamen Lucretiæ tradidit, quo ſe eam in uxorem ducturum pollicebatur, ſi contingeret, ut conjux prius interiret; proinde pompa, & veneratione regali domi, foriſque conſpiciebatur, ut non mediocris rumor extiterit, veneficio Alfonſum ab ea petitum fuiſſe. Fueruntque eam ob rem captæ, tortæque veneficæ complures, & tandem dimiſſæ. Qui vero hujuſcemodi res detuliſſent, inquiſi-

quiſiviſſentque, omnes de gradu dejecti, & a Rege ablegati. Nunquam de Alfonſi gratia contendens cum ea quiſquam, vel etiam filius, ſuperior evaſit: nemo inultus, ſi quicquam contra eam molitus fuiſſet; & cui non eſſet opus, ipſa prius reconciliata, interceſſione ejus apud Alfonſum benevolentiæ recuperandæ cauſſa. Ea porro ab Alfonſo, cum eſſet in ſumma egeſtate conſtituta, tametſi equeſtris ordinis parentibus nata, ad ampliſſimas divitias, & multorum locorum dominatum evecta eſt. Fratres nullius momenti homines ad maximas dignitates promoti. Omnes ſorores ſummis viris cum ingenti dote locatæ. Omnes agnati, conſanguinei, affines, amici, clientes ditati, & ad ſupremos honores adducti; quorum Rainaldus Piſcicellus meus affinis ad Archiepiſcopatum Neapolitanum prius, mox ad Cardinalatum ſublatus. Quibus rebus illius tamen virginitatem expugnare nunquam potuit, minus ſemper ſpei acquirens ejus potiundæ, quanto plura contuliſſet.

Admirabatur propterea univerſus orbis puellæ conſtantiam, nec minus Alfonſi continentiam, qui ei ob ſedandam libidinem vim inferre nunquam voluerit, nec propterea amorem remiſerit: non tamen eam quibus potuit artibus, unde in ſuam ſententiam trahere poſſet, ſollicitare deſtitit. Flexo poplite ante eam ſæpius conſpectus eſt, neque precando lacrymis interdum pepercit, ut ſui ſibi poteſtatem faceret. Statura fuit paullo minus quam mediocri: facie pleniore, & colore fuſco: naſo fuit oblongo, curvoque: oculis grandioribus, & vivacioribus: ſuperciliis dignitatem promittentibus: ore latiore, & ad profuſiſſimum riſum exprimendum idoneo: brachiis, cruribuſque gracilioribus. Conſpicuus erat in armis, & cujusvis, vel etiam indomiti equi ſeſſor immobilis. Integra valetudine, & viribus uſus eſt; nunquam articulorum, nunquam laterum dolore vexatus uſque ad extremum vitæ finem: raro febri affectus. Pileum paucis ante obitum annis ſumſit, nulla antea tempeſtate, inclementiaque cœli caput tegens, quem tamen Lucretiæ ſalutandæ cauſſa potius, quam ſenio ſumſiſſe dicitur. Nulla re alia magis tangebatur, quam gloria, ob quam Nicolao V. non nihil invidere fama fuit, proinde ad illius exemplum pictores, ſculptoreſque noſtræ ætatis præcipuos magna mercede undique aſcivit: muſicos cujuſque generis peritiſſimos habere voluit: literarii ordinis inſignes viros ad ſe, maxime poſt illius obitum, non mediocribus præmiis arceſſivit. Bibliothecam eadem prope magnificentia, qua Nicolaus incepit: librarios in pretio habens, inter quos Jacobo Curulo, calami velociſſimi, emendatiſſimique viro, quingentorum aureorum quotannis proventum ſtatuit. Paullo ante obitum Ferrandum filium graviſſima

viſſima oratione ad manſuetudinem, clementiamque cohortatus eſt, ei proceres, populoſque regni vehementer commendans; viciſſimque præſentes omnes, qui cubiculum compleverant, in filii benevolentiam, devotionemque alliciens, confirmanſque; videreque eos ad unum voluit, Ferrandum in Regem ſalutantes: quibus poſtremo lacrymantibus, & oſculari manum innuentibus dexteram porrexit. Obiit autem Neapoli in arce Ovi, vario ingruente morbo, pari ac vixerat ſpiritu, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo tertio, Neapolim invadente jam peſte. Ejus mortem varia prodigia præceſſere: nam & cometes inſolitæ magnitudinis in cœlo complures dies fulſit, & ingenti terræmotu omnia fere regni loca concuſſa, quo maxima hominum ſtrages facta eſt. Ipſius opera pleraque quaſſata. Infans quidam biceps natus: alter inconſpectæ magnitudinis viſus. Mortui porro ſunt paullo ante eum complures ex cariſſimis, intimiſque ejus aulicis: in diſciplinis omnes magiſtros, præter Antonium Panormitam, paucis ante menſibus amiſit, Epilam epiſcopum Urgellenſem, Ludovicum Cardonem, Martinum grammaticum, & qui vitam ſcribebat, Bartholomæum Facium: qui vero ex cariſſimis ejus ſuperfuerunt, brevi, præter admodum paucos, cum poſtea ſecuti ſunt.

TEſtamentum ejus, quia ad meam notitiam non pervenit, omiſſum eſt. Bella, quæ geſſit cum Venetis, Florentiniſque, & Genuenſibus, & antea contra Franciſcum Sfortiam, in commentariis, quos de Temporibus aggreſſus ſum, perſequor (ut opinor) ſatis diligenter: Quapropter in vita ejus explicanda repetere, niſi carptim, ſupervacaneum viſum eſt.

FINIS.

Digitized by Google

PLURES ORATIONES
THUCYDIDIS
A JOANNE CASA

In latinum converſæ.

DESCRIPTIO PESTIS ATHENIENSIS
EX THUCYDIDE LIB. II.

PLATONIS MENEXENUS, ET FRAGMENTUM
ORATIONIS FUNEBRIS.



PLURES ORATIONES
THUCYDIDIS
A JOANNE CASA
CONVERSÆ,

Nec tamen omnes continentes: quod ſuſpicari licet factum eſſe, quia nonnullæ ipſarum, interjectæ inter has, perierint.

Corcyræorum concio ad Athenienſes.

QUI Subſidium ad eos rogatum Athenienſes veniunt, a quibus nullam pro magno aliquo beneficio gratiam, nullumque ex fœdere auxilium deberi ſibi intelligunt, id quod nos in præſentia facimus; ii primum eam rem maxime quidem vilitati illis eſſe doceant oportet: ſi minus, certe non detrimento: deinde memores ſe ſe, gratoſque fore: quarum quidem rerum ſi nulla plane confirmata eſt, minime debent iraſci, cum eorum nihil, quæ poſtulaverant, impetraverunt. Miſerunt igitur nos Corcyræi, qui ita vos auxilium rogemus, ut hæc firmiſſima (ut ſperant) ad vos adferamus: quamquam acci-

Digitized by Google

accidit, ut unum, idemque noſtrum inſtitutum cum vobis noſtris cum poſtulatis minime congruere videri poſſit, tum vero nobis hoc tempore inutile ſit: nam, qui antehac nunquam cuiquam noſtra voluntate ſocii fuerimus, nunc idipſum ab aliis implorare cogimur: unaque in hoc Corinthiorum bello propter idipſum deſerti ab auxilio ſumus, deque eo, quod antea nobis prudentiæ aſcribebatur, cum minime cogeremur alieno arbitrio, cum alterum auxilio juvaremus, ipſi periclitari in bello, id modo nobis reliquum eſt, ut inconſulti homines, imbecillique animi judicemur. Tametſi profligavimus nos quidem proxima navali pugna ipſi per nos Corinthios; veruntamen, quoniam majoribus comparatis ex Peloponneſo, reliquaque ex Græcia copiis bellum nobis inferre parant, neque domeſticis nos opibus illorum impetum ullo modo ſuſtinere poſſe confidimus, ſummumque noſtrum periculum agitur, ſi forte ſub horum imperium redigamur, opem cum a vobis, tum a cæteris omnibus cogimur implorare: eſt autem æquum ignoſci nobis, ſi non malitia, ſed opinionis errore ea audemus, quæ priori otio noſtro ſunt repugnantia. Quod ſi ea, quæ volumus, a vobis impetrabimus, nempe caſus hic noſtræ neceſſitatis multis vobis nominibus decori erit: primum quod non incommoda aliis ferentes, ſed injuriam accipientes ope veſtra tuebimini: deinde quod maxime neceſſario noſtro tempore amplexi nos, teſtatum beneficium veſtrum clariſſima memoria, maximeque ſempiterna collocabitis: tum valemus nos claſſe poſt quidem vos plurimum. Ac ſpectate quam magnam vobis fors occaſionem oſtendat, quam hoſtibus veſtris acerbam: etenim eæ copiæ, quas vobis eſſe adjunctas magnæ pecuniæ, magnæque gratiæ anteponeretis, ſine periculo, ſineque ſumtu, non modo ultro ſe ſe vobis offerunt, ſed adferunt præterea in vulgus quidem gloriam, a nobis autem, quibus ſubvenitis, gratiam, vobis vero ipſis potentiam: quæ quidem perpaucis unquam una omnia obtigerunt, paucique ita opem ab aliis imploratum veniunt, ut non minorem illis, unde auxilium ſibi poſtulant, vacuitatem periculorum, atque ornamentum apportent, quam ipſi inde ablaturi ſint. Bellum autem, in quo noſtra extare poterit utilitas, ſiqui veſtrum ſunt, qui nullum fore arbitrentur, ii errant longe: neque ſentiunt, Lacedæmonios metu veſtri bellum jam animo conceptum habere; Corinthios autem cum vobis eſſe inimicos, tum apud eos plurimum poſſe, atque eo nunc operam dare, ut antea vos occupent, & cum ſuo hoc in nos conatu implicent, ne propter commune odium contra ſe nobiſcum conſpiretis, neque eos alterutrum fruſtretur, quin aut nobis damnum, aut ſibi firmitudinem comparent. Veſtrum eſt igi-

igitur recipiendis in amicitiam Corcyræis, cupientibus quidem eos prævenire, præoccupareque ipſorum inſidias potius, quam contra aliquid inſidiarum moliri. Quod ſi contendent, non eſſe rectum ſuos a vobis colonos recipi, illud docendi ſunt, colonias, quamdiu illis benigne fit a vetere civitate, tamdiu illam colere ſolere; ubi autem injuria inferatur, alienari ab ea: non enim, ut ſervitutem perpetiantur, deductæ ſunt; ſed ut juris æquabilitatem cum iis, qui domi remanent, retineant. Injuriam autem hos facere, id vero manifeſtum eſt: cum enim in judicium de Epidamno vocarentur, armis maluerunt, quam jure experiri; ſitque adeo vobis pro diſciplina id, quod in nos propinquos, cognatoſque ſuos patrarunt, ne vos in fraudem deduci patiamini, neve, quod vos rogarint, temere faciatis: quem enim gratum hoſtibus feciſſe maxime raro pænituerit, is quam diutiſſime tutus erit. Nec vero nobis recipiendis frangitis fœdus, quod cum Lacedæmoniis ictum eſt: cavetur enim quæ Græciæ civitates fœderi adſcriptæ non eſſent, eas utri commodum ſit licere ſibi ſocias adjungere: eſtque omnino illud audquaquam ferendum, ſi his quidem licet naves ex fœderatis complere, prætereaque reliqua ex Græcia, nihiloque ſecius ex his, qui ſub veſtro imperio ſunt; vobis autem cum hoc ipſo auxilio, tum reliqua omni ope interdicent; ponentque in injuria, ſi, quæ vos rogamus, ea auferemus a vobis. At vero nos longe ſane plura habebimus, in quibus vos, niſi exorari vos ſinetis, accuſemus: nam nos quidem, quibus periculum intenditur, neque vobis ſumus inimici, repellitis; hos vero, qui & hoſtes ſunt vobis, & nos oppugnatum veniunt, tantum abeſt, ut prohibeatis, ut etiam e finibus veſtris conductas copias habere eos patiamini: id quod minime æquum eſt fieri a vobis: ſed aut interdicere debetis iis, qui veſtræ ditionis mercede apud aliquos militant, ne apud hos mereant, aut nos quoque omnino quidem, ut videbitur, juvare; maxime vero ut aperte in amicitiam receptos rueamini. Oſtendi igitur, quod initio propoſueram, multis de cauſſis hanc rem vobis utilitati eſſe, præcipueque quod eoſdem habeamus inimicos, quod manifeſtiſſimum eſt argumentum; eoſque audquaquam infirmos, ſed qui nocere iis, qui a ſe defecerint, valeant. Navali vero, & non terreſtri auxilio oblato, non idem habet incommodi ipſum repudiare. Itaque prohibendi vobis omnes ſunt, ſiquidem poſſitis, claſſes habere: ſin minus, firmiſſimi quique amici vobis adjungendi. Siquis vero ex uſu veſtro ea, quæ a nobis dicuntur, eſſe exiſtimat, metuit autem, ne, ſi hæc ſecuti eritis, fœdus rumpatur, is tenere debet, ſuum hunc metum, adjunctis viribus, pavori hoſtibus fore: quod autem illis animum

mum auget, qui nos ſententia ſua non recipiunt, minime firmum cum ſit, apud validos hoſtes fore a metu vacuum. Nec vero exiſtimate, de Corcyra magis nunc conſuli, quam de ipſis Athenis; quibus quidem aud recte ſane proſpiciunt, qui præſentia modo intuentes, ad id bellum, quod impendet, quodque adeo prope jam jamque adeſt, civitatem ſibi adjungere dubitant, quæ conciliata, alienatave magnas in utramque partem habitura ſit opportunitates: eſt enim poſita in eo curſu, qui eſt ex Italia, atque ex Sicilia, ut cum inde ad Peloponneſios ire claſſem, tum illinc eo tranſmittere, facile prohibere poſſit, tum ſumma eadem ad alia omnia eſt opportunitate. Atque ut perbrevi comprehendam, voſque cum univerſos, tum vero ſingulos doceam, minime vobis committendum eſſe, ut nos deſtituatis. Tres omnino Græcis ſunt claſſes non contemnendæ: ea quæ apud vos eſt, noſtraque, atque hæc Corinthiorum, quarum ſi unam deſeritis, neceſſe eſt duas in unum coire: atque ita, ubi nos prius Corinthii oppreſſerint, cum Corcyræis ſimul, Peloponneſiiſque claſſe decertabitis: quod ſi nos receperitis, noſtras naves, quibuſcum bellum adverſus eos geratis, ad veſtras adjungetis.

CORINTHIORUM

CONCIO AD ATHENIENSES.

QUoniam Corcyræi hi non modo de ſe ſe recipiendis, ſed de noſtra etiam injuria, deque eo, quod oppugnari ſe a nobis rectum eſſe negent, diſſeruerunt; nos quoque, neceſſe eſt, utraque de re pauca prius memorare, quam ad reliquam orationem accedamus: ſic enim & de noſtris poſtulatis certius, quod conſtituatis, habebitis; &, quod hi vos rogant, non ſine cauſſa reſpuetis. Ajunt igitur, ſua factum eſſe temperantia, quod neminem antehac ſibi ſocium adjunxerint; illi vero non virtute, ſed malitia id inſtituerunt, quod facinorum ſuorum nec ſocios, nec vero teſtes habere, nec adeo, eos cum invitarent, erubeſcere volebant. Tum civitas ipſa, opportuno loco poſita, cum proficiſci ipſi navibus minimum cogantur, & alios neceſſitate ad ſe appulſos quam plurimos excipiant, eos injuriarum diſceptatores conſtituit, quas ipſi aliis inferunt graviores omnino, quam ut ullius fœderis pactio pati poſſit: atque in hac pulchra a fœderibus ſolutione, in qua ſe jactant, non illud ſpectatum eſt, ne in

in alienæ ſocietatem injuriæ traherentur, ſed illud, ipſi ut per ſe injuriam facerent; atque, ubi plus viribus valerent, vim inferrent; ubi clam eſſent, fraudarent; ubi quid adripuiſſent, nulla eſſet verecundia. Etenim viri boni ſi eſſent, quemadmodum dicunt, quo minus fortes fuiſſent, eo illuſtrius ſuam virtutem, cum æquo parique jure viverent, oſtendere potuiſſent. Sed nec in alium quemquam, nec in nos tales exſtiterunt; cumque noſtri ſint coloni, ſemper a nobis diſſiderunt, nunc bellum etiam faciunt. Dicunt autem, non ſe ad injuriam patiendam deductos eſſe: verum nos quoque negamus, propterea a nobis eos in coloniam miſſos eſſe, ut contumelia ab illis adficeremur, ſed ut principatum teneremus, & quoad decet, ab illis coleremur. Reliquæ itaque coloniæ magnopere nos obſervant, diligimurque a colonis plurimum: perſpicuum eſt, ſi majori ipſorum parti placemus, his ſolis recte nos, meritoque diſplicere non poſſe; nec, contra quam decet, bello perſecuturos ipſos fuiſſe, niſi inſigni aliqua accepta contumelia: & tamen ſiquid aliquando a nobis peccatum eſſet, dolori noſtro concedi id ab illis æquum erat; nos autem horum moderationi vim afferre turpe putare. Verum contumelia, & divitiarum affluentia elati, cum alia multa in nos deliquerunt, tum Epidamnum oppidum noſtrum, quoad inteſtinis malis vexatum eſt, non vendicarunt; ubi vero nos ſubſidio venimus, vi captum occuparunt. At petiiſſe dicunt, uti hac de cauſſa jure antea inter nos diſceptaretur: qua quidem in re animadvertendum eſt, non qui juſtitiam prætexat, quique, ubi in tuto ſit, tum demum in jus eat, cum aliquid dicere; ſed qui, priuſquam in certamen venerit, factis pariter, atque oratione æquitatem retinuerit. Nam hi quidem non ante oppidum a ſe oppugnatum, ſed ubi eam rem minime a nobis negligi intellexerunt, juſtitiæ tandem ſplendorem objecerunt; atque huc veniunt, nec ſatis habent, quæ ipſi ea in re peccarunt, niſi vos quoque non belli, ſed maleficii ſocios habere poſtulent, atque a nobis diſſentientes ſecum conſentire jubeant: illi vero tum adire vos debuerunt, cum procul aberant a periculo, neque id tempus exſpectare, cum & nos injuriam accepimus, & ipſi in diſcrimen venerunt, cumque vos, qui minime illorum potentiæ participes fuiſtis, nunc illis auxilium impertiamini, quique ab illorum facinoribus multum abfueritis, æque atque ipſi a nobis accuſemini; ſed communicata pridem potentia, quæ deinde conſecuta eſſent, ea quoque communia habere, nec tam inique invidiam modo ſuorum vobiſcum facinorum partiri. Docuimus igitur, cur & nos juſtitia confiſi huc venimus, & ii violenti, injuſtique ſint: nunc, cur eos a vobis recipi jus eſſe ne-

negemus, attendite. Quamquam enim fœdere cavetur, quæ civitates adſcriptæ non ſint, iis licere cum alterutro ſe ſe conjungere: tamen aud iis ea conjunctio permiſſa eſt, qui alteri injuriam faciant, ſed iis, qui, cum nemini ſe ſe ſubtrahant, præſidio egeant; quique iis, a quibus recepti ſint, ſi prudentes fuerint, pro pace bellum conflaturi non ſint; id quod vobis, niſi audire nos voletis, uſu venire neceſſe eſt: non enim his tantum adjutores, ſed etiam nobis, pro fœderatis, hoſtes efficiemini; etenim ſi cum iis vos conjungetis, minime ſelectis vobis, cum iis pugnare neceſſe habebimus. Eſt igitur æquum maxime quidem, utroſque ut rejiciatis; ſin minus, contra atque illi poſtularunt, nobiſcum ut contra eos conſpiretis: cum Corinthiis enim fœdus iciſtis, cum Corcyræis autem ne inducias quidem unquam ullas pepigiſtis. Nec vero hunc morem inſtituite eorum, qui ab aliis defecerunt, recipiendorum; quando ne nos quidem, cum a vobis Samii defeciſſent, deque illis tuendis reliquorum Peloponneſiorum in contrarias partes ſententiæ diſtraherentur, contra vos ſuffragium tulimus, aperteque reſtituimus, cum contenderemus, quemque ad ſe pertinentes ſocios punire jus eſſe. Quod ſi, qui aliqua in re deliquerunt, eos ad vos receptos tuebimini, profecto exſtabunt de veſtris aud pauciores, qui ad opem noſtram confugiant. Quare contra vos magis eam rem, quam contra nos inducetis in morem. Ac juſtas quidem poſtulandi cauſſas, firmaſque Græcorum legibus has habuimus; quibus autem vos admoneamus, ac rogemus, ut eam nobis gratiam, quam debetis, referatis, hæc habemus; quam quidem nos, qui neque hoſtes vobis ſumus, ut damno, nec rurſus amici, ut moleſtiæ vobis futuri ſimus, nunc repetimus. Etenim cum longarum navium quondam egeretis, ad Æginetarum bellum id, quod ſupra Medorum res geſtum eſt, naves a Corinthiis xx. numero accepiſtis; atque hoc noſtro beneficio; itemque illo de Samiis, cum perfecimus nos, quominus illos Peloponneſii armis defenderent, conſecuti eſtis, Æginetas ut ſuperaretis, & Samios ulciſceremini; idque ipſum eo potiſſimum tempore accidit, cum homines in hoſtem elati, omnia præ una victoria contemnunt, cum & eos, qui præſto ſint, tametſi antea hoſtes erant, tamen amicos putant; quique obſtent, etiam ſi forte amici ſunt, pro hoſtibus habent; quin proprias etiam res propter præſentis contentionis ſtudium facere deteriores ſolent. Hæc vos animo repetere, hæc juniores de majoribus natu diſcere debetis, atque ita ſtatuere, paribus nos beneficiis remunerari vos æquum eſſe; nec vero ſic exiſtimare, rectum quidem hoc eſſe, ſed utile fore bellum: ubi enim minimum turpitudinis, ibi utilitatis eſt plurimum. Tum au-

tem

Digitized by Google

tem bellum quidem, quod cum futurum Corcyræi dicerent, ejus vos metu territantes injuriam facere jubebant, incertum eſt; nec eo decet ſuſpenſos vos certas jam, præſenteſque cum Corinthiis inimicitias ſuſcipere; potiuſque veſtræ erit moderationis, ſiquid antea ſuſpicionis propter Megarenſes ſuſceperatis, id nunc obliterare: poſterius enim beneficium, tametſi levius eſt, tempore quidem illatum, vel ad graviores delendas injurias ſatis virium habet. Nec vero, quod maritimas pollicentur copias, movere id vos debet: firmiore enim potentia muniti ſunt, qui ab æqualium injuriis ſibi temperant, quam qui quod adeſt tantum, quodque præſens eſt cogitantes, cum periculo augentur, & creſcunt. Et quoniam in idipſum incidimus, in quo illud apud Lacedæmonios uſurpatum eſt a vobis, ſuum quemque ſocium punire jus eſſe, nunc idem a vobis reſponſum expetimus; qui noſtro cum ſuffragio beneficium conſecuti fueritis, veſtra ſententia detrimentum inferre nobis non debetis. Par igitur pari referte, atque illud cogitate, hoc vobis tempus datum eſſe, in quo, & qui adſint, amici in primis judicentur; & qui obſint, hoſtes; ac Corcyræos hoſce neque in ſocietatem repugnantibus nobis recipite, nec injuriam facientes adjuvate. Atque hæc ſi ita feceritis, cum officio fungemini, tum optime vobis ipſis conſuletis.

CORINTHIORUM

CONCIO AD LACEDÆMONIOS.

QUod vos fidentiores reddit, Lacedæmonii, de veſtris publicis, privatiſque inſtitutis, facit, ut minorem fidem habeatis aliis, ſiquid dixerimus: atque ex hoc modeſtiam vos quidem conſervatis, ſed iidem in majore externarum rerum ignoratione verſamini. Nam cum ſæpenumero, quæ nobis ab Athenienſibus damna impenderent, prædiceremus; non ut unumquodque dictum eſt a nobis, ſic vos percepiſtis, ſed ita arbitrati eſtis, ſuarum quemque potius privatim inimicitiarum cauſſa ad dicendum accedere: eoque non antea, quam illa evenirent, ſed cum geruntur jam, hoſce convocatis ſocios, in quorum conventu ut loquamur, magnopere ſcilicet ad nos pertinet: quoniam & ab Athenienſibus contumelia adfecti, & a vobis neglecti plurima, de quibus queramur, habemus. Ac ſiquidem illi occulte injuriam Græciæ inferrent, planum id nobis eſſet faciendum, utpote

cum ejus rei vos eſſetis ignari; nunc autem quid opus eſt longa iis oratione, quorum alios in ſervitutem adductos, aliis inſidias, in quibus noſtri in primis ſocii, factas videtis? Quæ illi ad bellum, ſiquod forte gerendum fuerit, jamdudum præparata habent. Quorſum enim pertinuit, Corcyram, repugnantibus vobis, occupare? aut Potidæam obſidere? Quorum alterum eſt oppidum maximo ad res Thraciæ uſui, alterum permagnum ſcilicet navium numerum Peloponneſo ſuppeditabat. Atque hæc culpa evenerunt veſtra, qui poſt Medorum res primum munire eos urbem paſſi ſitis, deinde longos muros conſtituere; atque adeo hoc quoque tempore non modo iis, quos illi in ſervitutem adduxerunt, ſed veſtris etiam ſociis libertatem vos adimitis: ſiquidem non is, qui ſervitute opprimit, ſed qui, prohibere cum poſſit, aſpernatur, is verius id agit; præſertim cum ſibi vindicandæ in libertatem Græciæ laudem aſciſcat. Vix igitur nunc tandem convenimus, ac ne nunc quidem certa de re: neque enim amplius fiat nobis injuria necne, ſed quo maxime modo eam repellamus, quærendum erat. Nam hi quidem deliberata re, molientes jam abjecta cunctatione incertos animi invadunt: tenemus enim, quanam Athenienſes via, atque ut pedetemptim alios aggrediantur. Ac quamdiu quidem latere ſe vos, propter veſtram tarditatem, arbitrati fuerint, minus confident; ubi vero animadverterint, intelligere quidem vos, quæ gerantur, ſed ea negligere, tum vero acriter incumbent: ſoli enim vos ex omnibus Græcis, Lacedæmonii, cunctamini, neque vi cuiquam, ſed procraſtinando reſiſtitis; ſolique non creſcentes ſtatim hoſtium opes, ſed poſteaquam duplicatæ ſunt, tum demum eas tollitis. At enim cauti dicti eſtis. In eo igitur oratio pluſquam res valuit: etenim & Medum, ex ultimis Orbis terræ finibus, antea in Peloponneſum invectum ſcimus, quam vos ſatis ad occurendum parati eſſetis; & iidem nunc Athenienſes, qui audquaquam tam longe, quam ille, ſed admodum prope abſunt, negligitis; defendereque bellum, quam ipſi inferre mavultis, fortunæque cum longe validioribus, quam vos eſtis, certantes vos permittere: propterea quod & Barbaros ipſos quamplurima feſelliſſe tenetis, & ipſos vos Athenienſibus magis iis rebus, in quibus ab illis offenſum eſt, quam veſtro ſubſidio reſtitiſſe. Nam ſpes quidem veſtra quoſdam jam, qui, vobis credentes, eo imparati erant, perdidit. Nec vero exiſtimare vos velim, odii potius, quam objurgationis cauſſa hæc a nobis commemorari: objurgatio enim errantium eſt amicorum, accuſatio autem injuriam facientium inimicorum. Tum nos, ſi quiſquam eſt alius, idoneos eſſe profitemur, qui alterum reprehendamus; præſertim cum multum inter

vos,

Digitized by Google

vos, atque illos interſit: id quod minime vos ſentire nobis videmini, minimeque ratiocinati eſſe, quales Athenienſes ſunt, quibuſcum futura vobis res eſt, quamque multum, atque adeo quam prorſus vobis antecellant. Illi enim, & ad novandum promti, & ad excogitandum acuti, & ad ea perficienda, quæ mente præceperint, celeres ſunt: vos contra, quæ habetis, conſervatis; nihil excogitatis; vixque neceſſaria quæ ſunt, obitis. Illi rurſum & ſupra vires audent, & ſupra conſilium experiuntur, & in rebus adverſis bona ſpe ſunt: veſtræ autem conſuetudinis eſt, minus etiam, quam vires, quamque conſilium veſtrum ferat, ſuſcipere, neque firmis rebus confidere, & adverſis levatum iri vos deſperare. Præterea illi ſtrenui, vos tardi: illi multum peregrinantur, vos domi maxime manetis: ſic enim illi exiſtimant, ſua profectione aliquid ſibi quæſitum iri; vos vero in eis quoque, quæ promta jam, parataque habetis, ſi ad alia aggreſſi fueritis, detrimenti aliquid accepturos vos putatis; iidem, ſuperatis hoſtibus, plurimum progrediuntur; ac minimum, ipſi victi ſi ſint, recedunt. Præterea corporibus quidem, tanquam maxime alienis, mentibus autem ut propriis, ubi patriæ profuturi ſint, utuntur; atque ea, quæ animo perceperint, cum re non adſequuntur, ſuis ſe privari rebus arbitrantur: quod ſiquid invaſerint, eoque potiti ſint, parvi id præ iis, quæ effecturi ſint, pendunt; ſin autem conata minime perfecerunt, alia rurſum ſperando, id damnum ſarciunt: ſoli enim ea, quæ concupierunt, uno eodemque tempore ſperant, ac tenent; propterea quod quæ in animum, ut facerent, induxerunt, confeſtim aggrediuntur, iiſque in rebus omnem ætatem cum induſtria, ac labore exigunt: &, quoniam continenter in quærendo ſunt occupati, partis quam minimum fruuntur; nec vero aliud eſſe diem feſtum agere putant, quam quæ agenda ſunt, adminiſtrare; deſidioſum autem otium æque in moleſtiis numerant, atque operoſum negotium. Quocirca recte aliquis ſic brevi comprehendens dixerit, tales eos extitiſſe natura, ut neque ipſi quieſcere poſſent, nec alios paterentur. Atque hac vobis tali conſtituta adverſaria civitate, Lacedæmonii, tamen cunctamini; atque ita ſtatutis, non iis mortalibus otium quam maxime eſſe diuturnum, qui re ſane, ac factis juſtitiam colant, animi tamen ejus eſſe intelligantur, ut, ſiquis injuria provocaverit, minime id laturi ſint; ſed eo æquitatem metimini, ut neque aliis graves vos ſitis, &, dum injuriam accepiam ulciſcimini, ne aliquid incommodi ipſi capiatis; id quod vix adſequeremini, ſi vobis veſtræ ſimilis civitas finitima accidiſſet. Nunc vero, id quod antea oſtendimus, nimium antiquis inſtitutis cum iis agitis. Neceſſario enim, ut in arti-

 bus,

bus, quæ noviſſime gignuntur, ea excellunt. Ac quietæ quidem civitati optimum eſt inſtitutis ſtabilibus uti; qui vero multis occurrere coguntur, ii multa nova excogitent neceſſe eſt: eoque Athenienſium res propter varios illorum conatus magis, quam veſtræ renovatæ ſunt. Verum ſit in hunc uſque diem veſtra cunctatio definita, ferteque cum aliis, tum vero Potidæatis auxilium ita, uti polliciti eſtis; atque in Atticam confeſtim impetum facite, ne homines amicos, cognatosque veſtros inimiciſſimis prodatis, reliquoſque nos ad aliam aliquam amicitiam per deſperationem detrudatis: nec enim ea in re quicquam aut in Deos fœderis teſtes, aut in homines, qui audituri hæc ſunt, peccabimus: rumpunt enim fœdus, non qui deſtituti ad alios ſe ſe conferunt, ſed qui, quibus auxilio ſe ſe futuros jurejurando ſanxerunt, eos deſtituunt. Quod ſi promtos præbere vos voletis, permanebimus: nec enim ſine ſcelere veſtram commutare amicitiam poſſumus, aut quemquam invenire, quocum æque, ac vobiſcum, conſueverimus. Hæc prudenter ſtatuite; dateque operam, ne Peloponneſum, cujus principatum obtinetis, minus amplam, quam a majoribus accepiſtis, habeatis.

ATHENIENSIUM
CONCIO AD LACEDÆMONIOS.

NON ob eam cauſſam, Lacedæmonii, legati nos quidem ſumus, ut ſocios veſtros contra diceremus; ſed ut, de quibus nos civitas miſit, ea ageremus. Veruntamen, cum aud parvam nos increpantium vociferationem audierimus, adſumus: minime nos quidem, ut civitatum criminationibus reſpondeamus, quando neque noſtra, nec vero illorum ad judices tamen oratio haberetur; ſed ne vos tantis de rebus facile ſociis adſenſi, minus prudens conſilium caperetis: & ſimul ad omnem iſtam orationem, quæ habita eſt in nos, dicere volumus, docereque nos non immerito, quæ poſſidemus, tenere, & noſtram non indignam eſſe civitatem, quæ aliquo in numero habeatur. Ac valde quidem priſca commemorare nihil attinet, quorum auditionem magis, quam aſpectum eorum, qui audituri ſunt, teſtem habeamus. Medicas autem res, atque ea, quorum conſcii vos eſtis, uſurpare, quamquam moleſta eſt earum rerum aſſidua prædicatio, tamen neceſſe eſt: etenim ſi ea, quæ tunc cum periculo geſſimus, uti-

Digitized by Google

utilitatem habuerunt, atque ejus vos re participes fuiſtis, iniquum eſt, nos verborum fructu, ſiquis eſt, uſquequaque privari: nec vero deprecandi potius quicquam, quam teſtificandi, oſtendendique cauſſa, qua cum civitate certamen vobis conſtitutum ſit, niſi provideritis, verba faciemus. Itaque & ad Marathonem cum Barbaro nos manum per nos conſeruiſſe dicimus, & ille cum poſt rediiſſet, neque ejus impetum ullo modo terra poſſemus ſuſtinere, univerſa civitate in naves impoſita, claſſe ad Salaminam una cum cæteris decertaſſe: quæ quidem res eum cohibuit, quominus, ad unamquamque ſingulatim civitatem claſſe adpulſa, Peloponneſum vaſtaret, cum illæ contra tantum navium numerum opem inter ſe mutuo ferre non poſſent; cujus quidem rei ejus ipſius factum maximo eſt argumento: navali enim pugna victus, ut qui non jam eaſdem haberet copias, confeſtim cum maxima exercitus parte domum reverſus eſt. Quæ cum ita ceciderint, aperteque intellectum ſit, in navibus fortunas Græciæ conſtitiſſe, tria nos ad eam rem maxime utilia ſubminiſtravimus, navium maximum numerum, ducemque hominem prudentiſſimum, atque animi eximiam quandam alacritatem. Ac navium quidem quadringentarum numero duas tertias partes, aut paullo eo pauciores; ducem vero Themiſtoclem, cujus in primis opera perfectum eſt, uti navibus in freto confligeretur: quæ res ſine ulla dubitatione rem Græciæ publicam conſervavit. Itaque eam ob cauſſam maxime ille homo peregrinus omnium, qui ad vos unquam acceſſerint, in honore apud vos fuit: animum vero ſumme promtum, ſummeque fortem præ nobis tulimus, qui cum pedeſtribus copiis ſubſidio nobis veniſſet nemo, cumque reliqui ad nos uſque jam in hoſtium eſſent poteſtatem redacti, ſtatuimus, urbe relicta, corruptiſque rebus noſtris, communem tamen ſociorum, qui reliqui erant, ſalutem non deſerere, neque committere, ut diſſipati inutiles illis eſſemus, ſed navibus conſcenſis fortunam experiri: nec vero ſuccenſere, quod nos antea non defenderatis. Itaque illud adfirmare poſſumus, non majus nos a vobis beneficium accepiſſe, quam dederimus: vos enim, incolumibus etiam tunc oppidis veſtris, atque ut ea incolere in poſterum vobis liceret, cum de vobis jam ſolliciti maximam partem, non de nobis eſſetis, nobis ſuccurriſtis. Itaque quamdiu nos incolumes fuimus, ſubſidio non veniſtis: nos autem ea urbe, quæ jam nulla erat, nos commovimus; proque eo, quod tenui jam ſpe tenebatur, decertantes, vos pro noſtra quidem parte, noſque ipſos ſalvos conſervavimus. Quod ſi aut initio, ne agri vaſtarentur metuentes, Medo, id quod alii fecerunt, nos dediſſemus, aut poſtea naves conſcendere, utpote amiſſis jam omni-

omnibus bonis, auſi non eſſemus, nihil profecto erat, cur vos, cum haudquaquam ſatis magnam pro hoſtium claſſe navium facultatem haberetis, prælio velletis contendere, omniaque illi ſine ullo labore ex ſententia ſucceſſiſſent. Num igitur, Lacedæmonii, cum propter ſummam, quæ in nobis eo tempore fuit, animi alacritatem, tum propter exiſtimandi prudentiam, propterque imperium hoc, quod obtinemus, digni videmur, qui non tanta invidia apud Græcos ſimus? Nec enim id ipſum imperium per vim occupavimus; ſed cum vos, quod reliquum eſſet cum Barbaris belli perſequi recuſaretis, ſocii ſe ad nos contulerunt, &, ut ipſorum duces in bello eſſemus, rogaverunt; quod nos ad hanc uſque diem reipſa primum coacti produximus, maxime quidem timore commoti, deinde dignitate, poſtremo etiam utilitate: nec enim tutum jam viſum eſt, multorum odiis in nos excitatis; nonnullis etiam, qui defeciſſent a nobis, everſis; cum vos non æque atque antea amicos, ſed ſuſpectos, atque infenſos haberemus, depoſito imperio, in periculum nos committere; præſertim cum ii, qui a nobis deſciſcerent, vobis ſe ſe adjungerent. Nec vero accuſandi ſunt, qui in maximis periculis utilitati conſulunt. Vos itaque, Lacedæmonii, ſic Peloponneſi civitatibus præeſtis, ut veſtrum in ea re commodum propoſitum habeatis. Quod ſi imperio eo tempore in perpetuum, id quod nos fecimus, retinendo, odia in vos concitaſſetis, exploratum habemus, cum ſociis non ſecus, ac nos ſumus, moleſti eſſetis, coactum vos iri, aut fortiter illis imperare, aut ipſi periculum ſubire. Quare nihil nos mirandum, nihil a communi hominum conſuetudine abhorrens fecimus, quod & delatum nobis imperium recepimus, neque nunc gloria, metu, utilitate, maximis quidem rebus, inducti illud deponimus. Nec vero id adeo nunc primum ortum eſt a nobis, ſed ita ſemper comparatum fuit, ut potentior imbecilliorem coerceat. Tum vero digni eo nobis videmur eſſe, ne vobis quidem ſecus judicantibus, quoad utilitatis quidem rationem haberi placuit; nunc autem ad honeſtatem abitis, qua propoſita, nemo tamen unquam, cui viribus aliquid conſequi liceret, ab eo commodo obtinendo remotus eſt. Satis vero magnam laudem ii merentur, qui cum, hominum ſecuti naturam, aliis dominantur, pro potentia non iniqui ſunt. Itaque ſiqui ea, quæ nos obtinemus, acceperint, illos perfecturos putamus, ut qua nos ſumus æquitate appareat: nam nobis quidem vituperatio potius, quam laus noſtram ob æquitatem comparata eſt. Quod enim in rerum contractarum controverſiis cum ſociis noſtri juris jacturam facimus, quodque illi apud nos eiſdem legibus judicio nobiſcum contendunt, litigioſi habemur;

nec

Digitized by Google

nec cuiquam in mentem venit cogitare, quid ſit, cur cæteris, qui alibi gentium rerum potiuntur, minuſque æqui, quam nos, ſunt iis, quos in ditione tenent, vitio id non detur: nam ubi vim adhibere licet, litigare nihil attinet. At hi adſueti jam æquo parique jure nobiſcum vivere, ſi paullum modo de eo, quod ipſi æquum eſſe opinantur, aut propter noſtrum judicium, aut propter eam, quæ imperio comitatur, potentiam, aut quoquomodo imminutum fuerit, non propterea, quod maxima illis pars remiſſa eſt, gratiam habent; ſed aliquid ademtum eſſe ægrius ferunt, quam ſi a principio, repudiatis legibus, aperte injuriam facere inſtituiſſemus. Namque illud ne ipſi quidem ſic diſputarunt, inopem potenti non decere ſuccumbere; ſed neſcio quo pacto circumveniri judicio ſe, quam vi cogi, iracundius homines ferunt: in altero enim par pari injuriam infert; in altero qui plus poteſt, imbecilliori vim adfert. Itaque cum a Medis multo tractarentur aſperius, ſuſtinuerunt; noſtrum autem imperium acerbum videri nihil mirum: ſemper enim id, quod inſtat, præſenſque eſt, iis, qui ſub alterius ditione ſunt, grave eſt. Quod ſi, ſublatis nobis, ad vos ſumma imperii redeat, næ vos benevolentiam, quam propter noſtri metum collectam habetis, ſiquidem eam mentem, qua fuiſtis, cum contra Medos imperium brevi tempore obtinuiſtis, conſervatis, celeriter effundetis. Vos enim nec admiſceri ſe alios veſtris inter vos legibus permittitis, & qui aliquo exitis, neque iis ipſis utimini, neque iis, quibus reliqua Græcia vivere conſuevit. Quamobrem etiam atque etiam deliberate, nec enim parva res agitur, neque aliorum adducti voluntate, ac querela proprium vobiſinetipſis laborem imponite; atque in bello quam multa improviſa accidant, priuſquam id ſuſceperitis, proſpicite: ubi enim longius ductum eſt, in graves, & acerbos caſus deſinere conſuevit, a quibus æque utrique abſumus, atque utram in partem evaſurum ſit, incertum, periculoſumque eſt. At homines movendis bellis præpoſtere faciunt: rem enim præcipiunt, quod erat poſterum: ubi vero jam plectuntur, tum demum ad orationem redeunt. Nos igitur, qui nullo dum tali in errore neque ipſi ſumus, neque verſari vos videmus, edicimus vobis, ut dum integrum eſt, dum recta capere utriſque conſilia licet, ne fœdus rumpatis, neve jusjurandum violetis: de controverſiis autem jure ex fœdere diſceptetis. Si minus, Deos perjurii vindices teſtati, qua vos præeuntes nos deducetis, ea vos belli auctores propulſabimus.

CON-

CONCIO
PERICLIS.

IN priſtina ego mea ſententia maneo, Athenienſes, Peloponneſiis cedendum non eſſe: quamquam intelligo, non eadem alacritate homines bellum, cum ſuadetur, ſuſcipere, &, cum uſus venit, gerere ſolere, ſed adverſis in rebus animo immutari conſueviſſe. Hoc igitur quoque tempore faciendum mihi eſſe video, ut non diſſimilis fere ſim auctor conſilii. Quamobrem, qui mihi aſſenſi fueritis, communi ſententiæ, ſiquid forte ſecus ceciderit, ut opem ferre memineritis, æquum erit; aut ne ſi ex ſententia quidem ſucceſſerit, ullam vobis prudentiæ partem vindicetis. Fieri enim poteſt, ut adverſi rerum caſus temeritatem ipſi in ſe habeant, non minus, quam hominum cogitationes; eamque adeo ob cauſſam, ubi quicquam contra, ac ratio poſtulet, evenit, fortunam accuſare ſolemus. Lacedæmonii igitur cum jam antea inimico ſe ſe in nos animo eſſe præſeferebant, tum vel maxime id hoc tempore aperte ferunt: cum enim in fœdere ſit: ſiquid controverſiæ oriatur, uti de ea re jure inter nos diſceptemus; ab utroque autem, quod uterque habeat, teneatur, nunquam nec ex jure agere nobiſcum; cum judicium nos non recuſaturos profiteremur, nec judicium ipſi accipere voluerunt. Bello ſcilicet malunt, quàm oratione de controverſiis diſceptare: nec jam huc expoſtulatum, ſed imperatum veniunt: jubent enim, diſcedere nos a Potidæa, & Æginæ leges ſuas, juraque reddere; tum plebiſcitum, quod de Megarenſibus factum eſt, reſcindere; Græciam etiam ſuis ut legibus uti permittamus, qui ad nos noviſſimi venerunt, edicunt nobis. Nec vero, quod ad Megarenſium plebiſcitum adtinet, (id enim illi objiciunt in primis, quo etiam ſublato bellum futurum negant) exiſtimare vos velim, parvam ob cauſſam bellum vos habituros, ſi de eo delendo recuſaveritis; neque arbitrari, culpam in vobis reſidere, quod levi de cauſſa ad arma ieritis: nam parva hac in re veſtrum omne firmamentum agitur: quo enim animo ſitis, tentamini; atque in hoc ſi parueritis, perinde, quaſi metu adducti, in eo quoque dicto audientes futuri ſitis, continuo majus aliud aliquid imperabitur: quod ſi contra enitemini, efficietis profecto, ut illi faciendum ſibi eſſe intelligant, ut ſe ſe nobis æquiores poſthac præbeant. Protinus igitur conſiderate, utrum obedire nullo dum damno facto malitis, an, id quod mihi utilius videtur, parva æque, & magna de cauſſa bellum ſuſci-

ſuſcipere, neque ulla in re ſuccumbere, atque earum, quas habetis, rerum poſſeſſionem ſine ullo metu in poſterum retinere. Etenim cum pares, ante factum ea de re judicium, paribus ſatisfactionem imperant, ſive ea de magnis, ſive de parvis ſit controverſiis, eadem eſt libertatis imminutio. Quod autem ad bellum, atque ad utriuſque noſtrum facultates adtinet, nihilo nos inferiores futuros eſſe, de me, dum ſingula perſequor, cognoſcite. Sua Peloponneſii manu agros colunt, & officinas exercent; pecuniam nec privatam, nec in ærario habent. Diuturni præterea belli, atque etiam tranſmarini rudes, inſolenteſque ſunt, utpote bellis inter ſe ob paupertatem levibus contendere adſueti: qui vero hujuſmodi ſunt, neque naves complere, neque terreſtres exercitus ſæpius ſummittere poſſunt, præſertim cum a privatis ſuis rebus abſint, & de ſuo impendant, & mare præterea clauſum habeant. Huc accedit, quod bella promta magis, parataque pecunia, quam vectigalis, extortaque vi ſuſtinet: at homines agricolæ, atque opifices promtiores ad bellandum corporibus ſunt, quam pecunia: illa enim ex periculis ſalva exitura ſperant, hanc antea conſumtum iri metuunt; præſertim cum id, quod uſu eventurum veriſimile eſt, bellum ſua opinione longius ducetur: nam uno quidem prælio vel totius Græciæ impetum Peloponneſii, quique cum illis conſentiunt, ſuſtinere poſſunt; bellum autem, contra audquaque ſuo ſimilem hoſtium apparatum, gerere nullo modo poterunt: quippe qui commune concilium, ut, ſiquid ſubito opus ſit, celeriter adminiſtretur, nullum habent; & pares in dicenda ſententia alienigenæ: quæ inter ſe cum ſint, de ſuis quiſque rebus ſollicitus eſt. Hæc autem exitus habere nullos conſueverunt, cum alii aliquos ulciſci maxime cupiant, alii res ſuas quam minimum detrimenti capere; cumque longo intervallo conveniant, brevi de rep. conſultant, maximam temporis partem in re quiſque ſua agenda diſtinetur: tum ſinguli ſuam ſibi negligentiam minime obfuturam putant; aliis enim curæ fore, atque ita ſibi quoque proſpectum iri ſperant. Itaque, dum hoc ſinguli ſeparatim opinantur, interire univerſam remp. non intelligunt. Valde etiam rei illos pecuniariæ anguſtia morabitur: tarde enim illam conficient, eoque cunctari coguntur. At rei gerendæ occaſio inſtabilem, celeremque motum habet. Nihil eſt autem, quod circumvallari nos ab iis metuamus, aut cur eorum timeamus claſſem: nam urbem huic parem opponere, etiamſi per hoſtem liceat, difficile eſt, nedum intra hoſtium fines, idque ipſum noſtras nobis pariter contra munitiones objicientibus. Quod ſi caſtellum communierint, alicujus illi quidem agri noſtri incurſionibus, transfugiſve ad ſe recipiendis,

 no-

nocebunt parti; ſed vallo ſimul circummunire nos, & quominus claſſe, qua valemus plurimum, ad eorum fines penetremus, eoſque ulciſcamur, prohibere non poterunt: plus enim nobis maritimarum rerum exercitatio ad pedeſtre bellum, quam illis terreſtrium uſus ad navale attulit. Nec vero nauticarum rerum ſcientiam facile illi adipiſci poterunt; quandoquidem ne vos quidem plene dum eam percepiſtis, quamvis a Medicis confeſtim rebus in id magno ſtudio incubueritis. Qui igitur homines agricolæ, iidemque maris inſueti, quibus ne exerceri quidem per nos licebit, quia ſemper cum magno navium numero in ſtatione contra illos erimus, quicquam, quod operæ pretium ſit, efficere poterunt? Contra paucas enim naves in ſtatione manentes fortunam pugnæ tentarent, cum multitudine freta erit inſcitia; tanto autem navium numero circumſepti quieſcent, inexercitatique imperitiores erunt, eoque etiam ignaviores. Artis enim, ſi quicquam aliud, res nautica eſt; nec ſubciſivis operis, cumque vacamus, ediſcitur, ſed ipſa potius nullum ab operis vacuum tempus relinquit: at enim pecuniam, quæ Olympiis, quæque Delphis eſt, tollent; nautaſque, quos peregrinos habemus, majori ſtipendio allectos a nobis conabuntur abducere; ipſique, atque inquilini naves opplebunt. Magni omnino id referret, niſi illis nos adverſarii ſimus: nunc autem, præterquamquod nos hoſtes habent, illud quoque, quod maximum eſt, accedit, quod gubernatoribus, reliquiſque nautis, civibus utimur Athenienſibus; iiſque cum numero, tum ſcientia, inter reliquos totius Græciæ omnes, præſtantibus. Tum nemo e mercede conductis domo cum periculo exulare, ac minori propoſita ſpe, majoris paucorum dierum ſtipendii cauſſa, cum iis ſe ſe conjungere, atque eandem belli fortunam ſubire volet. Ac Peloponneſiorum quidem res hoc fere loco ſunt; noſtræ vero cum iis incommodis, quibus eos laborare a me demonſtratum eſt, vacant, tum aud paullo meliores ſunt: etenim ſi intra fines illi noſtros pedeſtres copias introducent, nos in ipſorum navibus proficiſcemur; nec vero cum Peloponneſi pars modo aliqua, Attica autem vel omnis vaſtabitur, conferenda tamen hæc erunt: alios enim illi agros parare ſine prælio, ac dimicatione non poterunt; nos magnam agrorum vim cum in inſulis, tum in continenti habebimus: maximum eſt enim maris imperium obtinere; id quod ex eo intelligere licet: etenim inſulam ſi incoleremus, qui magis vacui a periculo forent, ne capi unquam, expugnarique poſſent? Id ipſum igitur, quam proxime poteſtis, animo in præſentia verſantes, ſpretis agris, ædificiiſque, maris modo, atque urbis cuſtodiam retinete; neque earum rerum jactura, & dolore incenſi cum Pelopponne-

ponneſiis manum conſerite : longe enim nobis multitudine antecedunt, ut, ſi eos devicerimus, paullo poſt tamen contra audquaquam minores eorum copias de integro pugnandum nobis ſit; ſin autem aliquid offenderimus, etiam a ſociis, quibus noſtra nixa eſt civitas, relinquemur: nec enim, ubi non ſatis virium ad ſe ſe bello perſequendos nobis ſupereſſe animadverterint, in officio continebuntur. Quamobrem non de agris nobis, ædificiiſque nimio opere deplorandum eſt, ſed de corporibus: neque enim per ea homines parantur, ſed illa homines parant. Quin equidem, perſuaderi ſi id vobis poſſe conſiderem, hortarer vos, uti ultro ipſi ex urbe egreſſi ea ſponte veſtra corrumperetis, quo perſpectum Lacedæmoniis eſſet, nihil hæc vos movere, nec eorum quidem cauſſa obtemperaturos eſſe. Multa præterea ad ſpem victoriæ habeo, modo non uno, eodemque tempore bellum gerere, atque imperium propagare velitis; neque præter, quam quæ bellum hoc habet, pericula ultro aliqua addatis: nam me quidem noſtra, propriaque peccata magis, quam hoſtium conſilia terrent. Verum alio loco hæc quidem una cum factis ipſis exponentur; nunc cum iis reſponſis hos dimittendos cenſeo: Megarenſibus nos fori, & portuum poteſtatem facturos, cum Lacedæmonii neque nos, neque ſocios noſtros oppido prohibebunt; quando, neutrum ne fieret, fœdere exceptum eſt. Civitates autem ſuis legibus uti jubebimus, ſi, cum' fœdus quoque icimus, ſuis eas legibus utentes habebamus; & cum ſuis ipſi quoque civitatibus permiſerint, ut non quomodo Lacedæmoniis commodum eſt, ſed ut ſuo quæque arbitratu leges habeant inſtitutas: tum judicium nos ex fœdere accipere paratos eſſe, neque bellum priores illaturos, ſed inferentibus reſtituros: hæc enim cum juſta ſunt, tum vero digna, quæ ab hac civitate reſpondeantur. Illud autem tenendum eſt, neceſſarium eſſe bellum; idque quo alacrius ſuſcipietur a nobis, eo minus acriter inſtabunt hoſtes. Maxima vero, quæ ſunt pericula, ea çum privatis, tum populis maximam etiam gloriam pariunt. Itaque parentes noſtri, cum Medos contra, initiis audquaquam tantis orſi, conſiſterent, fortunis relictis omnibus; cumque plus conſilii, quam ſecundarum rerum, plus animi, quam virium haberent, Barbaros propulſarunt, atque hæc, qualia nunc ſunt, effecerunt; quibus ignaviores nos eſſe audquaquam decet. Hoſtem igitur omni ratione reppellamus, atque enitamur, uti hæc ne minora, quam acceperimus, poſteris noſtris prodamus.

Digitized by Google

ORATIO,

QUA PERICLES LAUDAVIT CIVES SUOS, IN HOC BELLO INTERFECTOS.

PLerique eorum, qui antea ex hoc loco dixerunt, eum, qui orationem hanc ad vetus inſtitutum addiderit, collaudarunt; propterea quod eam de iis, qui in prœliis interfecti ſepelirentur, haberi præclarum eſſet: mihi vero ſatis futurum fuiſſe videtur, ſi iis, qui re virtutem præſtiterunt, rerum etiam honos haberetur, cujuſmodi hæc ſunt, quæ hoc tempore circum ſepulcrum illud publice comparata videtis: neque uno in homine recte, ſecuſve ad fidem faciendam dicente multorum laus in diſcrimen adduceretur: difficilis enim eſt in dicendo mediocritas ea de re, in qua vix opinio veritatis comprobetur: nam conſcius quidem auditor, ac benevolus, minus fortaſſe pronuntiatum arbitrabitur, quam quod ipſe tenet, cupitque; imperitus autem vel redundare aliquid, ſiquid majus, quam ſuum efficere poſſit ingenium, audierit, propter invidiam exiſtimabit: eo enim uſquè aliena laus audiendo toleratur, quoad quiſque ſe quoque, quod de alio audit, de ſe præſtare poſſe confidit; in quo autem ſuperari ſe ſentiunt, invident, eoque fidem non habent. Veruntamen, quoniam a veteribus comprobatum eſt præclare hoc habere, me quoque neceſſe eſt legi obſequi, dareque operam, ut ad cujuſque veſtrum opinionem, voluntatemque, quam poſſum proxime, oratione accedam. Ordiar igitur a majoribus primum: æquum eſt enim, ſimulque ad hoc tempus accommodatum, hunc illis memoriæ honorem tribui. Etenim cum terram hanc iidem continenter tenuerint, liberam eam per virtutem poſteris deinceps ad hoc uſque tempus tradiderunt. Atque cum hi laudem merentur, tum vero etiam magis patres noſtri: cum enim ad ea, quæ acceperant, tantum addidiſſent, quantum hoc eſt imperium, quod obtinemus, magno id labore partum nobis reliquerunt; id quod multum quoque ab ipſis nobis præſertim, qui grandiores natu ſumus, propagatum eſt, civitaſque omni pacis, bellique apparatu quam copioſiſſime inſtructa. Atque ego bellicas res, quoque modo ſingula bello parta habeamus, ac ſiquando vel ipſi, vel patres noſtri, aut a Barbaris illatum nobis, aut a Græcis, magno animo bellum propulſavimus, ne longior notis de rebus fuiſſe videar, prætereo; meque ad horum laudationem convertam, ſi quibus ſtudiis adepti hæc ſumus, qualique republica, quibuſve moribus hæc magna evaſerunt,

ante

Digitized by Google

ante dixero: hæc enim cum huic tempori congruere, tum univerſæ civium, atque exterorum frequentiæ auditu non inutilia eſſe exiſtimo. Nam ea noſtra reſp. eſt, quæ non aliorum inſtituta æmuletur, multique nos ſibi proponunt exemplar potius, quam ipſi alios imitemur: ac nomen quidem, propterea quod non a paucis teneretur, ſed gereretur a multis, a populi ſibi poteſtate invenit: legibus vero privata quidem in re eadem eſt juris omnibus æquabilitas conſtituta: dignitate autem, ut quiſque in aliquo excellit, ita aliis in republica præfertur; neque in honoribus mandandis, certo potius generi, quam virtuti favemus: nec vero ob paupertatem, qui aliqua modo reprodeſſe civitati poſſit, quamquam dignitatis ſplendor abſit, repellitur. Libere vero nos cum in republica adminiſtranda gerimus, tum vero in quotidiana inter nos vitæ conſuetudine minime ſumus ſuſpicioſi; neque aliis, ſiquando voluptate potiantur, iraſcimur; nec vero triſtitiam, minime noxiam illam quidem, ſed tamen odioſam viſu prætereximus. Ac qui in privata vitæ conſuetudine minime difficiles ſumus, a republica violanda metu omnium maxime deterremur; & cum magiſtratibus continenter dicto ſumus audientes, tum vero legibus paremus; iiſque in primis, quæ de iis, qui per injuſtitiam opprimantur, injuria prohibendis ſcitæ ſunt, quæque cum ſcriptæ non ſint, communi omnium conſenſu ignominiam irrogant. Multa vero apud nos animo ad requiem conceduntur: ſunt enim nobis certa anniverſaria ſacra inſtituta, ludique; tum lauta privatis res domeſtica, atque elegans eſt, cujus quotidiana oblectatione triſtitiam excutiant; adportantur autem propter urbis magnitudinem ex omnibus terris ad nos omnia; contingitque nobis, ut eos fructus, quos hæc terra gignit, atque eos, qui apud alias gentes naſcuntur, æque proprios habeamus. In rei vero militaris ſtudio, iis rebus hoſtibus antecellimus: urbs enim noſtra omnibus ſemper patet, neque ulla lege peregrinos pellimus, ab ullave diſciplina, aut ſpectaculo excludimus, quod minime absconditum ſiqui ex hoſtibus aſpexerint, adjuventur: nec enim commentatione, aut dolo, tam in re gerenda, quam virtute propria nitimur. Atque illi quidem ſic educantur, ut ſtatim a pueris magno labore ſe ſe ad fortitudinem exerceant; nos vero lenius inſtituti, nihilo ſecius æque, atque illi, æqualibus nos periculis objicimus: cui rei illud argumento eſt, quod neque ſingulatim Lacedæmonii intra fines noſtros, ſed univerſi exercitum ducunt; & nos, ubi in aliorum fines invaſimus, aud magno negotio, pro ſuis dimicantes fortunis bello plerumque ſuperamus: cum univerſis autem copiis noſtris nulli unquam hoſtes conflixerunt; propterea quod uno, eodemque tempore ma-

maritimis rebus ſtudemus, & diverſis in locis terra bellum gerimus. Quod ſi aliquando cum aliqua exercitus noſtri parte manum conſeruerint, ac nonnullos prælio vicerint, omnes ſe ſe nos fudiſſe glorientur; victique ipſi ruiſum ſi ſint, ab univerſis nobis ſuperatos ſe prædicant. Quocirca ſi ab otio magis, quam a laborum exercitatione, atque a virtute, natura nobis potius, quam legibus tradita, profecti venire in diſcrimen velimus, ſuperſit nobis, ut laborem in rebus aſperis, antequam venerint, ne præceperimus, & ubi ad eas jam ventum ſit, non minorem, quam ii, qui continenter laborando male habiti ſint, virtutem præſtemus. Atque cum iis in rebus civitas noſtra admiratione digna eſt, tum vero etiam in aliis: elegantiam enim cum parſimonia adamamus, & ſapientiæ ſtudio ſine deſidia delectamur; divitiarum vero fructum in illarum uſu, ubi tempus poſtulet, potius, quam in verborum magnificentia, ponimus: nec vero cuiquam turpe apud nos eſt de ſua paupertate confiteri, ſed eam non re evitare id vero multo eſt turpius: præterea iiſdem rem ſuam familiarem, iiſdem publicam gerere licet; quinimo ne ii quidem, qui in opere faciundo occupantur, penitus ſunt in republica rudes: ſoli enim nos, ſiqui hæc non attingunt omnino, non inertes eos, ſed rudes reipublicæ cives judicamus. In deliberando autem iidem aut recte de rebus dijudicamus, aut recte nobis in mentem venit; neque ii ſumus, qui ita exiſtimemus, dicta factis obeſſe, ſed illud potius, ſi antea, quam oratione edoctus fueris, rem ſuſceperis. Itaque in eo quoque maxime præcellimus, quod iidem excellenti animi magnitudine ſumus, & quicquid agimus, conſiderate, cogitateque agimus. At cæteris inſcitia confidentiam adfert, cognitio ignaviam. Optimi vero jure illi habentur, qui cum aſperas, ac jucundas res facile internoſcant, ne ſic quidem ullum adire periculum recuſent. Quod autem ad benignitatem adtinet, contra nos, ac vulgo adſolet, facimus: non enim accipiendis, ſed dandis beneficiis amicitias nobis comparamus: firmius enim in eo, de quo bene promeritus ſis, utpote quæ propter benevolentiam debeatur, manet gratia; quam vero retuleris, ea imbecillior eſt: non enim benevolentia adductum beneficium contuliſſe, ſed, quod te debere intelligeres, diſſolviſſe arbitrantur; tum ſoli omnium, non utilitatis cogitatione, ſed ipſius liberalitatis fidentia, audacter benefici ſumus. Atque, ut in pauca conferam, cum univerſa noſtra civitas totius Græciæ quaſi ludus eſt, atque inſtitutio, tum ſinguli quique, ut mihi quidem videntur, corporibus ad varia, multipliciaque rerum genera cum dignitate, ac lepore habiles ſumus. Atque hæc non in verborum magnificentia temporis cauſſa poſita eſſe, ſed facto-

rum

Digitized by Google

rum veritate niti, hoc ipſum civitatis noſtræ imperium, quod iis moribus partum habemus, oſtendit: ſola enim ex omnibus hujus memoriæ, ſiquis periculum de ſe fecerit, ditionem vincit, ac famam; ſolaque ea eſt, a qua neque bellum inferentes hoſtes calamitatem accepiſſe pudeat; neque, in quos dominetur, parere ſe ſe indigno querantur domino. Magna vero opum noſtrarum monumenta (neque enim eæ inteſtatæ ſunt) cum habeamus, cum iis, qui nunc ſunt, hominibus, tum vero etiam poſteris magnam noſtri admirationem relinquemus. Nec adeo Homerus laudator nobis adhibendus eſt, aut alius quiſpiam, qui verſibus in præſentia modo delectet, ſed ab exiſtimatione rerum geſtarum veritas diſcrepet: ad omnia enim maria, terraſque omnes virtute nobis aditum patefecimus; atque omnibus in locis ſempiterna ſecundarum, adverſarumque rerum monumenta exſtruximus. Pro tali igitur civitate cum hi, quod eam ſibi eripi pati non poſſent, fortiſſimo, præſtantiſſimoque animo dimicantes occiderunt, tum cæteros pro eadem omnem excipere laborem decet: cujus etiam rei cauſſa in iis, quæ ad ea pertinent, fui ipſe longior; quo ſcilicet oſtenderem, non pari vobis conatu enitendum eſſe, atque iis, quorum in republica hæc paria non ſunt; ſimulque ut horum laudationem iis, quæ a me expoſita ſunt, argumentis confirmarem: pleraque enim ad eos ipſos pertinent; nam in quibus ego civitatem laudavi, iis horum, taliumque virtus illam ornavit. Nec adeo multorum Græcorum res geſtæ æque, atque horum, par orationi pondus habere reperientur. Atque equidem reor, horum hunc exitum, qui & primus indicavit, & poſtremus confirmavit, hominis declarare virtutem: nam, qui cæteris rebus minus aliquando probi fuerint, eos bellicam ſuam in patria tuenda virtutem extollere æquum eſt: male enim facta benefactis delent; magiſque profuerunt publice, quam privatim nocuerunt. At horum nemo vel propter divitias, quod iis diutius frui magnifaceret, languidior fuit; vel propter paupertatis effugiendæ, atque aliquando abundandi ſpem, periculum diſtulit: hoſtium autem pœnas ſumere ſua ipſorum ſalute optabilius cum ducerent, ſimulque ſtatuerent omnium periculorum hoc eſſe pulcherrimum, illos ulciſci, atque has appetere laudes voluerunt; & incertum quidem rei bene gerendæ eventum ſpei mandarunt: id autem, quod ſemel a ſe approbatum haberent, factis committendum ſtatuerunt: cumque plus in eo ponerent, ut pugnando, ſiquid adverſi accidiſſet, ferrent, quam ut cedendo ſalutem conſequerentur, verborum quidem ignominiam fugerunt; rem autem corporibus ſubierunt, minimoque fortunæ, ac temporis momento cum ſumma potius ſpe, quam pavore ullo tene-

rentur,

rentur, e vita diſceſſerunt. Atque hi quidem merito tales in patriam exſtiterunt. Qui autem reliqui ſunt, ii eam debent in hoſtem mentem dari ſibi optare, quæ offenſionis, non virtutis habeat minus; nec ex oratione ſolum utilitatem attendere, quam pluribus apud vos, quibus ea nihilo ſecius nota eſt, perſequi facile licet, quantum in conſervanda patria, hoſtibuſque propulſandis boni inſit, commemorantem; ſed potius ejus vires quotidie re intuentes, illius amore incendi: quæ cum magnæ nobis viſæ fuerint, illud cogitare debemus, ab iis parta hæc eſſe, qui recta cum cognoſcerent, tum etiam auderent, quique cum turpitudinis verecundia rem gererent, nec vero ſiquid conati aliquid offenderant, faciendum ſibi eſſe exiſtimabant, ut ſua propterea civitatem virtute privarent, ſed præmium omnium præclariſſimum ipſi permittebant: cum enim corpora publice traderent, privatim, quæ nunquam conſeneſceret, laudem acquirebant; clariſſimumque monumentum conſequebantur, non tam quidem illud, in quo ſiti ipſi ſunt, quam in quo apud omnes, quæcunque aut verborum, aut rerum occaſio ſe ſe dederit, illorum gloria perpetuis laudibus celebrata conditur. Clari enim viri univerſum orbem terrarum ſepulcrum habent, atque eos non tantum domeſticis in buſtis inſcripta elogia apud ſuos celebrant, quantum apud exteras nationes non ſcripta, nec operum magis, quam cogitationis uniuſcujuſque animo, ac menti illorum memoria obverſatur. Hos igitur vos nunc imitati beatam vitam in libertate, libertatem vero in fortitudine ponite, atque in re bellica periculum ſubire nolite ſpernere: nec enim miſerorum eſt magis, quibus nulla meliorum ſit rerum exſpectatio, mortem contemnere, quam eorum, quorum vitæ in contrariam partem converſio etiam nunc agitur; præſertim quibus, ſiquid adverſi evenerit, magna mutatio futura ſit: vehementius enim viros quidem generoſos cum turpitudine conjunctum incommodum angit, quam cum animi robore communi in ſpe ſimul nata, ſenſuque carens mors. Quocirca ne vos quidem, quicunque horum parentes adeſtis, miſerabor potius, quam conſolabor: nec enim ignoratis, variis vos, multiplicibuſque miſeriis natos: præclare vero cum illis agitur, ſiquibus decora hæc obtigerint, qualis horum interitus eſt, veſterque luctus, quibuſque vitæ fuerit felicitas æqualis. Nec vero me fugit, quam difficile factu ſit, hæc cuiquam perſuaderi; præſertim cum perſæpe futurum ſit, ut aliorum res ſecundæ, quibus vos quoque aliquando florueritis, vobis memoriam refricent: nec enim cum iis, quæ nunquam experti ſumus, bonis caremus, dolori ea res eſt, ſed cum ea, quibus adſuevimus, eripiuntur. Veruntamen qui quidem liberos etiam nunc procreare per

æta-

Digitized by Google

ætatem poſſunt, conſolari ſe ſe novæ ſpe ſobolis debent: filiis enim aliis ſuſcipiendis, cum privatim eorum, qui extincti ſunt, oblivifcentur, tum vero civitati dupliciter proderunt; quod ea neque ab hominibus deſeretur, & protectior erit. Nec enim evenire poteſt, ut æqui bonique aliquid ab his cogitetur, qui, collatis in commune pro virili cujuſque parte liberis, periculum non æquaverunt. Qui vero majores natu eſtis, quibus maxima vitæ pars, quod lucro eſt apponendum, beate acta eſt, quæ reliqua ſit, brevem fore cogitate, atque eam ipſam iſta horum gloria elevate: ſola enim laudis cupiditas ſeneſcit nunquam: nec vero languida, atque iners ætas pecuniam modo, quod nonnulli dicere ſolent, conſectatur, ſed dignitatem. Magnum vero certamen horum filiis, fratribuſque paratum video: eum enim, qui non ſit, extollere omnes laudibus conſueverunt. Itaque cum excellenti virtute fueritis, vix tum demum non pares, ſed aliquanto tamen deteriores, quam hi, dicemini: vivis enim invidetur ab ejuſdem laudis æmulis; qui vero e medio exceſſerunt, eos hominum benevolentia ſine ulla obtrectatione honorat. Quod ſi mihi de mulierum quoque officio non nihil dicendum eſt, quæ quidem viris eſtis orbatæ, breve eſt, quod de re tota præcipiam: etenim ſi veſtra congruere cum natura voletis, magno id vobis honori erit, cum quam minimum de veſtris cum vitiis, tum etiam bonis ad homines fama emanabit. Hæc nos quoque non inutilia habuimus, quæ, huic legi obſecuti, oratione perſequeremur. Ac vobis quidem partim jam, qui humantur, decorati ſunt; partim vero eorum liberis, quoad e pueris exceſſerint, ex hac die publice alimenta civitas præbebit, quæ utilem in primis talium certaminum coronam iis, reliquiſque omnibus decrevit. Etenim qui maxima virtuti præmia proponunt, eorum, fortiſſimi cives, rempublicam gerunt. Sed jam, ubi ſuum quique luxerint, diſcedite.

CONCIO
PERICLIS AD ATHENIENSES.

Minime mihi inopinata veſtra in me accidit iracundia: etenim inſimulari me ſentio, eamque ob cauſſam concionem advocavi, uti, ſiquid aut mihi injuria infenſi eſtis, aut adverſis in rebus animo ſuccumbitis, admonerem vos, atque expoſtularem. Nam equidem ſic exiſtimo, magis univerſa rep. ſtante, fortunataque, privatos juvari,

 quam

quam ſingulorum civium ſecundis rebus, illa afflicta: ut enim privatim aliquis fortuna ſit optima, everſa tamen rep. ipſum quoque concidere neceſſe eſt: at contra, qui in beata civitate miſer ipſe ſit, multo magis ſervatur incolumis. Quod ſi ad ſingulorum civium tolerandas calamitates ſatis reſp. virium habet; illius autem ærumnas ferre ſinguli nequeunt, quid eſt, cur non omnes illi opem feramus? curve domeſticis incommodis exanimati, reip. conſervandæ curam dimittamus? Id quod vos facitis, meque hujus belli auctorem, voſque adeo ipſos, qui mihi ea de re adſenſi eſtis, accuſatis; habeoque ego vos infeſtos, qui ſum is maxime, qui & recte ſentire, & id, quod ſentiam, commode nihilo, quam alii, minus eloqui poſſim; idemque patriæ amans, idem incorruptus, integerque ſim. Namque cogitare ſiquis poteſt, ſed oratione, quod vult, plane explicare nequit, perinde eſt, quaſi nihil illi in mentem venerit; qui vero utrumque præſtiterit, is, ſi infenſus civitati ſit, audquaquam eodem modo amice quiſquam dixerit: quod ſi adſit id quoque, pecuniæ autem non reſiſtatur, profecto univerſa illa hanc unam ob rem venalia ſint. Quocirca ſi hæc in me præter cæteros modica eſſe rati, de ſuſcipiendo bello mihi adſenſi eſtis, injuſte nimirum nunc, quaſi injuriam fecerim, culpam ſuſtineo: etenim ſi utrumvis licet, bene alioqui conſtitutis rebus, ſummæ ſtultitiæ ſit bellum ſuſcipere; cum autem ita res rediiſſet, ut vel cedentibus continuo in alterius ditionem cadendum eſſet, vel reſiſtentibus cum periculo dimicandum; qui illud refugerit periculum, magis, quam qui exceperit, reprehendendus eſt. Atqui equidem idem ſum, nec a priſtina ſententia diſcedo, ſed vos immutati eſtis: etenim cum hæc vobis perſuadebantur, integri ſcilicet eratis; cum pœnitet, detrimentum accepiſtis. Ergo propter conſilii veſtri imbecillitatem factum eſt, ego ut non recte ſenſiſſe videar: quoniam id, quod moleſtum eſt, doloris quidem ſenſum in unoquoque jam efficit; utilitatis vero fructus remotus adhuc, obſcuruſque eſt; tantaque rerum commutatione facta, idque in brevi, imbecillus animus veſter eſt ad conſtanter in ſententia permanendum: frangunt enim animos, atque abjiciunt, quæ ſubita, atque improviſa, præterque omnem rationem eveniunt; qualia ſunt, quæ vobis acciderunt, in primiſque peſtilentia. Veruntamen qui tantam civitatem incolatis, quique in ea dignis inſtitutis educati ſitis, omnem fortunam ſubire paratos eſſe decet, neque gloriam veſtram obſcurari pati: æque enim homines ſolent eos, qui, quam habent dignitatem, eam per ignaviam amittunt, accuſare; atque eos, qui, qua indigni ſint, eam ſibi per temeritatem arrogent, odiſſe. Quapropter rem familiarem deplorare deſi-

deſinite; ad ſalutem reip. incumbite: nam quod ad laborem adtinet, qui neceſſario in bello ſuſtinendus eſt, ne nimis magnus ille ſit, ac nihilominus tamen hoſtes ſuperaturi ſimus, ea quidem de re ſatis profecto vobis eſſe debent, quæ alias ſæpe in eam ſententiam a me dicta ſunt; nihil eſſe, cur merito reformidare bellum hoc deberetis: ſed illud tamen oſtendam, quod neque venire vobis in mentem de veſtris ad imperium obtinendum opibus mihi videtur, nec ego antea commemoravi, nec vero ne hoc quidem tempore dicerem, veritus ſcilicet, ne inflatius gloriari viderer, niſi timore vos præter modum exterritos intelligerem. Etenim veſtris vos modo ſociis imperare arbitramini: ego vero illud defendo, cum duo ſint omnino, quæ perſpicuum habeant uſum, mare ſcilicet, & terra; alteri vos univerſo dominari, non modo quoad tenetis nunc, verum etiam quoad progredi voletis: tanta enim navium facultate navigantes vos, non Rex, non ulla alia natio eſt, quæ impedire hoc tempore poſſit. Quamobrem majores omnino hæ mihi opes videntur, quam ut cum agrorum, ædificiorumque, quibus privari vos magnum ducitis, uſu comparanda vobis ſit. Minime igitur graviter hæc ferte, ſed potius leniter; divitiarumque iſtas delicias, hujus magnitudinem imperii ſpectantes, parvipendite, atque ita cogitate, ſi in libertatem incubuerimus, illamque conſervabimus, eam ipſam facile per ſe hæc eſſe recuperaturam: qui vero alterius parent imperio, ii ea quoque, quæ antea parta habuerint, amittere conſuerunt. Nec vero committamus, ut utraque re inferiores, quam patres noſtri fuerunt, deprehendamur; qui non ab alio tradita hæc, ſed ſuo parta labore, & tenuerunt, & conſervata a ſe nobis prodiderunt: turpius eſt enim, quæ habeas, ea tibi eripi, quam, quæ acquirere coneris, ea adſequi non poſſe. In hoſtes autem animo non fidenti modo, ſed etiam deſpicienti ire debetis. Nam fiduciam quidem fortunata ſtultitia vel ignavo pepererit; deſpicientiam vero conſcientia modo, quantum quiſque hoſtibus conſilio anteeat, id quod in vobis eſt, efficit: ſiquidem pari fortunæ conditione animum prudentia communit adverſariorum contemtione, & ſpei, cujus in rebus dubiis omnis vis, ac robur eſt, nihil magnopere confidit; ſed ſuis viribus, conſilioque, cujus providentia multo eſt certior, nixa eſt. Civitatis igitur majeſtati, quam propter imperium obtinet, quandoquidem ea univerſi gloriari ſoletis, ſuccurrite: nec enim laborem fugere, aut ne honores quidem conſectari debetis: nec vero exiſtimate, una modo de re eſſe certamen, an pro libertate ſervitutem habeatis; ſed etiam de imperio amittendo agi, deque periculo, quod vobis ab iis imminet, quos propter imperium infeſtos, ini-

micoſque habetis; quod quidem vobis imperium, ne, ſiqui ſint quidem, qui metu, atque inertia adducti hoc tempore ad juſtitiam remigrare velint, deponere jam liceat: jam enim illud quaſi tyrannidem obtinetis, quam occupare, injuſtum habetur; deponere, periculoſum eſt. Nam hi quidem perbrevi rempublicam, ſi hæc aliis perſuadeant, aut ſicubi ipſi per ſe ſuo arbitratu vivant, everterint: nec enim ſtabilis eſt inertia, quæ non induſtriæ comitatu inſtructa ſit; nec in ea civitate, quæ imperium obtineat, ſed in ea, quæ alteri pareat, ad tranquillam eſt ſervitutem utilis. Vos vero neque a talibus civibus induci vos patiamini; neque mihi, cui de ſuſcipiendo bello adſenſi eſtis, ne ſi irruentes quidem hoſtes ea in nos fecerunt, quibus par fuit imperium recuſantes affici, infenſi ſitis. Nam peſtilentia quidem hæc omnibus improviſa, unaque omnium rerum maxime inopinata accidit; propter quam certo ſcio aliquanto me etiam magis odio vobis eſſe, aud meo quidem merito, niſi ſiquid etiam vobis boni, non ratione, ſed caſu evenerit, id quoque mihi aſſignaturi eſtis: ſed quæ divinitus accidunt, ut neceſſitas cogit; quæ ab hoſtibus inferuntur, ut virtus poſtulat, ita ferenda ſunt: iſque mos civitati antea fuit, cum vos manere ſinite; cogitateque, hujus urbis nomen ſumma eſſe apud omnes mortales gloria, propterea quod in rebus adverſis animo non deficiat, quodque maximum civium numerum, laboreſque quam plurimos bellis gerendis conſumſerit, maximaſque ad hoc uſque tempus opes habeat: quarum quidem in perpetuum, ſiquid etiam aliquando nobis accidat (naturalis eſt enim rerum omnium imminutio) poſteris memoria relinquitur, quod & Græci Græcis quamplurimis imperavimus, & maximis bellis partim cum univerſis, partim cum ſingulis contendimus, urbemque omnibus bonis undique refertam, ac maximam incoluimus. Atque hæc, inertes qui ſunt, fortaſſe reprehendent; qui vero moliri aliquid, atque agere cupiunt, etiam æmulabuntur; quibus autem opes nullæ ſunt, invidebunt. Sed omnes, qui hoc ſibi ſumunt, ut aliis imperent, odioſi, inviſique in præſentia ſunt. Veruntamen qui maximis in rebus invidiam ſubeunt, prudens conſilium ineunt: odium enim minime diuturnum eſt; at ſplendor in præſens, atque in poſterum gloria perpetuis laudibus celebrata, ſempiterna eſt. Vos igitur id, quod in reliquum tempus honeſtum futurum eſt, nec eſt in præſenti turpe, cogitatione præcipientes, omnibus jam paratis rebus, utrumque vobis conſervate; neque ad Lacedæmonios de pace mittite, neque præſentibus malis premi vos præ vobis ferte. Nam qui rebus adverſis animo minime franguntur, & re maxime reſiſtunt, ii & populorum, & privatorum fortiſſimi ſunt,

ORA-

ORATIO

PLATÆEORUM LEGATORUM AD LACEDÆMONIOS IN EXERCITU.

REM injuſtam facitis, Archidame, atque Lacedæmonii, minimeque vobis, ac patribus veſtris dignam, qui exercitum in Platæeorum fines introducatis: Pauſanias enim ille Cleombroti filius Lacedæmonius, cum Græciam Medorum dominatu, una cum iis Græcis, qui pugnæ illius, quæ apud nos facta eſt, periculum ſubire non recuſarunt, liberaſſet, immolatis in Platæeorum foro Jovi liberatori hoſtiis, omnibuſque adhibitis ſociis, urbem, atque agrum Platæeis reddidit, ſuiſque legibus uti voluit, nec bellum illis ullo tempore quemquam injuſte, aut ſervitutis injungendæ cauſſa facere; ſi minus, auxilium omnes ſocios, pro ſuis quemque viribus, ferre. Hæc igitur patres veſtri virtutis nobis, atque alacritatis, qua in adeundis periculis illis fuimus, præmia tribuerunt. At vos contra, quam illi cenſuerunt, facitis: una enim cum Thebanis, nobis inimiciſſimis, ſervitute oppreſſum nos venitis. Quamobrem Deos in illo fœdere teſtes interpoſitos, tum patrios veſtros, noſtroſque hoſce Penates teſtati, edicimus vobis, ne quam Platæeorum finibus injuriam inferatis, neque jusjurandum violetis; ſed, quemadmodum Pauſanias ſanxit, noſtris nos legibus uti permittatis.

ARCHIDAMI

LACEDÆMONIORUM REGIS DEFENSIO.

ÆQuum vos quidem, Platæei, dicitis, ſi modo cum dictis facta conſentient. In libertate igitur, quam Pauſaniæ permiſſu habetis, cum ipſi remanete, tum vero alios, qui illorum ſocii periculorum vobiſcum eo tempore conjurarunt, nunc autem Athenienſium imperio ſubjecti ſunt, vindicate: horum enim, cæterorumque libertatis recuperandæ cauſſa tantus hic conatus, bellumque hoc excitatum eſt, cujus vos æquum eſt maxime quidem participes eſſe, ac vos quoque jusjurandum conſervare: ſi minus, at ſaltem quieſcere, remque veſtram agere, neutriuſque eſſe partis, atque in amicitiam quidem

dem

dem utroſque recipere, in belli autem ſocietatem neutros: & his quidem contenti erimus.

DEFENSIO

ALTERA ARCHIDAMI CONTRA RESPONSUM, QUOD DEDERANT LEGATI ILLI.

AT vos urbem Lacedæmoniis nobis, atque ædificia tradite, finesque monſtrate; tum arbores, & ſiqua præterea habetis, quorum iniri numerus poſſit, nobis adnumerate: ipſi autem in quaſcumque commodum eſt partes, tantiſper dum bellum eſt, cedite, atque eo confecto, nos, quæ acceperimus, reddemus vobis. Interim apud nos depoſita habebimus, colemuſque, & quod vobis futurum ſit ſatis, penſitabimus.

CONCIO

PLATÆENSIUM LEGATORUM AD SUOS CIVES, RENUNTIANTIUM LEGATIONEM, QUA FUNCTI FUERANT AD ATHENIENSES.

CUM antehac, Platæenſes, ex qua die vos ſibi ſocios aſciverunt, omiſiſſe ſe ſe vos tueri Athenienſes negant, tum hoc quoque tempore veſtras injurias pro ſuis ſe viribus non neglecturos eſſe confirmant. Itaque a vobis per jusjurandum illud, quod majores veſtri jurarunt, ne quid novi conſilii capiatis, poſtulant.

CONCIO

CNEMI PRÆFECTI CLASSIS LACEDÆMONIORUM, CUM INSTARET NAVALIS PUGNA.

SUperius, Peloponneſii, navale prælium, ſiqui forte ſunt, qui eo commoti, futurum quoque extimeſcant, non juſtum cauſſam ad for-

Digitized by Google

formidinem habent: minus enim paratis nobis, quod vos non ignoratis, commiſſum eſt, cum ad pedeſtrem potius expeditionem, quam ad navalem pugnam navigaremus: adverſa præterea multis in rebus fortuna uſi ſumus: tum nonnulla etiam nos, utpote tunc primum navali prælio decertantes, propter inſolentiam fefellerunt. Quapropter neque ob ignaviam victi ſumus, nec animum, qui non plane ſuperatus ſit, ſed aliquam etiam nunc in ſe habeat excuſationem, adverſo rerum eventu retundi decet, ſed ita exiſtimare caſu labi homines poſſe, ſed animo ſemper eoſdem erecto ſtare. Nec vero ubi virtus adſit, inſcitiæ quemquam excuſatione uſum timere licet; nec vos tantum uſu poſteriores eſtis, quantum virtute anteitis: horum autem ſcientia, qua maxime exterremini, ſiquidem fortitudinem habeat, quæ didicerit, ea, cum ventum in diſcrimen ſit, & meminiſſe, & explicare poterit; ſine animi vero magnitudine nulla in arte ſatis eſt in periculis præſidii: excutit enim memoriam pavor: ars autem ſine animi robore nullo eſt uſui. Illorum igitur artificio veſtram virtutem objicite; timori autem, qui propter adverſum prælium in animos veſtros invaſit, quod imparatos tunc vos offenderint, opponite. Itaque eo illos vincitis, quod & navium numero præſtatis, & prope vobis amicam terram, ubi parati in armis præſto vobis milites ſunt, prælium committitis. Fit autem fere, ut qui plures, paratioreſque ſint, ii victoriam conſequantur. Itaque omnia vobis ad unum firma eſſe reperimus, nec accidere poſſe, ut ulla in re merito labamur: quin ea ipſa, in quibus antea offendimus, comparata nunc pro diſciplina nobis erunt. Magna igitur fiducia gubernatores, nautæque ſuum quisque munus obite; nec vero locum, qui cuique attributus ſit, deſerite: nam nihilo ſecius a nobis, quam a ſuperioribus ducibus instructi in prælium proficiſcemini, neque nos cuiquam, cur turpis eſſe debeat, cauſſam relinquemus. Quod ſiquis omnino decreverit ignavus eſſe, is pro delicto pœnam ſuſtinebit: fortes autem pro virtute præmium ferent.

CONCIO

PHORMIONIS DUCIS ATHENIENSIUM AD EXERCITUM NAVALEM.

CUM perterritos vos navium multitudine, milites, animadvertam; cumque turpe factu exiſtimem, quæ minime formidoloſa ſunt, ea

ea extimeſcere, convocavi vos. Nam illi quidem, primum quod victi antea, ſuperatique a vobis ſunt, ac ne ipſi quidem pares vobis ſe ſe eſſe confidunt; propterea non æquum in certamen deſcenderunt, ſed navium multitudinem coegerunt: deinde id unum, quo maxime freti ad vos eunt: magnos enim in re militari quaſi ſuo ſibi jure ſpiritus ſumunt; nulla alia re confiſi ſperant, quam quod cum propter uſum, quem in terreſtribus habent, pleraque ex ſententia geſſerint, idem quoque in re nautica uſu venturum arbitrantur. At hoc, ſi ea id in re illis adjumento eſt, nos certe hoc tempore plurimum præſtabimus: nec enim illis virtute cedimus, ſed, quod alteri in altero majorem habemus uſum, propterea majore ſumus fiducia: huc accedit, quod Lacedæmonii, qui propter auctoritatem imperium in ſocios obtinent, invitos pleroſque in periculum trahunt: nunquam enim longe ſuperati illi iterum rem prælio committerent. Ne igitur illorum formidaveritis audaciam: multo vero vos illis majori, juſtiorique eſtis formidini; tum quod antea ſuperaſtis, tum quod ita animum illi induxerunt, niſi præclarum quoddam virtutis ſpecimen daturi eſſetis, nunquam vos commiſſuros fuiſſe, ut contra conſiſteretis. Nam qui numero præſtant adverſariis, ſicut hi, copiis magis, quam animo nixi, prælium ineunt; qui vero multis partibus ſunt inferiores, neque ulla neceſſitate coguntur, propter excellens animi robur reſiſtere audent: quæ reputantes hi, rei admiratione commoti potius, quam conſentaneo apparatu, nos metuunt. Multi vero exercitus, quod uſum in re militari non haberent, ſunt etiam qui propter timiditatem a paucioribus ſunt ſuperati: quarum rerum utraque a nobis hoc tempore longe abeſt: prælium vero ego minime intra ſinum mea quidem ſponte committam, nec adeo eo proficiſcar: etenim ſcio paucioribus navibus, celeritate, & ſcientia præſtantibus, contra majorem navium minus peritarum numerum adverſariam eſſe locorum anguſtiam. Nec enim modo, & ratione quiſquam, niſi ex longo intervallo proſpectus fuerit, incitare ſe in hoſtes, neque, cum forte laborarit, tempore regredi poterit, nec vero hoſtium naves diducere, nec celeritate eludere, quæ ſunt propria munera navium, remorum pulſu, & celeritate præſtantium: ſed navalem pugnam pedeſtrem facere neceſſe habeat, in quo major navium numerus plus poteſt. Hæc igitur ego, quoad fieri poterit, providebo. Vos pro navibus eſtote parati in armis, præſertim cum, parvo interpoſito ſpatio, incurſus futurus ſit; quæque juſſi eritis, celeriter adminiſtrate, atque ordinem in re gerenda, ac ſilentium plurimi facite, quo modo multa bellicis in rebus, præcipueque navalibus pugnis prodeſt adminiſtrare; ac pro priſtina virtu-

te

te veſtra illis reſiſtite. Magnum vero certamen, utrum Peloponneſiis rerum nauticarum ſpem præcidatis, an de Athenienſibus mari metum augeatis. Iterum igitur, atque iterum vos moneo, ut pleroſque horum victos a vobis eſſe memineritis: ſemel autem ſuperatus animus ſimiliter eadem experiri pericula neſcit.

CONCIO
MITYLENÆORUM AD LACEDÆMONIOS.

SCimus, Lacedæmonii, ſociique, in more poſitum hoc eſſe Græcorum, ut qui in bellis defecerint, priſtinamque amicitiam deſeruerint, iis, a quibus recipiuntur, quatenus ea re juvantur, lætitiæ ſint; ſed iidem, habiti veterum amicorum proditores, improbi judicentur: idque judicium aud ſane iniquum eſt, ſi modo qui defecerint, atque ii, a quibus ſe ſe disjunxerint, parem inter ſe nacti ſint animi voluntatem, pareſque cum viribus, tum præparatione fuerint, neque ulla juſta defectionis cauſſa interceſſerit: quæ quidem nobis, atque Athenienſibus ſecus obtigerunt. Nec ea re improbi cuiquam videri debemus, quod in honore apud hos in pace habiti, in periculis illos deſerimus: diſſerendum eſt enim nobis de juſtitia in primis, ac fide, præſertim qui in ſocietatem recipi poſtulemus: nam nulla eſt neque privatis ſtabilis amicitia, neque populis firma ſocietas, quæ non mutua virtutis opinione, & morum reliquis in rebus ſimilitudine nitatur: ſtudiorum enim diſſimilitudines rerum quoque diſcordias gignunt. Eſt igitur nobis ſocietas cum Athenienſibus inita bello Medico, illo ſcilicet tempore, cum vos negotio deſtitiſtis; illi autem extrema belli perſecuti ſunt: nec tamen Græciæ ſervituti Athenienſium addicendæ, ſed ejus Medorum dominatu liberandæ, ſocietatem coivimus: itaque quamdiu æquo illi imperarunt jure, duces eos alacri animo ſecuti ſumus. At poſtquam ex Medorum quidem inimicitiis permultum remitti, ſociorum autem ſervitutem in anguſtum ab illis adduci animadvertimus, metuere ſane jam tunc incepimus: ſed cum ſinguli ſeorſum ab aliis, id quod in tam magno, varioque ſententiarum numero accidere neceſſe fuit, ſe defendere ſocii non poſſent, omnes ſervitute oppreſſi ſunt, præter nos, atque Chios. Ergo nos, quibus leges, ac libertas nomine duntaxat relicta eſt, ſocii, conſorteſque belli fuimus, cum jam Athenienſibus ducibus parum fidei haberemus: erant enim

nobis pro diſciplina, quæ illi antea geſſerant: neque enim conſentaneum eſt, ut eos ſuſtulerint, quibuſcum una nobiſcum iſtum habuerint fœdus, & reliquis, ubi ſe patrandi facultas oſtenderit, non idem parent. Etenim, ſi omnes etiam nunc libertatem retineremus, minus eſſet metuendum, ne quam illi novam rem molirentur; nunc autem; qui pleroſque ſervitute oppreſſerint, nobiſcum autem æquo adhuc jure vivant, veriſimile eſt, gravius id, quam ante, eſſe laturos; quibus ſcilicet maxima ſuccubuerit pars, cum iis ſolos nos exæquari: idque eo magis, quod illis opes, nobis ſolitudo, atque inopia adaucta eſt: ſolus enim utrinque par, mutuuſque metus fidelis eſt fœderum cuſtos. Nam ſiqui ſunt, qui moliri quippiam cupiant, quoniam id nulla re ſuperiores conantur, deterrentur: nobis autem ob eam cauſſam libertas relicta eſt, quod orationis honeſtate, conſiliique itinere, ac fallaciæ, aditum ſibi ad dominationem occupandam facilius munire poſſe, quam virium via, armorumque ſperant; teſtimonioque ſimul id eſſe voluerunt: æquo namque fœdere ſocios nullo modo belli ejus participes futuros fuiſſe, niſi ii, in quos illi impetum facerent, in aliquo deliquiſſent: tum potentiſſimos quoſque in maxime infirmos primum concitarunt, ut eos ipſos cum ad extremum reſervaſſent, amputatis, circumciſiſque reliquis, imbecilliores ad expugnandum haberent. Nam a nobis ſi duxiſſent initium, omnibus cum ſua vi etiam tunc integris, tum locum, ubi conſiſterent, habentibus, non tam facile eos ſubegiſſent: non nihil etiam noſtra illis claſſis terroris injecit, ne quando aut ipſa per ſe, aut vobis, aliquibuſve aliis adjuncta, eos in periculum arceſſeret, tum multum quoque noſtro in civitatem eorum, ac Principes deinceps obſequio ad incolumitatem profectum eſt. Nec tamen ne ſic quidem, niſi hoc interveniſſet bellum, diu hoc præſtare nobis videmur potuiſſe: conjecturam enim de aliis facimus. Quænam igitur iſta firma fuit amicitia? quæ iſta ſecura ſane libertas? in qua inviti nos mutuo amplexaremur, atque illi in bello nos metu adducti colerent, nos illis contra in otio idem præſtaremus, ac fidem, quam benevolentia confirmare plurimum apud alios conſuevit, nos timoris præſidio munitam haberemus; metuque potius, quam amore copulati in ſocietate contineremur; atque utricunque patrandi impunitas prius addidiſſet animum, princeps is peccandi initium facturus eſſet. Quocirca ſiquis eſt, qui nos ſceleris condemnet, propterea quod, cum illi ea, quæ in nos edituri erant, flagitia traherent, ipſi antevertimus; nec itidem dum certum ſciremus, ſiquid de eo acturi eſſent, exſpectavimus, non rectam ille rationem init: etenim ſi illorum inſidiis noſtras opponere nobis licuiſſet, illiſque rem tra-

henti-

hentibus eodem nobis modo cunctandi data eſſet facultas, quid erat cauſſæ, cur æqui, pareſque cum illis eſſemus, eorum obtemperaremus imperio? Cum igitur, ubicunque vellent, uti in nos impetum facerent, illorum eſſet arbitrii; noſtri quoque arbitrii eſt, ut, ubi viſum ſit, anticipemus obſiſtere. Has nos defectionis, Lacedæmonii, ſociique, defenſiones, cauſſaſque habuimus, cum audientibus ad intelligendum, jure nos feciſſe, perſpicuas; tum vero ad perterrendos nos, atque, ut ſalutem aliqua nobis ratione quæreremus, hortandos firmas: antea quoque nos quidem id conatos, quo tempore, cum etiam nunc pax eſſet, de defectione ad vos miſimus, atque a vobis rejecti eo conatu deſtitimus. Nunc autem a Bæotiis invitati e veſtigio paruimus, duplicemque rati ſumus defectionem noſtram futuram; alteram a Græcis, ne una cum Athenienſibus vexandi nobis eſſent univerſi, ſed una cum libertatis auctoribus ſervitute liberandi; alteram, ut ab Athenienſibus deficeremus, quo minus poſthac ab illis tolleremur, ſed ipſi anteverteremus. Verum præpropera, imparataque paullo magis noſtra defectio fuit: quo etiam magis receptis nobis ſubſidium celeriter mittere debetis, ut, & quibus decet, auxilio eſſe vos, cognoſci poſſit, ſimulque hoſtibus ut detrimento ſitis. Nam tempus quidem magis nunc idoneum eſt, quam unquam antea: Athenienſes enim & peſtilentia exhauſti ſunt, & ſumtibus: naves autem illorum partim circum veſtra ſunt litora, partim contra nos diſpoſitæ ſunt; ut veriſimile ſit, ſi pedeſtribus copiis ſimul, & navibus in eos hac quoque æſtate impetum feceritis, nullam eos navium facultatem habituros. Quare aut vobis ad ſe proficiſcentibus non reſiſtent, aut ab utriſque diſcedent. Nec vero exiſtimare quiſquam debet, pro alienis fortunis proprium vos ſubire periculum: ſiquis eſt enim, cui Lesbus longinqua videatur, illi propinqua ex ea utilitas exſtabit. At non in Athenienſium finibus bellum geretur, verum in illorum, quibus Athenienſes juvantur: ex ſociorum enim vectigalibus pecunia illis reficitur, quæ quidem, edomitis nobis, etiam adaucta erunt: propterea quod nulli poſthac deficient, unaque ad Athenienſium facultates noſtræ addentur; ſimul & duriore nos erimus conditione, quam ii, qui ſervituti antea addicti ſunt. Quod ſi vos auxilium promto nobis animo feretis, cum civitatem navibus abundantem, id quod vobis maxime deeſt, adjungetis vobis; & Athenienſes, abductis illorum ſociis, facilius delebitis: fidentius namque cuncti ſe ad vos adplicabunt; tum, in quo accuſamini, quod iis, qui ad vos defecerint, non ſubvenitis, ejus rei culpam effugietis. Quod ſi libertatis vindices profiteri vos cognitum fuerit, bellicas opes veſtras multum ea re

 con-

Digitized by Google

confirmabitis. Vos igitur ſpem illam, quam in vobis Græci repoſitam habent, Jovemque hunc Olympium, cujus in templo non ſecus ac ſupplices ſumus, veriti, Mitylenæis in fidem, atque amicitiam receptis ſuccurrite; noliteque nos reſpuere, qui proprio capitis noſtri periculo commune omnibus emolumentum, ſiquidem ex ſententia ſucceſſerit; contraque, ſi nihil a vobis impetraverimus, magis etiam commune detrimentum adferamus. Tales igitur vos præbete, quales vos viros eſſe Græci confidunt, qualeſque noſter hic poſtulat metus.

CONCIO

TEUPTIAPLI.

EGO Mitylenas protinus contendendum, Alcida, duceſque Peloponneſii, prius quam de noſtro adventu auditum ſit, quo in ſtatu ſumus, cenſeo: exiſtimandum eſt enim, multa nos apud hoſtes, quippe qui modo urbe potiti ſint, ſine præſidio offenſuros; maxime quidem mari, qua nec illi hoſtium incurſum verentur, & nobis uſu evenit, ut plurimum valeamus; ſed pedeſtrem quoque manum, credibile eſt, utpote ratam ſe viciſſe, diſperſam incautius in tectis eſſe. Itaque ſi improviſo ſimul, & noctu, in homines impetum fecerimus, ſpero equidem, ab iis nos adjutos, ſiqui reliqui in urbe ſunt, qui nobis cupiant, eſſe victuros. Nec vero periculum reformidate, ſed ita cum animis veſtris cogitate, nullis aliis in rebus inane illud belli, quod fertur, quam in talibus eſſe poſitum: quas quidem qui ipſi in ſe caverint duces, atque eas ubi in hoſte animadverterint, rei bene gerendæ occaſionem non dimiſerint, iis quam plurima ex ſententia eveniunt.

QUASI

ARGUMENTUM DUARUM, QUÆ SEQUUNTUR, ORATIONUM EX AUCTORIS VERBIS EXPRESSUM.

CUM populus Athenienſis multis de cauſſis Mitylenenſium defectionem acerbiſſime tuliſſet, ſimul atque eos per Pachetem receptos eſſe

eſſe certior factus eſt, plebiſcitum confeſtim per iram fecit, ut omnes puberes interficerentur; ac ſine ulla mora cum eo plebiſcito celeriter miſit, qui in omnem Mitylenenſium civitatem ſævire eum extemplo juberet. Poſtridie ejus diei, deferveſcente jam iracundia, multi rei acerbitatem accuſare, pleroſque tam immanis ſententiæ pœnitere; Mitylenenſium vero legati, qui forte Athenis aderant, una cum iis Athenienſibus, qui ipſorum rebus favebant, ubi molliri civitas viſa eſt, in ſpem miſeri veniunt, mitigari populum poſſe, atque ad humaniorem aliquam ſententiam traduci. Qui cum per amicos anxii, ſollicitique id agerent, cumque omnibus ad pedes proſtrati ſupplices, flenteſque jacerent, atque eos, qui pridie quoque ab aliis diſſenſerant, plebiſcitumque illud improbaverant, adjutores haberent; ecce tibi Cleo Clezeneti filius, heſternæ illius ſententiæ auctor, vir natura unus ex omnibus civibus violentiſſimus, & auctoritate idem apud populum longe maxima, is plebis inconſtantiam increpitans, ut civitatis labantem jam voluntatem confirmaret, & plebiſcitum, quod ſe maxime contendente auctore factum eſſet, tueretur, advocata concione, ad hunc fere modum loquutus eſt.

CONCIO
CLEONIS.

INtellexi equidem & ſæpe alias, & maxime hoc tempore, cum veſtræ vos de Mitylenæis ſententiæ pœnitet, liberos populos aliis imperare nequire: adſueti enim ſecuræ inter vos, minimeque inſidioſæ vitæ rationi, eundem morem erga ſocios quoque veſtros retinetis; nec quicquid aut illorum oratione adducti peccaveritis, aut miſericordia commoti diſſolutiores fueritis, non ſociis gratum, ſed periculoſum vobis langorem veſtrum eſſe intelligitis; aud animo reputantes, imperium hoc, quod obtinetis, tyrannidem eſſe, illos contra vos conſilia inire, vobiſque invitos parere. Aud vos beneficiis magno quidem veſtro detrimento dandis, ſed cum viribus magis, quam illorum in vos benevolentia ut valeatis, perfeceretis, dicto ut vobis audientes ſint, eos adducetis; illud certe minime omnium ferendum, ſi, quæ ſemel ſtatuerimus, eorum firmum erit nihil; neque intelligemus, commodius adminiſtrari rempublicam, quæ minus præclaris legibus, verum ſtabilibus utatur, quam eam, quæ optimas leges habeat, ſed parum

rum ratas; pluſque habere utilitatem inſcitiam modeſtiæ compotem, quam intemperantia præditam perſpicaciam; meliuſque fere ab iis, qui paullo ſunt tardiores, quam ab iis, qui ingenii præſtent acumine, reſpublicas geri. Nam hi quidem, anteire legibus prudentia, & in omni de republica diſputatione ſuperiores diſcedere, videri volunt; quaſi vero non majoribus in rebus antea prudentiam oſtentarint: atque iis quidem rebus civitates hi labefactant. Qui vero intelligentiæ ſuæ minus confidunt, ii nec ſuo plus, quam legum conſilio tribuunt, nec ſe idoneos eſſe arbitrantur, qui recte dicentis ſententiam refutent; & cum exiſtimatores in neutram partem propenſi ſint potius, quam adverſarii, pleriſque in rebus recte ſtatuunt: id quod vos quoque præſtare debetis, neque eloquentiæ vi, & prudentiæ contentione elati, contra, atque ipſi ſentiatis, civibus veſtris ſuadete. Nam quod ad me adtinet, in eadem equidem ſententia perſevero, atque eos miror, qui de Mitylenæis iterum retulerunt, moramque quæſiverunt, id quod iis utile eſt, qui injuriam intulerint; ſiquidem iracundia demum obtuſa, qui læſus eſt, in eum, qui laceſſierit, invadit: at contra, cum vindicatio quam maxime propinqua injuriæ acceptæ eſt, tum, paribus nixa viribus, juſtiſſimas pœnas repetit: tum eum quoque admiror, quicunque ille futurus eſt, qui contradicturus ſit, & faciendum ſibi eſſe exiſtimet, ut Mitylenenſium ſcelera utilitati nobis, noſtras autem calamitates detrimento ſociis eſſe oſtendat; atque aut eloquentia fretus id, quod vobis ſumme placitum eſt, non ita decretum eſſe pugnabit, aut, ſuo compendio ductus, eleganti, elaborataque oratione ad aliam vos ſententiam traducere conabitur. Res certe publica talium concertationum præmia aliis tribuit, periculum ipſa ſubit, cujus ſane quidem rei culpa in vobis reſidet, qui certamina hæc perperam adminiſtratis: etenim dictorum ſpectatores, rerum autem auditores eſſe conſueviſtis. Nam & de futurarum rerum eventu ex diſertorum hominum oratione ſtatuitis, & quæ facta jam ſunt, nihilo plus fidei iis, quæ oculis cernitis, quam iis, quæ fando auditis, habentes, quanta ea ornatæ orationis ubertas fecerit, tanti æſtimatis: qui, cum ea dicuntur, quæ a conſuetudine abhorrent, perfacile capi ſoletis; quæ vero approbantur in vulgus, ea reſpuitis, in unaquaque re novitati ſervientes, uſitata autem, & quotidiana contemnentes: datiſque operam maxime quidem pro ſe quiſque, talia quædam ut dicere ipſi poſſitis; ſi minus, in eo inter vos pugnatis, ut ne tardius, quæ dicta ſunt, percepiſſe videamini: quod ſiqua acutius aliquis dixerit, in iis vos & approbatione, & intelligentia veſtra præcundis promti; in proſpiciendo autem, quos ea eventus habitura

ſunt,

ſunt, tardi eſtis: cumque alia prope dixerim omnia, quam quæ in vita hac communi verſantur, veſtigetis, ne in iis quidem ipſis, quæ ante oculos poſita ſunt, ſapitis ſatis; ac prorſus audiendi voluptate deliniti, ſophiſtarum potius ſpectatoribus, quam de republica conſultantibus ſimiles conſidetis. Quibus ego a rebus abducere vos conor, doceoque, Mitylenæos, unam quidem civitatem, maximam vobis feciſſe injuriam. Nam ſiqui ſunt, qui cum imperium noſtrum perferre non poſſent, aut ſiqui hoſtium coactu a nobis defecerint, veniam equidem illis tribuo: qui vero & inſulam incolant, & mœnia habeant, quique cum hoſtes noſtros mari modo vereantur, quo tempore triremium præſidio adverſus eos muniti eſſent, cum ſuis legibus viverent; cumque honos illis a nobis, ut quibus maxime haberetur, hæc patraverint, quid aliud egiſſe eos dicamus, quam ut inſidiarentur nobis, magiſque in nos eos invadere, quam a nobis evadere voluiſſe (defectio certe eorum eſt, quibus per vim inferatur injuria) dediſſeque operam, ut ubi cum inimiciſſimis nobis ſe ſe conjunxiſſent, tollerent nos? id quod acerbius eſt, quam ſi ipſi per ſe, nacti vires, bellum intuliſſent. Nec vero aliorum calamitates, qui, cum a vobis defeciſſent, in poteſtatem noſtram redacti ſunt, ſibi exemplo habuerunt: nec adeo beatæ illorum res, ne in diſcrimen irruerent, illos retardarunt, ſed præcipites audacia, pluſque, quam quantum ſuæ vires, minus autem, quam quantum voluntas ferebat, ſpei habentes, bellum ſuſceperunt, atque æquitati vim antepoſuerunt. Nam, quo maxime tempore vincere ſe poſſe arbitrati ſunt, nulla laceſſiti injuria, impetum in vos fecerunt: ſic enim fere fit, ut eæ civitates, quibus maxime nec opinantibus, ut, vel breve modo ad tempus, fortunatæ ſint, acciderit, inſolentia efferantur: plerunque autem quæ conſilio, ac ratione, quam quæ fortuito proſpere hominibus evenerunt, ſtabiliora ſunt; faciliuſque fere adverſam fortunam refellimus, quam ſecundam conſervamus. Quod utinam nullo unquam præcipuo, præter cæteros, a nobis habiti honore Mitylenæi fuiſſent, neque enim hunc in locum eorum progreſſa eſſet audacia. Nam omnino ſic eſt hominum ingenium, ut obſequentia contemnant, repugnantia admirentur. Luant igitur nunc ſaltem ſcelere ſuo dignas pœnas, neque culpa in Principes translata populus ſupplicio liberetur: æque enim omnes ad veſtram perniciem incubuerunt, qui ſi ad vos ſe ſe contuliſſent (erat enim in illorum poteſtate) rurſus nunc civitate fruerentur: verum, fortunam cum paucis experiri tutius arbitrati, una cum iis deficere maluerunt. Ac cum animis veſtris cogitate, ecquem ex omnibus ſociis non levi quaque de cauſſa defecturum a vobis eſſe exiſtimetis, ſi eaſ-

ſi eaſdem iis pœnas conſtituetis, qui hoſtium coactu, atque iis, qui ſua voluntate a vobis defecerint, cum libertatem, ſi conata perfecerint, propoſitam habeant; ſin autem minus, nullam tamen inſanabilem plagam accepturi ſint: at vos de unaquaque civitate capitum, ac fortunarum veſtrarum in diſcrimen venietis, & bene re geſta, tamen urbem recipietis perditam, & vectigalia, quibus opes veſtræ nituntur, in reliquum tempus amittetis: ſiquid autem ſecus acciderit, ad eos, quos habemus hoſtes, alios addetis; atque id tempus, quod maxime in iis propulſandis, qui inimici jam vobis ſunt, ponendum erat, inferendo ſociis veſtris bello conſumetis. Non igitur ſpes oſtendatur, ſive quæ oratione perſuadet, ſive quæ pecunia paratur, fore ut illorum ſcelera humana patiamur: nec enim imprudentes nocuerunt, ſed ſcientes inſidiati ſunt: miſericordiam autem error habet. Itaque cum a principio equidem pugnavi, tum vero nunc contendo, ne id, quod antea ſciviſtis, irritum faciatis; neque tribus ad imperium obtinendum maxime inutilibus rebus, miſericordia, orationis dulcedine, & clementia in fraudem induci vos patiamini. Nam & miſericordia paribus tribuenda eſt, non iis, quos neque contra in futurum quicquam miſereat, & in perpetuum hoſtes vobis eſſe ipſa res cogat; & qui dicendo aures veſtras ſuavitate permulcent oratores, iis aliis minoribus in rebus campus non deerit. Nam nunc quidem brevis voluptatis fructu nimio civitas multaretur, ipſis autem pro bene dictis bene facta, commodaque tribuentur; clementia vero adverſus eos exercenda eſt, quos deinceps vobiſcum conjunctos, non in eos, quos ſimiliter, atque antea hoſtes habituri ſumus. Atque ut in unum conferam, ſi mihi aſſenſi eritis, ea facietis, quæ juſta in Mitylenæos ſunt, & in remp. veſtram ſalutaria; ſin aliter ſtatuetis, nec illi gratiam habebunt, & ipſi veſtro voſmet judicio condemnabitis: injuſte enim vos imperium, ſiquidem jure hi defecerunt, obtinetis: quod ſi contra, quam deceat, tamen faciendum id vobis eſſe ſtatuiſtis, contra quoque, quam honeſtum ſit, utilitatis cauſſa in eos animadvertite; niſi forte principatum dimittere mavultis, & ſine omni periculo ad officium vos convertere: ac pares ab illis pœnas repetite, ne major noſtra, qui inſidiis obſtiterimus, quam eorum, qui inſidias fecerint, videatur eſſe lentitudo; illud animo verſantes, quales illos exiſtimandum ſit in vos futuros fuiſſe, ſi viciſſent, præſertim cum ab iis initium injuriæ inferendæ ortum ſit. Nam, qui ſine cauſſa quempiam læſerunt, ii acerrime urgere, ſanguinemque ſolent appetere, ſuperſtitis ſcilicet inimici periculo commoti: etenim qui ab eo, a quo minime fuit neceſſe, perculſus ſit, is capitalior, ſi forte evaſerit, ho-

ſtis

ſtis eſt, quam qui pari etiam nunc conditione inimicitias gerit. Ne igitur vos ipſi perdideritis, ſed mala, quæ ab ipſis accepiſſetis, vobis ante oculos, atque in conſpectu ſtatuite; faciteque, ut etiam atque etiam recordemini, ut omnia minoris æſtimaveritis, quam ut illi veſtras in manus devenirent; ac par pari nunc referte, neque in ipſo negotio ſubito relangueſcite; quantaque vobis acerbitas modo imminuerit, memoria retinete; & cum ab iis dignas pœnas repetite, tum in poſterum documentum ſociis veſtris ſtatuite, fore, ut, quicunque defecerint, morte multentur: hac enim re intellecta, minus poſthac cogemini, poſthabitis hoſtibus, cum ſociis veſtris bellum gerere.

Hæc quoque ſunt expreſſa e Thucydide.

AD HÆC DIODOTUS, EUCRATIS FILIUS, QUI IN PRIORE QUOQUE CONCIONE VEHEMENTER CLEONIS SENTENTIÆ DE MITYLENÆIS NECANDIS RESTITISSET, CUM IN SUGGESTUM VENISSET, ITA RESPONDIT.

NEC eos, qui iterum de Mitylenæis referunt, reprehendo; nec eos, qui magnis de rebus ſæpius deliberari queruntur, laudo: duas autem res maxime conſilio inimicas, ac rationi eſſe exiſtimo, feſtinationem, atque iracundiam; quorum alterum amentiam, alterum inſcitiam, & levitatem habet. Quod ſiquis orationem rerum agendarum magiſtram negat, atque in eo pugnat, næ ille aut ſtultus eſt, aut ſua id privatim aliquid refert: ſtultitiæ eſt enim aliquid præterea eſſe ſtatuere, quo futuris, minimeque perſpicuis de rebus diſſeri poſſet; privatim vero intereſt, cum turpe aliquid perſuadere in animo habeas, bene autem te de re minime honeſta dicere poſſe diffidas, bene calumniari, atque cum adverſarios, tum vero etiam auditores exterrere. Illi enimvero omnium maxime moleſti ſunt, qui alterius ſententiam pretio addictam criminantur: etenim cum ſtultitiæ is, qui nihil forte perſuaſerit, arguitur, imprudens habitus magis, quam improbus diſcedit; cui vero objecta eſt avaritia, is, & cum perſuaſerit, ſuſpectus eſt, & cum id minus ſit aſſecutus, præter ſtultitiam, im-

probitatis etiam reus fit. Ac ne e rep. quidem id eſt, quippe quæ metu ſuis conſiliariis privetur, multumque adeo illi proſpectum ſit, ſi hujuſmodi civibus nulla ad dicendum facultas fuerit: minimum enim in ſe fiduciæ ad peccandum habebunt. Quandoquidem boni civis eſt, non metu exterritis iis, qui contradicturi ſint, ſed æquo certamine contendentem ſuperiorem in dicendo diſceſſiſſe judicari: prudentis autem civitatis, qui plurima ſapienter ſuaſerit, eum aud honore amplificare, ſed ne de ea quidem, quam is obtinet, dignitate quicquam detrahere; contraque, qui minus prudenter ſenſerint, illis eam rem non modo fraudi, ſed ne dedecori quidem eſſe cenſere: ſic enim neque is, cui ex ſententia evenerit, quo etiam pluris habeatur, contra atque ipſe ſentiat, dicendo, gratiam aucupabitur; nec cui minus ſucceſſerit, ipſe quoque, quo ſibi aliquid conciliet gratiæ, ſe ſe concioni venditabit: quæ contra a nobis fiunt. Atque huc accedit, ut ſiquis ſui quidem quæſtus cauſſa, ſed quæ nihilo tamen minus ad remp. pertineant, dicere in ſuſpicionem venerit, ob tenuis avaritiæ opinionis invidiam, certo remp. utilitatis fructu privemus: atque eo res deducta eſt, ut, quæ recta ſunt, ſi ſimpliciter, ſincereque dicantur, nihilominus ſuſpicioſa ſint, quam quæ improba ſunt; ut æque neceſſe habeat, qui maxime pernicioſa ſuadere cupiat, populum inducere, atque is, qui ſalutare aliquid adferat, mendacio fidem facere; ſolaque hæc eſt civitas, cui propter perverſam calliditatem aperte, ſineque circuitione prodeſſe nemo poſſit: nam ſiquis aliquid attulerit, quod perſpicue bonum ſit, deliteſcere tamen in eo occulte fraudis aliquid, ac furti veremini. Quare in tam ſuſpicioſa civitate, inſtitutiſque his veſtris, maximis de rebus dicentibus nobis longius proſpiciendum eſt, quam vos, quibus breve ad cogitandum ſpatium fuit, providetis; præſertim cum ſuaſio noſtra legibus teneatur, veſtra autem auditio libera, ſolutaque ſit: etenim ſi eadem, qui ſuaſit, ac qui in eam ſententiam eſt, pœna plecteretur, profecto aud paullo vos conſideratius judicaretis: nam nunc quidem, quacunque de re facti ſitis iratiores, ſiquando aliquid forte offendiſtis, ejus, qui auctor fuerit, ſententiam unam multatis; veſtras autem, quæ multæ in ejus erroris ſocietate fuerunt, abſolvitis. Ego ſane equidem non eo in concionem aſcendi, ut Mitylenenſium cauſſam agerem, nec vero eos rurſum ut accuſarem: nec enim de illorum injuriis, ſi ſapimus, ſuſcepta nobis eſt hoc tempore contentio, de noſtra recte ineunda ratione: neque enim, ne ſi aperuero quidem plurimum eos peccaſſe, propterea occidendos illos cenſebo, niſi id reip. conducat; neque contra, quamquam nonnihil illos loci veniæ reliquiſſe oſtendero, niſi ea res ad

remp.

remp. pertineat, ignoſcendum ſtatuam: puto enim, de futuris magis vos rebus, quam de præſentibus conſuli. Itaque in quo Cleo maxime nitebatur, cum contenderet, multum in poſterum ad defectiones coercendas profuturum, ſiquis ei rei pœnam capitis conſtituerit, in eo ego quoque ex altera parte futuris niſus, ab illo vehementer diſſentio: enimvero aud æquum eſſe exiſtimo, præ illius ſpecioſa ratione utilem meam a vobis ſententiam reſpui: etenim illius oratio, propterea quod magis jus ſequeretur, ob præſentem veſtram in Mitylenæos iracundiam fortaſſe vos traxerit: non enim judicio cum iis contendimus, ut juris ratio habenda ſit; ſed de illis deliberamus, quanam potiſſimum conditione plurimum reip. noſtræ ſint profuturi. Multa igitur ſingulis in civitatibus, eaque audquaquam huic paria, ſed multo leviora peccata capite ſancita ſunt: attamen elati ſpe periculum non reformidant: nemo autem, deſperans conata ſe perficere poſſe, majus aliquod facinus ſuſcipit. Ac ſæpe, quæ minus aut ſuis viribus, aut externis auxiliis inſtructa civitas defeciſſe viſa eſt, hoc freta id incepit: natura enim omnes publice, privatimque ad peccandum ferimur; qui quidem impetus nulla lege coerceri poteſt: nam per omnia ſuppliciorum ſunt homines genera pervagati, ſiquid ab inferenda improbos injuria deterrere poſſent: ac veriſimile eſt, graviſſimis antiquitus criminibus mitiores fuiſſe pœnas conſtitutas; ſed cum illæ temporis diuturnitate negligerentur, capitalia pleraque evaſerunt: perfringitur tamen id quoque. Aut igitur metus major aliquis inveniendus eſt, aut ne in hoc quidem ſatis eſt roboris ponendum. Nam egeſtas neceſſitatem, audaciam porrigit, incitat; copiæ, contumeliæ, & arrogantiæ injuſtitiam miniſtrant: tum cæteri itidem caſus dolore, ut quiſque majore aliqua vi premitur, præcipites in pericula trahunt; ſpes in primis, atque amor: illum enim præeuntem hæc ſubſequitur; atque hic ingreſſionem meditans, illa ſecundum fortunæ eventum proponens, pleraque turbant, ac miſcent; atque hæc, quoniam latent, perſpicuis malis pejora ſunt. Ipſa præterea fortuna multa ad inſtigandum congerit: nam nec opinantibus nonnunquam ſe ſe offert, atque imparatos in diſcrimen trahit, ipſaſque præcipue, præter cæteros, civitates impellit, utpote quæ res maximas, libertatem, aut etiam in alios imperium, propoſitas habeant, ſimul ſe quiſque ſtulte, quam quanti ſit, carius æſtimat. Atque omnino nec fieri poteſt, magnæque inſcitiæ eſt, cum ſummo humanum ingenium ſtudio ad aliquid agendum incubuit, legum ſeveritate, ullove alio acerbitatis genere deterritum iri, exiſtimare. Quare nec pœna capitis freti, tanquam eam vadem acceperimus, minus prudens conſilium inire debemus;

nec quicquam ſtatuere, quo ſpes iis, qui defecerint, ad ſanitatem revertendi, peccatumque ſuum celeriter corrigendi præcidatur: ſic enim cogitate. Nam ſic quidem, ſiqui, cum defecerint, ſuſtinere ſe non poſſe ſentiant, integri adhuc, ut, & quod impenſum ſit, in præſentia ſarcire, & vectigal deinceps pendere valeant, in deditionem veniant; illo autem modo ecquos putatis fore, qui non ſe multo acrius, quam nunc, ad tolerandam obſidionem comparent, atque eam, quam longiſſime poſſint, producant; quippe cum nihil referre intelligant, tardene ſe ſe, an celeriter dediderint? Quid igitur? Ea res nonne vobis damno erit? cum in obſidionem ſumtum facere cogemini, propterea quod nullum compoſitioni locum reliquum feceritis; & urbe potiti, perditam civitatem recipietis, vectigalque, quod ex ea percipitis, in reliquum amittetis. Atqui hoc uno maxime hoſtibus reſiſtimus. Quamobrem non eſt nobis committendum, ut, ſeveri potius peccatorum judices cum ſimus, damno afficiamur, quam ut moderatione in puniendo adhibita in futurum proſpiciamus, ut integris civitatibus firmiora vectigalia habeamus. Nec vero in legum ſeveritate, ſed in rerum procuratione ſatis eſſe ad cuſtodiam præſidii exiſtimemus, contra quidem, ac nunc facimus: etenim ſiquis, cum liber eſſet, atque imperio per vim opprimeretur, jure ſe ſe in libertatem vindicarit, acerbe nos in eum. receptum animadvertimus. Atqui liberorum populorum defectiones non acriter puniendæ, ſed acriter cavendæ ſunt, præripiendumque, ut ne in eam quidem cogitationem deveniant; at, cum in ditionem recepti ſint, culpa quam minimum dilatanda eſt. Ac videte, quam vehementer hoc etiam nomine, ſi Cleonis ſententiam ſecuti fueritis, erraturi ſitis: nam nunc ſingularum vobis civitatum populus favet, ac cupit, nec cum principibus ſua voluntate conjurat, cumque armis opprimitur, continuo defectionis auctoribus hoſtis eſt. Itaque multitudine nos adverſariæ civitatis nobis amica, ac ſocia bellum gerimus. Quod ſi populum Mitylenæum interfeceritis, qui a defectionis conſilio abſuit, & cum primum arma capiendi poteſtas data eſt, ultro nobis urbem tradidit, præterquam quod iis, qui bene de vobis meriti ſunt, necandis injuriam facietis, id etiam ſtatuetis, quo nihil nobilitati poſſit eſſe optatius: civitatibus enim ad defectionem impulſis, populi auxilium paratum habebunt: ſiquidem exemplum vos ſtatuetis, idem vos ſupplicium iis, qui ſcelus in ſe admiſerint, atque iis, qui extra noxam ſint, conſtituere; quinimo, ſi maxime illi in culpa ſint, diſſimulandum id eſſet, ne, qui uni nobis amici reliqui ſunt, hoſtes fierent. Atque equidem multo hoc magis ad imperium tuendum conducere arbitror,

ſi ſcien-

ſi ſcientes injuriam perpetiemur, quam ſi vel jure, quos minime expediat, interfecerimus. Nam Cleonis quidem ſententia pœnam, quæ utilitatem eadem cum juſtitia copulet, invenire non poteſt. At vos præſtare hæc ſtatuite, nec miſericordiæ quicquam, aut clementiæ tribuite; quibus rebus ne ego quidem abduci vos velim, ſed iis ipſis, quæ a me expoſitæ ſunt, rationibus perſuaſi, Mitylenenſium, quos Paches pro ſontibus miſit, otioſe cauſſam cognoſcite, reliquos oppido uti jubete: hæc enim cum in futurum recta ſunt, tum in præſens hoſtibus formidabilia. Nam qui conſilio nititur, plus hoſtibus nocet, quam qui ſine animi ratione viribus.

DE-

DESCRIPTIO
PESTIS ATHENIENSIS
EX THUCYDIDE LIB. II.

PAUCIS diebus poſt horum in Atticam adventum, Athenienſibus morbus exortus eſt is, qui antea quoque alios locos invaſiſſe dicebatur, Lemnum, regioneſque alias. Aud tamen tanta peſtilentiæ vis, tantaque hominum clades uſquam memorabatur fuiſſe. Nam neque medici, cum initio imprudentes curarent ægros, ſuppetebant, ipſique moriebantur plurimi, quo plurimi ad ægros adibant: neque alia ars humana ulla, neque in Deorum ſupplicationibus, aut in vaticiniis, cæteriſve hoc genus, auxilium inveniebatur: tandem, malo victi, deſierunt ea adhibere. Originem autem primum duxiſſe dicitur ex Æthiopia, quæ ſupra Ægyptum eſt; mox in Ægyptum, ac in Libyam deſcendit, atque Perſarum Regis terræ plurima in loca. In Athenienſium autem civitatem irrupit extemplo, atque homines in Piræo corripuit, ut dicerent illi quidem, Peloponneſios venenum in puteos dejeciſſe; neque dum enim fontes ibi erant: deinde autem in ſuperiorem civitatem pervenit, multoque jam plurimi moriebantur. Dicant igitur Medici, aliique, ut quiſque ſentit, qua potiſſimum ex re ortum eum eſſe veriſimile videatur, cauſſaſque, ex quibus tanta rerum commutatio facta ſit, inveſtigent. Equidem, qualiſque is fuerit morbus, narrabo; cumque ipſe eo affectus fuerim, laborantibuſque aliis adfuerim, ea, quibus is, ſi forte aliquando rurſus inciderit, agnoſci poſſit, oſtendam. Conſtat igitur, eum annum, quantum ad reliquas attinet ægritudines, fuiſſe omnium ſaluberrimum: ſiquis tamen aliis morbis tentaretur, in hunc ipſum (1) delabebatur: alios vero, nulla cauſſa antecedente, ſed repente valentes, primum quidem capitis æſtus vehementes, oculorumque rubores, atque inflammatio occupabat; quæque intrinſecus ſunt, lingua, fauceſque, continuo cruentæ erant; ſpirituſque fædus, malique odoris reddebatur: tum ſternutatio, & raucitas conſequebantur: mox in pectus malum manabat cum magna tuſſi, cumque ad cor conſtiterat, ipſum contorquebat, & bilis purgationes, quotquot nominantur a medicis, oriebantur, eæque ingenti dolore: pleroſque inanis ſingultus urgebat, qui vehementem etiam diſtentionem concitabat; in nonnullis relevabatur po-

(1) Secernebatur.

poſtea morbus, in nonnullis etiam diutius permanebat. Ac corpus, extrinſecus quidem manum admoventibus, aud admodum calidum, neque pallidum, ſed ſubrubicundum livens erat, puſtuliſque parvis, ulceribuſque reſperſum: intrinſecus autem eo uſque æſtuabant, ut ne ſub tenuiſſimis quidem veſtibus, linteiſque contineri poſſent, nudique jacerent, libentiſſimeque ſe ſe in aquam frigidam conjiciebant; id, quod iis, qui minus aſſervabantur, accidit, ut ſe ſe in puteos dejecerint, cum inexplebili tenerentur ſiti; in idemque recidebat liberalior potus, parciorque; perpetuaque jactatio, & vigilia urgebat. Corpus vero, quamdiu vigebat morbus, aud tabeſcebat, maloque mirum in modum reſiſtebat: quare vel moriebantur plerique infra nonum, ſeptimumve diem, cum tamen etiam tunc aliquid ſupereſſet virium, ob inteſtinum ardorem; aut ſi evaſiſſent, deſcendente in ventrem morbo, cum vehementer illum exulceraret, unaque alvus immodice flueret, moriebantur ex imbecillitate plerique. Quod enim initio ſteterat in capite malum, id omne corpus obibat, ac ſiquis ſumma illa viciſſet, extremæ corporum partes morbo occupatæ indicio erant: irrumpebat enim in naturalia, ſummaſque in manus, ac pedes, multique adeo iis mutilati convaluerunt. Sunt etiam qui oculis capti disceſſerint; quique omnium rerum obliti ſurrexerint, cum ſe ſe, & neceſſarios omnes ignorarent. Cum enim eſſet morbi genus majus omnino, quam ut dici poſſit, cum cæteris rebus difficilior ſingulis incidebat, quam ut tolerare eum hominis natura valeret; tum hoc uno vel maxime oſtendit, quam prorſus ab omni conſuetudine res quædam eſſet abhorrens, cum volucres, quadrupedeſque, quicunque hominem attingere ſolent, tot inſepultis cadaveribus jacentibus, aut ad ea non accederent, aut, ſimul atque deguſtaſſent, morerentur; clarumque ejus rei argumentum eſt, quod eæ volucres, neque circum ipſa cadavera, neque uſquam alio in loco apparebant; multoque ea res in canibus, utpote una nobiſcum viventibus, intellecta eſt.

Ac morbi quidem, ut multa, eaque fæda omittam, quomodo alios aliter vexarit, ſpecies omnino hujuſmodi erat; neque per illud tempus aliæ ullæ forte erant ægritudines, & ſiqui tamen ægrotabant, in hanc decidebant. Moriebantur autem multi neglecti; multi quoque egregie curati; neque etiam aliquod conſtabat medicamentum, quod prodeſſet adhibitum: quod enim alios juvabat, idem aliis adhibitum nocebat: neque ullum aut tam valens repertum eſt corpus, aut tam imbecillum, quod huic malo ſufficeret, ſed corpora omnia, quæcunque tandem adhiberetur curatio, tollebantur. Erat autem illud in primis grave, quod, ut quiſque ægritudinem ſenſerat, animo concidebant:

bant: cum enim continuo mentem deſperatio occupaſſet, eo ſe ſe magis abjiciebant, neque retinebantur; cumque alii alios curarent, (1) repleti morbo, pecudum more, interibant. Ex qua re maxima eſt orta pernicies: etenim ſive experterriti non adibant inter ſe, ſolique relicti peribant, multæque exinanitæ domus ſunt inopia medicorum; ſive adibant, contagione contaminabantur; præcipueque ii, qui virtutem aliqua ex parte profiterentur: verecundia enim adducti, ad amicos introibant, neque ſibi parcebant; nam etiam decedentium propinqui, malo victi, lugere jam illos deſierant. Sed illos in primis & morientium miſerebat, & ægrotantium, qui ipſi ex eo morbo convaluerant; tum quod in ſe antea ipſi eſſent experti, tum quod jam erant in tuto: nemo enim eo iterum oppreſſus eſt, ut quidem interiret. Itaque fortunati aliis videbantur, ipſique læti extemplo erant, & in poſterum quoque levi quadam ſpe tenebantur, fore, ut nullo jam morbo interirent. Ad hæc mala illud etiam acceſſit: premebantur multitudine ea, quam pavor in urbem compulerat; nec vero levius ii ipſi, qui intra mœnia confugerant: nam cum eos tecta deficerent, in anguſtiſque tuguriis per id anni tempus manerent, fœdæ cladis omnia replebantur, jacebantque continenter cadaveribus mortui continuati, volutabanturque in viis, & propter aquæ deſiderium, circum fontes ſemimortui. Sacræ etiam ædes, in quibus divertebantur, refertæ cadaveribus erant ibidem mortuorum: malo enim coacti homines, cum quid facerent incerti eſſent, eo ſe convertebant, ut ſacra pariter, atque profana negligerent; perturbatæque leges ſepulcrorum erant, quibus antea uſi fuerant. Sepeliebant igitur, ut quiſque poterat; multique ad impudentem ſepulturam confugiebant, propriorum inopia ſepulcrorum, propter multitudinem illorum, qui antea deceſſiſſent: alii enim prævenientes, in alienum rogum cum ſuum mortuum intuliſſent, incendebant: alii, ardentibus aliis, ſuperjicientes quem ipſi ferrent, diſcedebant: fuitque initium morbus hic civitati diſſolvendarum legum; facilius enim audebant ea, quæ interdictum erat, ne ad libidinem fierent. Cum enim volubilem commutationem cernerent, quod beati, locupleteſque repente morerentur, quique ſumma modo fuerant in egeſtate, illorum bona habebant; feſtinandum eſſe ſtatuebant, ut fruerentur ad voluptatem, & rem, & corpus in diem habere ſe rati. Neque vero in rebus honeſtis ut elaborarent, ſtudebant, quiſque incertus ſcilicet, an prius, quam id conſecutus eſſet, occumberet; quicquid autem jucundum uſquequaque ſcirent, aut omnino lucrum haberet, id honeſtum eſſe, utileque ſtatuebant.

(1) ἕτερος ἀφ᾽ ἑτέρου θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι.

Digitized by Google

tuebant. Deorum autem neque metus, nec hominum lex ulla retinebat, hos quidem nihil referre arbitrati colerentne, an non, cum omnes pariter pereuntes viderent: peccatorum autem, quoniam nemo erat, qui tandiu victurum ſe ſperaret, ut judicium fieret, pœnam minime pertimeſcebant: multo autem majore ſe pœna multatos eſſe exiſtimabant; quæ cum impenderet, antequam ea accideret, æquum eſſe vitæ commodis frui. Tali Athenienſes caſu premebantur, cum intra muros homines morerentur, & extra vaſtaretur ager. Veniebat autem in mentem inter hæc mala, ut fieri ſolet, ejus verſus, quem pridem editum ſeniores dicebant.

(1) *Advenient Dores, bellumque, famemque ferentes.*
Advenient Dores, bellum, morbumque ferentes.

Fuerat igitur controverſia, quod nonnulli exiſtimarent, a veteribus eo verſu nominatam eſſe non peſtilentiam, ſed famem. Sed merito nunc quidem vicit, nominatam eſſe peſtilentiam: ad præſentia enim mala veterem memoriam homines referebant. Quod ſi poſthac aliud incidat Doricum bellum, fames forte fortuna cum ſit, ut res feret, ita canent. Redierant etiam in memoriam illius oraculi, qui non erant ignari, quod editum Lacedæmoniis eſt: ſciſcitantibus enim illis de bello, oraculum datum eſt: Si ſumma vi bellum inferrent, victuros eſſe; ſe ipſum quoque opem dixit laturum. Aud igitur diſſimilia huic oraculo, quæ acciderant, exiſtimabant. Ubi autem in Atticam Peloponnenſes invaſerunt, continuo exorta peſtilentia eſt: Peloponneſum autem aud magnopere attigit: vexavit autem Athenas quidem in primis; deinde frequentiſſima quæque loca . . . . memoratu digna . . . . .

(1) Ηξει Δωριακὸς πόλεμος, καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ.

PLATONIS MENEXENUS,

SIVE EPITAPHIUS, AUT ORATIO FUNEBRIS.

DIALOGI PERSONÆ

SOCRATES, ET MENEXENUS.

SOcr. A Foro, an unde Menexenus? *Men.* A Foro, Socrates, atque adeo a Curia. *Socr.* Quid tu autem in Curia? Num, abſoluta ſcilicet eruditione, ac philoſophia, ut qui ſatis jam inſtructus tibi videris, ad majora convertere te cogitas? Nobiſque ſenioribus iſta ætate præeſſe aggrederis; eoque ad rempublicam acceſſiſti, ne veſtra unquam domus ſufficiendis nobis cuſtodibus defatigetur? *Men.* Siquidem tu permittis, Socrates, atque ſuades præeſſe me, præſto fuero: ſin minus, aud faciam. Sed nunc quidem eo ad Curiam veneram, quod in Senatu delectum iri acceperam, quinam de mortuorum laudibus diceret: juſta enim facturos ſcis. *Socr.* Scilicet: ſed cuinam decretum eſt? *Men.* Nulli: nam in craſtinum res dilata eſt. Archinum tamen, aut Dionem, puto, deligent. *Socr.* Profecto, Menexene, aud multum abeſt, quin in prælio occidere pulchrum ſit: nam, & quamvis pauper quis occidit, magnificum tamen, ornatumque ille funus adipiſcitur; laudatur etiam, tametſi nequam eſt, a ſapientibus hominibus, idque non temere, ſed multo ante oratione parata, qui eo uſque pulchre laudant, ut ſuis, alieniſque laudibus unoquoque ornando, tum oratione pulcherrima quadam verborum varietate illuſtranda, animos noſtros deliniant, dum & civitatem omni genere laudum celebrant, & eos, qui in prælio interfecti ſunt. Addunt etiam majores, qui olim fuerunt, noſtros univerſos, ipſoſque adeo nos, qui ſuperſtites adhuc. Quamobrem, Menexene, equidem valde mihi magnificus videor, cum ab iis laudor: itaque ſemper adſum, auſculto, permulceor: videor enim mihi repente generoſior fieri, majorque, & pulchrior. Et quoniam fere ſolent peregrini aliquot homines, una nobiſcum, ad audiendum convenire, iis igitur repente me jacto: etenim illi ipſi eodem modo animo mihi videntur affici, ut me, & civitatem admiratione magis dignam exiſtiment, oratione permoti, quam antea perſuaſum haberent: qua quidem in elatione triduum, aut eo etiam diutius perſevero; adeo modulata oratio, ſonuſque in aures ab oratore infunditur meas. Itaque quarto, aut quinto vix demum die in memoriam mei redeo, ſen-

ſentioque, ubi terrarum ſum: tantum eſt oratoribus in noſtris artificium, ut ad id uſque tempus Beatorum mihi pene inſulas ſim viſus incolere. *Men.* Semper tu quidem, Socrates, oratores irrides. Veruntamen equidem exiſtimo, cui Senatus laudationem decreverit, ei audquaquam facile ſuppetere poſſe, quæ dicat: ſub ipſam enim dicendi diem ſenatusconſultum fiet, ut prope cogatur ex tempore dicere. *Socr.* Quomodo iſthuc? Habet enim unuſquiſque eorum paratas orationes, & tamen ne ſubito quidem dicere hujuſmodi de rebus difficile eſt: etenim ſi aut apud Peloponneſios ornandi Athenienſes forent, aut apud Athenienſes Peloponneſii, bono, claroque opus eſſet ad perſuadendum oratore; ubi vero inter eos ipſos periclitatur quis, quorum de laudibus prædicat, aud magni negotii videtur eſſe, accommodate dicere. *Men.* Ita iſthuc tibi videtur, Socſates? *Socr.* Mihi quidem hercle. *Men.* Quid te te opus ſi ſit, tibique Senatus decernat, putasne, te idoneum eſſe, qui dicas? *Socr.* Atqui me quidem idoneum ad dicendum eſſe nihil mirum eſt, propter vim dicendi, cui magiſtra aud ſane ignobilis obtigerit, a qua cum multi alii, bonique oratores, tum is, qui omnibus antecellit, Pericles Xanthippi filius eruditus eſt. *Men.* Quænam ea eſt? Anne Aſpaſiam dicis? *Socr.* Iſtam ipſam, Connumque Metrobii filium: hos enim duos magiſtros habeo, canendi hunc, illam dicendi: qui igitur ad hunc modum ſit inſtitutus, in eo dicendi facultatem ineſſe nihil mirum. Sed tamen etiam aliquis, qui deterius, quam ego, eruditus ſit, ac muſicam quidem, vel de Lampro didicerit, Rhetoricam vero a Rhamnutio Antiphonte, is, ſi de laudibus Athenienſium apud Athenienſes dicat, placere facile poſſit. *Men.* Sed orandum tibi ſi ſit, quidnam haberes, quod diceres? *Socr.* Per me quidem ipſe fortaſſe nihil; Aſpaſiam autem audivi heri, cum orationem componeret, quæ ad horum ipſorum buſta diceretur: acceperat enim idem, quod tu dicis, decretum iri a Senatu, qui diceret: itaque partim ex tempore perſecuta eſt, quæ dici oporteret, partim cum meditata antea fuiſſet, eo opinor tempore, cum laudationem illam compoſuit, quam Pericles ad buſta habuit: ex ea igitur nonnullas ſententias conglutinavit. *Men.* Viſne igitur memorare, quæ ab Aſpaſia dicta ſunt? *Socr.* Sit modo fas: edidici enim de illa, atque adeo prope factum eſt, ut vapularem, cum oblitus eſſem. *Men.* Quid cauſſæ igitur eſt, cur eam non recitas? *Socr.* At metuo, magiſtra ne mihi ſuccenſeat, ſiquid ejus orationem efferam. *Men.* Aud faciet, Socrates; verum amabo te, recita: pergratiſſimum enim mihi feceris, ſive tu Aſpaſiæ, ſive alterius cujusvis dicas. Dic modo. *Socr.* At tu fortaſſe me

irridebis; cum hoc ætatis ludere etiam nunc me videbis. *Men.* Minimè vero. Verum age, dic. *Socr.* Gerendus quidem tibi mos: nam ſi nudum ſaltare jubeas, propemodum obtemperem: ſoli enim ſumus. Auſculta igitur: ad hunc enim fere modum ab ipſis mortuis dicere exorſa eſt.

Res quidem a vobis habent hi jam, quibus digni ſunt, eaſque cum aſſecuti ſunt, quod iter illis fato datum eſt, id cum publice a civitate, tum privatim ab amicis deducti inierunt. Reliquus eſt autem verborum honos, quem & haberi hiſce lex jubet, & debitus eſt: nam recte facta, cum præclare dicuntur, iis memoriam, honoremque, qui ea geſſerunt, apud eos, qui ea audiunt, pariunt. Ea igitur oratione opus eſt, qua & mortui digne laudentur, & ſuperſtites benigne moneantur; & quæ liberos quidem, & fratres ad eos imitandos hortetur; parentes autem, majoreſque, ſi ſuperſunt, conſoletur. Quænam igitur nobis ejuſmodi exſiſtet oratio? Aut unde recte exordium capiemus de virorum fortium dicendi laudibus, qui dum vixerunt, propinquis, pro ſua ſumma virtute, gaudio fuerunt, & ſuam mortem cum viventium ſalute commutarunt? Mihi quidem ſic videtur, quemadmodum rerum natura poſtulat, ita decere eos laudare, ut natura viri boni, forteſque effecti ſunt. Boni autem effecti ſunt, propterea quod a bonis ortum habuerunt. Illorum igitur nobilitatem laudemus primum: deinde educationem, & diſciplinam: poſtea eorum res geſtas demonſtrabimus, pulcherrimas illas quidem, maximeque dignas, quæ a tali genere, diſciplinaque orirentur. Atque in horum nobilitate illud eſt primum, quod auctores generis habent non advenas quoſdam, aut peregrinos, ſed eos, qui ex hac ipſa terra fati ſint, ac geniti, ut veram, germanamque patriam incoluerint; ac non, ut alii, a noverca, ſed a parente eadem, quæ eos genuerit terra, alti, eductique ſint, ab eademque nunc excipiantur mortui, condanturque iisdem in locis, ubi nati ſint, ubique habitaverint. Eam igitur ipſam horum procreatricem ornemus primum: ſic enim horum quoque nobilitas ornabitur; digna vero regio, quæ ab univerſo hominum genere, nedum a nobis laudetur, multis illa quidem de cauſſis, ſed illud primum, ac maximum, quod ea Diis immortalibus cara eſt. Teſtatur hoc Deorum inter ſe de ea concertantium lis, ac judicium: quam igitur Dii laudarint, qui dubium eſſe poteſt, quin ea univerſis ab hominibus vere laudetur? Proxima vero ejus laus illa eſt merito: eo enim tempore, quo tellus animantia, omniſque generis feras, ac pecudes edidit, & procreavit, noſtra tum terra a partu ferarum belluarum immunis, puraque fuit, ex omnibuſque ani-

animantibus hominem ſibi delegit , quem pareret , qui & intelligentia reliquos antecellit , & ſolus juſtitiam , & Deum agnoſcit . Maximo autem argumento eſt , edidiſſe hanc terram ipſam ex ſe majores noſtros : omnia enim quæcunque pariunt , eadem etiam cibum fetui ferunt alendo accommodatum , quo etiam mulier , quæ vere peperit , quæque partum mentita eſt , deprehenditur , cum alimenti ſcilicet fontes , quos partui præbeat , nullos habet . Id igitur ſignum terra hæc mater noſtra præſefert , oſtenditque , homines ex ſe ſe genitos eſſe : ſola enim , primaque eo tempore propriam homini eſcam tritici , hordeique frugem extulit , quibus optime , facillimeque hominum genus alitur , utpote quæ vere id animal ex ſe ſe peperiſſet . Æquum eſt autem , plus hæc argumenta fidei in terra habere , quam in muliere : neque enim terra graviditate , & partu mulierem eſt imitata , ſed terram mulier . Neque vero obſtitit invidia , quin eas fruges per alias terras diſtribueret . Præterea oleum , quod laborum liberis ſuis eſſet levamen , protulit : quibus quidem a ſe altis , augeſcentibuſque , & pubeſcentibus gubernatores , magiſtroſque Deos propoſuit , quorum nomina nunc quidem omittere decet . Tenemus enim, a quibusnam cum quotidianæ vitæ artes primum edocti ſumus , tum vero a quibus armorum ad tutandos fines uſum accepimus . Sic itaque orti , atque educati horum majores rempublicam inſtituerunt, de qua breviter me dicere operæ pretium eſt .

Eſt enim Reſpublica hominum educatio ; bona quidem bonorum , contraria improborum . Quapropter neceſſe eſt , ut oſtendamus , bona in rep. majores noſtros eſſe educatos , eoque cum ipſos horum mortuorum parentes , tum hos , qui nunc ſunt , probos eſſe . Nam & olim remp. optimates tenebant , & iidem nunc obtinent , uſique ſumus magna parte eodem propemodum civitatis ſtatu ; ſed eum alii , quaſi populus rerum potiretur , ita nominarunt ; alii , ut cuique libitum eſt . Revera ea eſt reip. noſtræ forma , ut optimates , bene apud multitudinem audientes , principes ſint civitatis . Sunt enim apud nos ſemper Reges , iique partim certo quodam e genere , ac ſtirpe , partim vero ſuffragiis fiunt ; ſed omnis reſp. propemodum in multitudinis poteſtate eſt , & magiſtratus , poteſtatemque omnem optimo deinceps cuique mandat : neque quiſquam propter inopiam , paupertatemve , aut generis obſcuritatem repellitur , neque propter ea , quæ iis contraria ſunt , ullo in honore habetur , quemadmodum evenire aliis in civitatibus ſolet ; ſed una , eademque ratio eſt , qui prudens , qui bonus viſus ſit , ille plurimum poteſt , ille imperat . Ac nobis reip. ad hunc modum conſtitutæ cauſſa eſt par , atque eadem no-

ſtrum

ſtrum omnium origo. Aliæ enim civitates ex vario, atque inæquali hominum genere conſtant, itaque ipſæ quoque reſp. minime æquales ſunt; atque aut tyrannis exſiſtit, aut paucorum dominatus fit, atque ita in civitate degunt, ut habere alii ſe ſe ſervos cenſeant, alii viciſſim dominos. Nos vero ab una, eademque matre procreati germani fratres, neque ſervire æquum cenſemus, neque dominari, naturaliſque originis æquabilitas, juris quoque æquabilitatem quærere nos cogit; atque nullam aliam ob rem alii aliis inter nos ſuccumbimus, quam propter virtutis, aut prudentiæ opinionem. Præclaro igitur ortu, ſummaque in libertate educati horum majores, iique adeo ipſi, multa, eaque illuſtria, cum publice, tum privatim facinora ediderunt, cum exiſtimarent, pro libertate oportere Græcos cum Græcis pugnare, & cum Barbaris pro univerſa Græcia.

Eumolpo igitur, atque Amazonibus in noſtros fines exercitum ducentibus, aliiſque etiam ante ex tempore quemadmodum reſtiterint, quoque modo Argæis adverſus Cadmæos ſuppetias tulerint, & Heraclidis contra Argæos, pro rerum magnitudine, cum tempus breve eſt ad narrandum, tum vero Poetarum voce, & cantu horum virtus memoriæ prodita eſt, atque apud omnes gentes celebratur.....

FRAGMENTUM

ORATIONIS FUNEBRIS.

CUM in communi hoc, publicoque civitatis mœrore, ac luctu, qui, fortiſſimorum hominum chriſtianæ claſſis militum cæde nuntiata, omnium mentes, atque animos bonorum per hoſce dies perculſos invaſerat, eam ipſe mecum calamitatem reputans, tacitus cogitarem; angebar equidem animo, acerbiſſimoque doloris ſenſu afficiebar, tam infeliciter ejus belli initia cecidiſſe, quod unum, his annis centum, ſummo reip. conſenſu, pium, neceſſariumque ſuſceptum eſſet. Sed idem tamen intelligebam, neque ad ſummam quidem belli magnum id detrimentum reip. eſſe illatum, cum conſtaret, id ipſum, quod eſſet in ea re damni factum, tanta militum voluntate, ac robore brevi fore, ut ſarciretur: tum vero jam fortiſſimorum virorum pulcherrimum hoc, ac præclariſſimum factum, qui cum communiter omnes in nos tela intenderentur, atque adeo jam immiſſa, jugulo prope, ac præcordiis noſtris imminerent, non modo ea ipſi ſeparatim exceperunt, ſed etiam ultro occurrerunt, & patriæ vulne-

ra

ra ſuo ipſi ſanguine, ac ſpiritu depulerunt, ſæpe contemplans cum admirarer; ægre ſane ferebam, turpeque omnino eſſe arbitrabar, tam præclarum, tam illuſtre, tam reipublicæ ſalutare civium facinus, perinde quaſi ne animadverſum quidem ab ullo eſſet, ſilentio præteriri. Nec vero ignarus eram pulcherrimæ illius Athenienſium conſuetudinis, quam prudentiſſima civitas, e qua Senatus, Populuſque ipſe Romanus leges olim mutuatus didicerit, ſervavit quamdiutiſſime: ſuos enim cives, quicunque in præliis pro re pugnantes publica fortiter cecidiſſent, cum publico funere, ac ſepultura honorabant; tum vero, qui eorum laudes ad ſepulcra ſingulis annis memoraret, publice conſtituebant eum quidem potiſſimum, qui ingenio, atque eloquentia in civitate excelleret plurimum; ut eorum beneficium non modo ſingulorum civium memori animo includeretur, ſed etiam publica auctoritate, tanquam loquentis civitatis voce, ac præconio teſtatum eſſet; neque vero laudes unius ætatis ſpatio terminarentur: pius vero mos, nec tantum gratus, ſed etiam prudens, vereque dignus, qui coleretur Athenis. Primum enim ad propinquorum mitigandum dolorem, deſideriumque leniendum honos hic illis mortuis habitus dulcis, jucunduſque in primis; cum exaudiret unuſquiſque ſuis aut parentibus, aut liberis, aut propinquis, neceſſariiſque ipſam ſua pene voce, atque ore rempublicam gratias agentem, omniaque ſe illis ſumma debere non fatentem modo, ſed libentiſſime etiam, atque honorificentiſſime prædicantem. Deinde quales, quantaſque vires ad ejus, quæ ſuperſtes eſſet, juventutis ſtudia, virtutemque excitandam, augendam, inflammandam, habuiſſe exiſtimamus laudationem illam, tanta in celebritate, tantaque in frequentia, quantam ex univerſa Græcia Athenas per eos dies, audiendi ſtudio, confluere ſolitam eſſe accepimus? Nam non modo quaſi fructus virtutis eſt gloria, ſed etiam tanquam fibra, ſemenque, quo gigni, quoque niti ea, & augeſcere conſueverit: neque vero veluti ſplendorem ſolum, & lumen laus diffundit, & prædicatio, ſed quaſi ſcintillam etiam, ignemque admovet, unde conflari, incendique virtus ſoleat. At noſtris civibus, qui crudeliſſimo, atque immaniſſimo hoſti Italiæ ſigna inferenti, ſuis corporibus aditum obſtruere voluerunt, cum privatim quidem nemo fere tam durus, ac ferreus fuerit, qui non eos, ſi non lacrymis, & fletu, at dolore ſaltem, & deſiderio proſequeretur, publice honos nullus eſt habitus. Quid igitur ne, ſi horum quidem beneficio ſuam hoc Imperium majeſtatem obtinet: ne, ſi Italia libertatem retinet: ne, ſi nos dignitatem: ne, ſi cives liberos ſuos, rem patriam ſalvam, atque incolumem habeamus, vox mittetur ulla? Sed pa-

patietur ingrata, immemor, inhumana civitas, ita de ſe meritorum civium ſilentio nomen obſcurari, & memoriam emori? Atque eorum, qui pro unis Athenis occubuerunt, virtus, & gloria, & fama, ne tot quidem ſeculis poſt, mortua eſt: Thucydidis enim, Platonis, Demoſthenis denique ingenio, & ſpiritu vivit, & clariſſima ſummorum artificum voce, numeriſque concinitur: noſtrorum vero Civium, qui pro univerſæ Italiæ ſalute ceciderunt, laus una cum corporibus occidet? Novi ego exercitus noſtri animos, novi ſpiritus: nullæ, mihi credite, gentes, nullæ nationes, æque unquam ac noſtræ, laudis exarſerunt amore, & gloriæ ſtudio conflagraverunt. Sed id ego exemplum cum renovare cuperem, illud mihi occurrebat incommodum, planeque iniquum: vereor enim, ne quorum fortitudinis munera, atque opera tam exſtent firma, ac illuſtria, eorum imbecillis unius in hominis, & obſcuri voce, atque oratione laudem agi, & gloriam periclitari, injuſtum pleriſque videatur. Veruntamen noſtrum id vitium facile veſtra emendabit prudentia: ſiqua enim inciderint, quæ minus a nobis ornate, minusque ſplendide, ac magnifice dici vobis videbuntur, quæ jam hinc quam multa futura ſint animo proſpicio, quantum propterea ea in re de mea laude, atque ingenii fama detraxeritis, tantundem illorum virtuti, atque exiſtimationi tacitos vos cogitatione veſtra addere, ac reponere æquum erit. Quanam igitur ratione potiſſimum viris fortibus, qui maximo quaſi cum lucro ſuam ipſi vitam communi cum ſalute commutarent, ſic alacres, lætique occubuerunt, meritum hodierna die laudis præconium tribuemus? Nempe ab illorum genere, ac nobilitate, quemadmodum rerum ordo, naturaque poſtulat, principium ſi a nobis ducatur, commodiſſime, niſi fallor, agemus. Ab horum igitur nobilitate, ac genere principium mihi ducendum videtur, ut quod illis virtutis exordium fuerit, idem nos orationis capiamus initium.

Primum igitur communis hæc horum omnium mihi ſe ſe parens offert, eademque altrix Italia, quæ cum ſpeciem mihi ſuam, omnium quaſcunque Orbis terrarum regiones continet pulcherrimam, amœniſſimamque aperit, tum frugibus, & vario fructuum genere feta ſummam quandam rerum omnium ubertatem oſtentat, & copiam. Eadem puro, temperatoque cœlo circumfuſa, optimo tanquam habitu valens, ſalubriſque nitet, ac floret, facile ipſa ut ex forma, ac figura, id, quod eſt, omnino appareat, terram hanc non modo nutriendis, atque educandis, ſed etiam pariendis hominibus præcipue a Deo conſtitutam eſſe, ac deſignatam. Itaque nulla unquam regio hominum eſt feracior, atque fertilior. Et quoniam non ubertas ſolum,

lum, fecunditaſque agrorum vim, ac naturam indicat, ſed earum in primis rerum, quas ferunt, ſuus ſapor, ſuccuſque, & natura minime contaminata, incorruptaque, & integra; neque illud laudatur ſolum, e quo vel ſumma in abundantia ortæ fruges, a ſeminibus tamen tanquam degenerarunt, hac quoque in laude præſtat, atque excellit Italia: ſunt enim noſtra ingenia pura, ſincera, integra, planeque humana; nihil eſt immanitatis, nihil feritatis, nihil barbariæ admiſtum. Itaque ea ineſt in moribus noſtris dulcedo, & ſuavitas, & manſuetudo, eaque eſt noſtri cultus, atque elegantiæ, diſciplinæque apud exteras nationes opinio, & fama, ut illi apud ſuos probentur maxime, qui apud nos commorati ſint diutiſſime: quemadmodum enim res eſt, ſic exiſtimant, ſiquid eorum in moribus pingue forte ſit, aut aſperum, atque atrox, id conſuetudinis noſtræ ſuavitate, & temperatione expurgari, expolirique, & leniri. Itaque tanquam ex humanitatis gymnaſio, ſic ex Italia, quaſi degenerantis animi depravatione ſublata, humanamque edocti naturam, noſtra manſuetudine, ac venuſtate imbuti, mutati ſane ad ſuos redeunt: etenim eſt omnino ſermo, non ut aliarum gentium, noſter aſper, atque inconditus, ſed dulcis, aptuſque, ut & ad familiares amicorum congreſſus, ſermoneſque, verba lecta ſuppeditent, & dulcia; neque jam ad ſcribendum, vel de graviſſimis quibuſque rebus, ornamenta deficiant; tum vero animus tractabilis, & clementiæ, manſuetudinis, humanitatis plenus. Itaque cum ad cæteras regiones, obeundi negotii cauſſa, neceſſitate coacti, homines accedant, in Italiam voluptatis, atque animi cauſſa peregrinantur. Quæ eſt enim tellus peregrinorum amantior, quod omnium gentium tam fidele, tam liberale, tam jucundum eſt hoſpitium, quam Italia? Tum vero ingenia noſtrorum non modo magna ſunt, atque acria, & peracuta; verum etiam, quod reliquis in nationibus deſiderari interdum ſolet, veluti decora, aptaque, & concinna. Quid eſt enim, quod ingenii facultate aliqua aut excogitari, aut excoli, exornarique poſſit, in quo noſtri homines non principes, & tanquam exſtiterint architecti? Mitto enim artium minus liberalium magiſtros, quorum eſt ingenio, atque artificio ſic Italia omnis exornata, & colluſtrata, ut exterarum nationum oppida ſiquis cum noſtris conferat, non ea oppida, ſed agreſtium, montanorumque pagos dicturus ſit. Sed ut hos, quandoquidem alio properat orationis meæ curſus, miſſos faciam, quid literarum, atque humanitatis ſtudia, liberaliumque omnium artium, ac diſciplinarum cultus? Nonne apud nos ſemper viguit plurimum? Quid eſt autem homine dignius, quam literæ? quarum quidem fru-

ctus, ac jucunditatis ſiqui ſunt, quibus non contigerit, ut partem aliquam guſtarent, atque perciperent, ii non carere ſe ſe ornamento, aut delectatione tantum aliqua exiſtimare debent, ſed neceſſaria etiam re quadam, atque inſtrumento virtutis uno omnium maxime opportuno. Nulla eſt autem natio noſtra eruditior, ſive graviora illa philoſophiæ ſtudia expetimus, ſive hanc, quæ cum maxime neceſſaria ſit, ſummam etiam habet oblectationem, eloquentiam requirimus. Ac eos quidem, qui unis e noſtris plures, quam e reliquis omnino omnibus nationibus in philoſophia cum floruerint, Italiæ nomen ſapientiæ, ingenii, literarum gloria illuſtrarunt, ſane commemorarem, niſi hoc ipſo in conventu, atque adeo in iſta veſtra poſt hominum memoriam ornatiſſima, clariſſimaque corona adeſſent ii, qui hoc in genere ſuo ſplendore reliquorum omnium laudibus offecerunt, & gloriæ luminibus obſtruxerunt, qui & veterem ejus artis rationem jam conturbatam, & prope ſubverſam emendaverunt, ac reſtituerunt, & ad Græcorum antiquiſſimam diſciplinam aberrantes alias nationes revocaverunt. Jam vero eloquentiæ hæc tellus ſemper habita eſt domicilium, vel germana potius patria. Sed vetera me oratione mea perſequi nihil attinet, cum & tam multa ſint, quæ commemorem recentia, ac prope quotidiana, & illa ſcilicet nota ſint, atque illuſtria. Tanto igitur hanc quidem artem coluimus ſtudio, itaque noſtris ingeniis, tanquam liquidiſſimis e fontibus irrigavimus, ut nihil omnino poſſit eſſe floridius, nihil fertilius, nihil uberius, aut fructuoſius. Poetarum vero gloria, quos quidem, ſi non ſanctos ſummo in honore habuiſſet antiquitas, nunquam Muſas Jove natas, quem Deorum principem, atque adeo parentem arbitraretur, credidiſſet, quanta apud nos ſemper eluxit! Quo quidem in genere noſtrorum ingenia admirari equidem ſatis nequeo: cum enim olim Barbarorum omnium tanquam alluvio, fato quodam, in Italiam redundaſſet, qua oppreſſa pene mergeretur, cumque omnium bonarum artium diſciplinæ, magiſtris aut cæſis, aut pulſis, jacerent in tenebris, teterrimaque in colluvione verſarentur omnia, atque in primis latinæ veteres illæ penitus obmutuiſſent literæ, ac nova rerum prope eſſent cudenda vocabula; eo uſque multum natura valuit, eoque uſque pervicit omnia, ut tot, tantiſque in anguſtiis, novum hoc tamen pepererit carminum genus hetruſcorum, quo nihil, niſi me mea fortaſſe patriæ caritas, amorque fallit, humanis auribus accidere poſſit ſuavius, aut modulatius. Ac italica quidem poeſis, non ut Græcorum demum ingraveſcens, bonos, nobileſque auctores habuit, ſed ipſis prope in cunabulis, ac pene exoriens, cum perfecto-

rum

rum poetarum numerum protulit, atque aluit, ut ab Helicone, Parnaſſoque in Arni mei floridiſſimas ripas, colleſque thuſcos migrare Muſæ crederentur. Magna omnino laus eſt, atque haud ſcio, an maxima, ingenii, mentiſque robore, ac viribus, ideſt, ſi verum quærimus, propria hominis natura reliquas omnes gentes, nationeſque ſuperare, præſertim, id quod enixe ab illis fieri videmus, reluctantes, ac repugnantes. Atqui hæc quidem cogitationis ſunt, atque otii, & tanquam quietis, & umbræ. Jam illa, quæ negotii, atque actionis ſunt, in quibus prudentia elucet, & vires exercet ſuas, quæque in labore, & periculis, ac ſole verſantur, percenſere modo ſi velim, multorum mihi dierum, ac noctium ſpatium ſumam, oporteat: tum vetera quidem non modo ex hiſtoriis tenemus omnes, ſed etiam ex poetarum fabulis plerique admiramur: recentiora vero perſequi ſi voluiſſem, veritus ſum, ne cui, quod propriæ militum noſtrorum virtutes ad legitimam mihi laudationem non ſatis ſuppeterent, eo tam multa de communi laude mutuatus eſſe viderer. Quamquam induſtriæ quidem, ac prudentiæ ea ſunt, non dico veſtigia, aut ſigna, aut indicia, ſed munera, atque opera, & lumina; ut non modo ad ea patefacienda, atque illuſtranda nihil cujuſquam oratione opus ſit, ſed ne occultari quidem, aut obumbrari ullo nec ſilentio, nec oblivione poſſint. Tam multæ enim urbes munitiſſimæ, pulcherrimæ, ornatiſſimæ; tot bene moratæ, opulentiſſimæ, beatiſſimæ civitates, nobiliſſimorum civium, opum, copiarumque omnium plenæ, ac refertæ, neque initio conſtitui infinita quadam ſine induſtria potuerunt, neque ſine ſingulari, divinaque providentia inſtitui, regique poſſunt; qui quidem, quamquam veræ, ac juſtæ, minimumque immutatæ humanitatis ſunt fructus; tamen equidem Italiæ cum haſce, tum vero reliquas laudes, quaſi infinitum quendam theſaurum, cum dinumerari ad unam poſſe diffiderem, faciendum mihi eſſe duxi, eas ut vobis dimetirer, idque ipſum grandi quadam menſura, ne longius ſcilicet fiat, vel potius ut ſit modus, finiſque. Itaque non mea mihi præclariſſima patria nominatur; non ea, quæ mihi conjunctiſſima eſt, quæ me excepit, aluit, erudiit, Bononia excitatur; non hæc urbs commemoratur, non Venetiæ appéllantur, quam quidem urbem ſi conſpicata modo eſſet antiquitas, quibus, Dii boni, eam laudibus extuliſſet! quibus eſſet clamoribus, atque admiratione proſequuta! Neque enim opinor in ea prædicanda, monumentiſque literarum prodenda, & mandanda, ad quotidianum hominum ſenſum, conſuetudinemque dicendi reſpicere contenta eſſet; ſed Deum credo aliquem ex profundi cavitate, ac latebris excitaſſet, eumque

Digitized by Google

divina illa tecta ſtruentem, ac fabricantem feciſſet; qui tametſi nullus ſcilicet unquam fuit, tamen ſi ſit, aut eſſe ſi poſſit, nullum illi omnino attribui munus illa urbe præclarius potuit. Verum nos ſuam veteribus vel vanitatem, vel jactationem concedamus, chriſtianam ipſi modeſtiam, ac veritatem retineamus: præſertim cum ea, quæ vere dici, & commemorari illa de urbe poſſunt, plus etiam in ſe admirationis habeant, quam illæ ipſæ commentitiæ veterum fabulæ. Quid enim poſſit eſſe admirabilius, quam mediis prope in fluctibus tanta urbs excitata, atque exſtructa? cujus quidem opifex, atque ædificator urbis, aud equidem poſſum dicere, cum in eam cogitationem animum penitus intendo, quonam potiſſimum artificio, novo certe, ac divino, arenas, undaſque maris, res duas maxime infirmas, atque inſtabiles, ſtabilire, & confirmare aggreſſus ſit. Quid porro tam novum, atque inauditum, quam cum natura comparatum eſſet, omnes ut animantes, aut terreni ſimus, aut aquatiles, atque homini certe terra attributa ſit, repertos eſſe, qui quaſi ancipites in utraque ſede vivere inſtituerint, atque didicerint? Atque hæc quidem tum vere a me dicuntur, tum etiam libentiſſime prædicantur: multa enim habet illa urbs, quæ delectare me debeant. Primum bene morata ipſa civitas, prudentiſſimeque inſtituta reſp. quæ ex quo die primum convenit, & conſtituta eſt, ad hoc uſque tempus ſuam obtinuerit majeſtatem, neque alieno unquam paruerit imperio, id quod unis Lacedæmoniis contigiſſe memoriæ proditum eſt, qui ſe ſe etiam eo nomine jactarent, atque Atyranneutos appellarent, præterea nemini. Itaque vetuſtiores quidem fortaſſe urbes commemorare poſſumus, ſtatum vero reip. diuturniorem non poſſumus. Quod ſiqui ad extremam uſque ſenectutem ſine febri, atque morbo pervenerunt, rectiſſima quadam ratione, ſummaque continentia vitam, victumque inſtitutum habuiſſe putantur; quanto civitas magis ſuſpicienda, atque in cœlum eſt laudibus extollenda, quæ ſine ullo ſeditioſo civium motu, tranquillitate quadam perpetua, quaſi bona valetudine, cum frueretur, non illa quidem conſenuit, ſed reliquas omnes civitates diuturnitate facile ſuperavit? Quanti autem illud faciendum eſt, quod bonas nobis illa civitas artes alere, atque educare nunquam intermittit? Quod tam eſt doctorum hominum, ſummorumque ingeniorum ferax, & fertilis? Quod Hermolaum illum Barbarum, quod Naugerium, quod Bembum, quod alios prope innumerabiles, quod te, Contarene, nobis edidit, atque procreavit? Tua enim me virtus ſecus omnino, atque inſtitueram, agere cogit, qui cum pudoris tui non ignarus, faciendum mihi eſſe duxiſſem, uti nihil de te, cum ipſe adeſ-

adeſſes, dicerem, contineri nequeo. Elicit enim invito vocem, atque exprimit ſumma quædam admirationis vis laudum, virtutumque tuarum. Veruntamen jam me comprimo, jam pudori tuo morem gero, præſertim cum, te modo appellando, Italiæ laudibus vel uberrime ſatisfactum putem: neque enim vereor, ne hoc ſolum inlaudatum prætermiſiſſe arguar, e quo te modo ortum, & procreatum commemorarim. Quid quod eam urbem Italiæ propugnaculum, arcemque ſemper habuit munitiſſimam? Mitto enim exercitus ſæpe maximos, atque fortiſſimos, ſemper certe paratos, atque inſtructos, claſſem quidem tantam, tamque ornatam, atque eum triremium numerum, quem ne univerſa quidem Chriſtianorum, ut ita dicam, natio omnis ſi conveniat, vireſque ſuas, conatuſque omnes in unum ſi conferat, ædificare, atque inſtruere poſſit, quantas una illa urbs paratas habet, ſemperque habuit. Quo quidem, præclariſſima civitas, præſidio non ab hac terra modo cædem, depopulationem, vaſtitatem, perniciem, exciſionem, flammam depuliſti; verum etiam ex ore, ac faucibus, cruentiſque adeo e viſceribus impotentiſſimi, atque immaniſſimi hoſtis Illyricum, Corcyram, Cyprum, Cretam eripuiſti, & conſervaſti. Sed illa quidem vetera: hoc autem novum, ac recens, quale, quantumque tuum exſtitit univerſam in rempublicam beneficium? Quod non communi hominum conſuetudine præſentem amplexa quietem, pacem, tranquillitatem, otium adamaſti, cumque poſſes, diutiſſime retinere ſtatuiſti; ſed priſtina tua virtute uſa, commune ad incendium, cum privatim quidem nulla ad te ejus flammæ ſcintilla deferretur, tanto tuo periculo accurriſti, ut id, niſi brevi reſtingueretur, te ipſam omnium primam arſuram, & conflagraturam eſſe certo ſcires. Sed jam revocandus eſt orationis meæ curſus, atque in eam viam, de qua paullum, Venetiarum cauſſa, deflexiMus, convertendus; tametſi minime fuit iniquum aliquam hujus laboris noſtri, quantuſcunque tandem eſt, ſeorſum nominatim partem ei civitati attribui, quæ graviſſimi, ac periculoſiſſimi belli maximam ipſa ſibi privatim partem depopoſcerit, ſuſceperit, pertulerit. Sed ut in viam redeamus, atque illud, quod initio vere a me dictum eſt, confirmemus, ac repetamus; maxime præclaram, atque illuſtrem originis ſuæ ſtirpem habet exercitus noſter, qui in hoc ſolo ortus ſit, ac procreatus; cujus quidem proprium ſit, ut veram, planeque germanam hominum frugem efferat, quodque humanitate, non adventitia, ſed innata utatur. Quod quidem terræ, ac ſtirpis naturale bonum, roburque Italiæ pubes lectiſſima cum retineret, atque adeo voluntate, ac ſtudio auxiſſet, atque exercitatione, & uſu excoluiſſet, pleriſque mor-

mortalibus inſitam vitæ cupiditatem ſic exanimavit, convulſit, atque excidit, ut ſumma alacritate, ſummoque ardore patriæ dignitatem ſua cum pernicie commutarit. Quamquam privatim quoque militum noſtrorum nobilitas habet auctores claros, atque illuſtres, quorum cum virtutem viri fortes, natura inſitam, animo conceptam, ſtudio, ac voluntate propoſitam ſemper habuiſſent, aſſidua vero recordatione prope præſentem intuerentur, facta etiam ſunt imitati. Neque enim familiæ, Triulti, veſtræ res maximas geſtas obliviſci, nec vero, cum recordarentur, ſummam præſtare virtutem non potuerunt, niſi qui ſe ſe indignos confiterentur, qui e tam generoſa ſtirpe profecti eſſent: multos enim habet veſtra domus, quos non modo viros fortes, hominesque præclariſſimos fuiſſe merito contendere poſſit; verum etiam duces optimos, prudentiſſimoſque, quibus ſcilicet reges maximi florentiſſimas, integerrimaſque res ſuas, ſeque adeo ipſos, fortunaſque omnes, regna, opes, copias commiſerint, & commendarint. Sfortiæ vero, cum memoria tenerent eam fuiſſe in majoribus ſuis dignitatem, idque animi robur, ut non exercitibus ſolum præeſſent, ſed civitatibus etiam dominarentur, veterem virtutem generis, atque ſeminis renovarunt. Eadem prope mihi, Rodulphe Pie, vetuſtiſſimæ, clariſſimæque familiæ veſtræ de virtute ſingulari, totidem prope verbis repetenda ſunt: veſtra enim domus cum ita ſe ſe literis, optimarumque artium ſtudiis dedidiſſet, cumque omnes liberales, atque homine nobili dignas doctrinas ita perceptas haberet, & cognitas, ut a vobis nulla rerum gerendarum facultas, nulla imperatoria laus exſpectari deberet, eam tamen ad res gerendas, bellaque adminiſtranda prudentiam, eumque attuliſtis uſum, id unum ut cogitaſſe in omni vita, atque origine videremini. Quid ego Caraphas viros fortes, hominesque nobiliſſimos commemorem? Quid veſtram, Sanſeverine, gentem collaudare coner, quæ, ut reliqui ſileantur, qualem egregium hunc adoleſcentem aluit? qui cum proximis annis extinctus eſt, maximum Italiæ non decorem modo, ſed etiam præſidium deſideravimus. Tuam vero, Gonzage, familiam, Italiæ ſolem, obſtupefacti admirari tantum poſſumus; ad eam laudandam accedere non audemus. Sed omnino feracior eſt virorum fortium, atque illuſtrium hæc terra, quam ut nominatim a nobis, aut etiam minutatim cenſeri poſſint . . . . . .

Reliquum, cum ſuperioris Dialogi, tum hujuſce Orationis, ſumma diligentia quæſitum, inveniri non potuit.

Digitized by Google

JOANNIS CASÆ
EPISTOLÆ,
AC
DIPLOMATA
QUÆDAM PONTIFICIA

PAULLI PAPÆ IV. nomine ad Herculem Eſtenſem Ferrariæ Ducem conſcripta.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS CASÆ
EPISTOLÆ.

AD ILLUSTRISS. AC SAPIENTISS. VENETIARUM PRINCIPEM
FRANCISCUM
DONATUM
IN HISTORIAS PETRI BEMBI.

MULTÆ ſunt artes, Illuſtriſſime Princeps; quod tu minime ignoras, cum ad vitam ſuſtentandam inventæ, tum ad cultum, aut etiam ad jucunditatem, voluptatemque ab hominibus excogitatæ; quarum in ſingulis qui excellenti quadam ſcientia aliquando præter cæteros præſtiterunt, magno apud omnes gentes in honore habiti ſunt: nec vero injuria id quidem: nihil eſt enim præſtantius, nihil omnino homini laudabilius, quam de hominum genere bene, quoquo modo poſſis, mereri; eamque cognationem, quam a natura habeamus, noſtra quoque opera, hoc eſt dandis beneficiis, arctius etiam

Digitized by Google

aſtringere. Quod ſi harum commoditatum, utilitatumque effectoribus tantus honos habendus eſt ſingulis; quibusnam tandem aut literarum, aut operum monumentis ejus gloriam digne illuſtrabimus, ſicujus ars, ac diſciplina tanta ſit, ut univerſa illa contineat, ac complectatur? Aut ſiquis harum omnium artium moderator, & tanquam architectus, quatenus quamque quoque modo progredi deceat, indicet, atque præſcribat? Eſt enim difficilis illa quidem, & ardua in præclaris nonnullorum hominum ingeniis, cæterarum omnium princeps, ac magiſtra, minime tibi quidem incognita, facultas quædam, quæ civitatum procurationem ſibi vindicet, & reip. regendæ muneri præpoſita ſit: atque eam artem civilem rationem, eandemque prudentiam licet appellare; cujus quidem diſciplinæ qui compotes ſunt, non una modo, aut altera re ſeparatim hominibus commodare, ac prodeſſe, ſed univerſam eorum gubernationem ſuſcipere volunt: nec illud efficere ſolum conantur, illi privatim ut libere, ut tuto, ut jucunde, ſed ut bene etiam, beateque publice vivant. Quamobrem tanti, ac tam præclari operis artifiecs non, ut reliquarum artium magiſtri, laudibus ſolum extollendi ſunt, ſed etiam, ſi modo dictu fas eſt, in Deorum immortalium numero, quibuſcum humanarum rerum procurationem propemodum communem habeant, venerandi, atque colendi; atque horum artificum veſtro in senatu maxima omnino facultas eſt, ſemperque fuit: id quod res ipſa declarat: nec enim tanta, tamque opulenta, ac beata civitas vel conſtitui initio potuit, vel deinceps tantopere augeri, & creſcere, nec vero uno, eodemque ſtatu, & tanquam habitu tot ſecula, id quod nullis gentibus, ut totius vetuſtatis memoriam quam longiſſime repetamus, uſu evenit, manere, ſine eximia quadam prudentia, ſineque admirabili, ac divino cum patrum veſtrorum, tum veſtro, qui nunc eam talem, tantamque tuemini, ac regitis, conſilio. Ac video equidem pluribus, quam vos, gentibus aliquot annos dominatam olim eſſe civitatem unam, aut alteram; veruntamen (libere enim dicam, quod ſentio) imperium bello partum ſæpe feritatem, ſæpe violentiam, atque injuſtitiam, fortunæ quidem certe temeritatem ſemper habet: at bene domi conſtituta res, ſineque ullo civitatis motu tot ſeculorum diuturnitate firmata, una, eademque reip. ratio moderata, & concors, ea vero tota virtutis eſt, ac prudentiæ. Itaque in bello illæ, atque inter arma cum ſtetiſſent, in pace, atque in otio conciderunt; quippe quæ non ratione, ſed viribus nixæ erant: nec enim quietis, hoc eſt parendi viciſſim, atque imperandi, artes didicerant; vos pacis, id eſt juris, atque æquitatis ſtudia, quæ vincu-

la

la ſunt civitatis, cum domi coleretis, nihilominus foris belli gloria floruiſtis. Etenim cum civilis illa, quæ modo a me appellata ratio eſt, duabus continetur partibus, bellicarum, atque urbanarum rerum ſcientia, & tractatione: illi, cum bellicam laudem nimio adamaſſent opere, alteram reip. partem incultam propemodum reliquerunt; vos utramque quidem, ſed præcipuam, ut par fuit, maxime adepti, complexique eſtis. Ergo ex omni Italia, tanquam e turbulento, ac formidoloſo mari aliquo, tanta hominum vis ad vos confluit, veſtramque in urbem ſe ſe, quaſi in portum, refert, vix ut jam capere tantam multitudinem ſuis illa tectis poſſit; qui cum e ſuis civitatibus in veſtram migrant, protectiores ab injuriis fore domi ſe ſe veſtræ advenas, quam ſuæ cives, certe confidunt. Maxima igitur laus veſtræ reipublicæ, vobiſque magnis, clariſque in ea civibus debetur, quæ in eo munere, quod de humanis omnino muneribus longe præſtantiſſimum ſit, una excellat plurimum: præſtant enim alii aliis virtutibus populi, vobis autem id unum proprium, perenneque eſt, rem tueri publicam, hoc eſt humanum genus animi ratione, non felicitate aliqua, quæ caſum habeat neceſſe eſt, & varietatem fortunæ propriam, conſervare: hæc enim & ſtabilis ipſa eſt, & diuturnitatem, atque adeo, quoad res humanæ ferre poſſunt, perpetuitatem, quod veſtra eſt reſp. conſecuta, parere conſuevit. Fortunati igitur cives tui. Te vero equidem ſemper beatum, ſemper gloriatione dignum exiſtimavi, cum propter multas, magnaſque virtutes tuas, animi magnitudinem, continentiam, ſuaviſſimos, eoſdemque caſtitatis, religionis, pietatis pleniſſimos mores, dulcem illam tuam, uberemque dicendi copiam, tum vero propter divinam iſtam animi tranquillitatem, atque æquitatem. Cum enim tot annos in hac poſt hominum memoriam clariſſima rep. ſumma cum gloria verſatus ſis, cumque dignitatis præſtantia quamplurimis ſemper anteieris, communis juris æquabilitatem tranſiſti nunquam, ac ne cogitaſti quidem: quin etiam (memini enim me de hoc ipſo Bembo ſæpe audire) cum tua te virtus multos jam abhinc annos ad ſummam amplitudinem perduceret, tuaque præclariſſima patria ad iſtum honoris gradum, quem unum altiſſimum habet, ipſa te tollere cuperet, atque adniteretur, deque tua gloria ſollicita eſſet, liberaſti tu eam omni cura; atque aliis quibuſdam, in iſtum locum magna quadam properatione feſtinantibus, cum antevertere poſſes, ultro ceſſiſti. Magnifica vero laus honorem, tantum præſertim, cujus cupiditate cæteri inflammentur, tam modice concupiſcere; ſed eadem tamen ipſa reſp. ſimul ac data facultas eſt, jamdudum tibi debitam, tibique reſervatam dignitatem

Digitized by Google

iſtam ad te ſcilicet eundem cupidiſſime detulit : neque tamen ; ne ſic quidem , æquabilitatem animi tui tu illam veterem amiſiſti ; atque hoc ipſo in honore maximo gerendo , cum gravitatem , ac dignitatem ſic adhibeas , quaſi reipublicæ , humanitatem , facilitatemque , ut tuam, retines . Ita nec civitatis maximæ , clariſſimæque majeſtas deſideranda eſt , nec optimi , præſtantiſſimique civis humanitas requirenda . Quid , quod duarum maxime inſignium virtutum , integritatis , ac prudentiæ tuæ , duos eſſe certiſſimos teſtes videmus , paupertatem alterius , ſummam alterius tuam apud omnes gratiam , atque auctoritatem ? Quo quidem ex teſtimonio intelligere omnes neceſſe eſt , ita te in rep. adminiſtranda ad octogeſimum uſque annum ætatem contriviſſe , ut publicas res ſic procurares , ut tuas ; ſic autem ab iis manus abſtineres , ut ab alienis : ita factum eſſe , ut , cum tu ſic animum induxiſſes tuum , ut bono civi gratis reip. ſerviendum eſſe ſtatueres ; illa contra egregiæ tuæ erga se voluntatis tibi præmium , quod habuerit præclariſſimum , laudis , & gloriæ tribuere cupierit . Ac mihi quidem in te intuenti verum omnino videri illud ſolet , quod a ſapientibus traditum eſt : ajunt enim , homines ferreis alios , alios æreis, quosdam argenteis animis gigni ; eſſe etiam , paucos illos quidem , ſed tamen nonnullos , quibus aurea animorum natura data eſt , iiſque ſeorſum regendarum civitatum munus a Deo adſignatum ; illos alios, quo ſua quemque aut duritia , aut vilitas impellat , ferri : at vos ex illo aureo genere natura ipſos per vos locupletes , atque honoratos, ad ſalutem civium , populorumque incolumitatem , vitamque omnium quietam , & beatam ortos , nec honores concupiſcere , & divitias contemnere , & generoſarum volucrum ritu cœlum modo ſpectare , ubi vobis civitatum rectoribus , ac conſervatoribus certum locum , ac diffinitum eſſe teneatis . Quæ cum ita ſe ſe habeant , tam præclari hominum maximorum cœtus , atque concilii inſtituta , tam diuturnæ reip. moderationem , tam eximiæ civitatis magiſtratuum deſcriptionem , opes , & copias , tum res veſtras domi , belliquc geſtas , a populis , gentibuſque aliis audiri , manareque ad poſteros , non jam ad veſtram modo gloriam pertinet , ſed etiam ad eandem ipſam , in qua verſamini , atque exercemini , hominum ſalutis curam : habebunt enim exteræ nationes non modo , quod magnopere laudent, quodque admirentur plurimum , ſed etiam quod imitari cupiant , undeque exemplum petere poſſint , qualem eſſe optimam , firmiſſimamque remp. ac ſtatum civitatis maxime diuturnum , maximeque expetendum , oporteat . Quare rerum veſtrarum hiſtoria hæc , quam Petrus Bembus Cardinalis , vir idem clariſſimus , idem ſcriptor unus omnium

Digitized by Google

omnium politiſſimus, ſcripſit, merito & flagitata jampridem a multis eſt, & exſpectata ſemper ab omnibus. Quid enim aut ad delectationem jucundius, aut ad diſciplinam (eſt enim hiſtoria vitæ magiſtra) gravius, conſtantiusve eſſe poſſit, quam civitatis omnium prudentiſſimæ leges, mores, inſtituta, conſilia, magnarum, variarumque rerum caſus, atque eventa, de omnium dulciſſimo, elegantiſſimoque auctore audire, eoque ipſo nec in mendacio gratiam quærente, nec in veritate ſimultatem extimeſcente? Fuit enim Bembi non ſtilus modo purus, & elegans, ſed animus etiam ſincerus inprimis, ac ſimplex; qui cum ſumma jam ſenectute patriæ veſtræ rogatu, vel juſſu potius, res veſtras geſtas ſcribere aggrederetur, neque ad hanc ætatem, memoriamque noſtram pervenire ſe ſe ſcribendo poſſe confideret, ſæpe mecum locutus eſt, & quidem crebro te appellans, cum permoleſte ferret excludi ſe ſe tempore a tuarum laudum, tuique ſimilium commemoratione: qua nos re commoti faciendum nobis eſſe duximus, ut ejus hiſtoriam ad te potiſſimum mitteremus, optimi ſcilicet ſenis, virique clariſſimi, atque hominis diſertiſſimi plenas gravitatis, plenas auctoritatis, plenas dignitatis lucubrationes, ad ſanctiſſimum itidem, e germanoque illo Platonis auro ſenem, in clariſſima poſt homines natos rep. principem, civemque unum omnium facundiſſimum. Accipies igitur tu illam, non a nobis quidem, ſed a Bembo per nos tibi miſſam; patriæque tuæ utrumque gratulabere: eadem enim res maxime ſcriptione, ac memoria dignas ad hiſtoriam ſuppeditavit, eadem graviſſimum, luculentiſſimumque ſuarum rerum geſtarum ſcriptorem, ac teſtem peperit.

JOAN-

JOANNES CASA
RANUTIO FARNESIO
CARDINALI S.

NON eram equidem neſcius, cum jam in locum progreſſam eſſe virtutem tuam, ut ampliſſimo iſto honoris, ac dignitatis præmio diutius carere non poſſet. Cum enim ſuperioribus menſibus, permultos dies ut tecum eſſem, mihi contigiſſet, facile, præſertim id curans, atque attendens, intelligere potui, non modo eximiam quandam, ac prope divinam animi, & ingenii in te indolem elucere, ſed ipſos jam apparere virtutis fructus, eoſque præter ætatem ipſam plenos, atque uberes. Itaque non dubitabam, quin Paullus Pont. Max. qui eo uſque virtuti ſemper favit, ut eam in alienis ultro tam ſæpe hominibus illuſtraverit, paſſurus non eſſet, uti illa in ſuis inornata jaceret. Sed quamquam exploratum tu quidem, meritumque, ac prope debitum, ſummum iſtum honorem aſſequutus es, tamen vel hoc ipſo nomine, quod iſtud honoris inſigne, virtutis præmium citius, quam avi tui, hominis ſanctiſſimi, in te beneficium omnes dixerint, tibi plurimum gratulor, neque cuiquam concedo, (quamquam omnium bonorum flagrare in te ſtudia, & voluntates, certo ſcio) ut plus me voluptatis, ac lætitiæ ex ea re ceperit; id quod ego tametſi pro mea in te, fratremque tuum, virum maxime illuſtrem, Cardinalem Farneſium, clariſſimamque in familiam veſtram obſervantia, mea ipſe ſponte feciſſem, tamen eo etiam non equidem magis, ſed, neſcio quomodo, libentius facio, quod excitarunt me literæ tuæ, quibus nihil excogitari poteſt humanius: invitas enim me non ad gratulandum modo tibi dignitatem tuam, ſed etiam ad eam tecum una fruendam; in quo ego cum ſuaviſſimos tuos mores, maximeque in me propenſam voluntatem tuam agnoſco, tum dupliciter lætor, & quod tantum patrocinium, quantum in tua eſſe auctoritate, & gratia par eſt, promtum mihi, paratumque eſſe intelligo; & quod de tua bonitate, atque humanitate, tanta dignitatis acceſſione, nihil diminutum eſſe perſpicio, tametſi nunquam id quidem aliter fore putavi. Sed ad illud redeo, ut non modo iſtam tibi dignitatem gratuler plurimum, magnopereque gaudeam, ne fortunam quidem honori tuo defuiſſe; ſed multo etiam magis ea re læter, beatumque

Digitized by Google

eſſe te prædicem: ἀγαθὸς γὰρ ἂν ἀνὴρ εὐδαιμονοῖτο. Sic enim eſt profecto: nam, cum fortuna bonis comitatur, vix tum demum laudem habet, & plauſum; improborum autem, aut etiam obſcurorum hominum proſperitatis invidia eſt comes. Quo magis enitendum tibi eſt, omnique cura, ſtudio, labore, induſtria perficiendum, ut hominum ſummam de te exſpectationem, quam prima tua iſthæc ætas, tam vario laudis genere florens, tanquam ver futuram anni ubertatem oſtendere ſolet, ſic excitavit, non modo expleas, ſed etiam ſuperes. Perge igitur, qua cœpiſti, eadem celeritate, & curſu ad virtutem contendere; neque de tuo priſtino labore, aſſiduitate, diligentia, induſtria quicquam remiſeris: brevi enim & obtrectatorum voculas, ſiquæ concitatæ ſunt, comprimes, & Pont. Max. ampliſſimique Collegii veſtri, in te cooptando, judicium non comprobabis ſolum, ſed etiam illuſtrabis; perficieſque, ut nullum eſſe tam novum, tamque exquiſitum honorem, qui in amplificanda dignitate tua extraordinarius videri poſſit, omnes & intelligant, & fateantur. Qua quidem in re, pro eo quanti te facio, ſæpe, multumque de te cogitans, gravem tibi conſtitutam eſſe adverſariam video: eſt enim non ineptiarum modo, ſed vitiorum etiam omnium altrix, & procreatrix aſſentatio: ea igitur animum tuum, qui & natura firmus eſt, & educatione, ac diſciplina corroboratus, quamquam eſt illa quidem temeraria, atque impudens, fortaſſe nonnihil verebitur. Sed eadem tamen, ætate, quæ tua lubrica eſt, ac periculoſa, tum potentia, quæ ſolet eſſe licentior, freta, adoriri te minime dubitabit; quæ cum & fallendi, & impellendi omnes vias noverit, omnium temporum momenta teneat, omniaque ad voluntatem loquatur, omnes autem cupiditates exſuſcitet, eadem iis miniſtret omnia, ſemovenda tibi a te eſt, proculque ab animo, atque auribus tuis ejus præſtigiæ, & quaſi cantiones removendæ. Quod tibi quidem facile factu erit: eſt enim una, ſimplexque cautio: etenim, ſi eos audies, ſi iis aures tuas dederis, quorum monitis, ac præceptis animus tuus excultus, tanquam aſtrum, enitet, ac ſplendet; ſi eos, qui tibi hactenus iter monſtrarunt, duces habebis; nihil errabis, atque ad virtutem, quamquam μακρός τε καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν, quam celerrime pervenies. Verum ſentio, me ab eo, quod his literis propoſitum fuerat, aberraſſe longius; feciſſeque inſolentius, qui te, in eo præſertim, in quo gratulatione magis utendum fuit, cohortari auſus ſim. Sed dabis mihi profecto veniam, tuæ laudis, ac gloriæ ſtudiis incenſo, ſi ſim ardentius fortaſſe elatus, quam tua ſumma dignitas, pudorque meus poſtulaverit.

PE-

PETRUS VICTORIUS
JOANNI CASÆ
ARCHIEP. BENEVENTANO S.

QUI alias quaſdam ad te ſcribendi occaſiones omiſi, ne te, in magnis reipublicæ rebus vehementer occupatum, magis impedirem, diuque mihi ab hoc officii genere temperavi; nunc quum caſus tulerit, ut tecum communicare aliquid debeam de iis, quæ ad ſtudia literarum pertinent, quibus te ſcio valde, atque ex animo delectari, facere non potui, quin ſtatim ad te epiſtolam hanc exararim. Hoc autem ſi aliquis fortaſſe hoc tempore factum reprehendet, atque ineptum putabit, te non omnino (quæ tua eſt humanitas) contemturum confido. Quin contra ſolet potius varietas rerum oblectare, & animum feſſum gravioribus curis, aſſiduiſque cogitationibus hujuſcemodi aliquis ſermo e ſinu Muſarum promtus reficere, atque recreare. Quum igitur hic adoleſcentibus noſtris, qui græcæ linguæ perdiſcendæ ſtudioſi ſunt, Oreſtem fabulam Euripidis interpretarer, veni ad eum locum, ubi Helena perſuaſa ab Electra, filiæ Hermionæ partes illas imponit portandi comam ſuam ea de cauſſa cæſam, cæteraque, quibus moris erat ea ætate mortuos munerari, ad ſepulcrum Clytemneſtræ; ut honorem eum ſorori haberet, ſeque magno dolore affectam eſſe ex acerbo illius interitu ſignificaret. Poſt quæ verba, quum Electra, plena admirationis, exclamet; naturæque vim incredibilem eſſe in utramque partem affirmet, ſive boni aliquid, ſive mali ab initio vitæ illa hominibus dilargitur, ac ſtatim, quod in univerſum protulerat, illi ipſi rei, de qua agebatur, accommodet: dixi, me putare, loqui ipſam de pulchritudine Helenæ, quam tantam fuiſſe oſtendere vult, quemadmodum ſane omnium ſermone illa ferebatur, ut facto hoc, quod unum maxime corrumpere ipſam, ac labefactare potuit, violata nulla ex parte ſit; adjunxique, in eam mentem veniſſe Poetam, eruditum valde, atque ingenioſum virum, magnopere veriſimile eſſe, ut, quum in manibus Helenæ perſonam haberet, induceretque illam feciſſe, quod rationibus ipſius magnopere contrarium erat, depravareque poterat id bonum, quo illa cæteris mulieribus antecellebat, cogitarit, an ipſi contigiſſet, quod aliis minore pulchritudine præditis neceſſario eveniſſet; idque nullo modo fa-

factum eſſe oſtendere voluerit, quod multum valet ad famam pervulgatam de illa confirmandam, conſtantique omnium opinioni de eximia ſpecie corporis ipſius reſpondet; ſimulque commemoravi, non me fallere, græcas declaratiunculas aliter locum capere, & ab hac ſententia diſcrepare, quarum tamen auctoritas apud me nulla foret, quum multis ſignis intelligi poſſit, ipſas alicujus eſſe, vel plurium potius, qui ſuperiore ætate vixerint, quum extinctæ jam ita in Græcia bonæ artes eſſent, ut vix ſcintillæ aliquæ veteris eruditionis in ipſa reſtarent. Nam quod ille putavit, hoc Electram protuliſſe, quia priſtinam, & innatam malitiam in animo Helenæ manere adhuc ex facto illo cognovit; leve admodum, ac nugatorium me illud exiſtimare oſtendi, ad indicandam naturæ ipſius pravitatem, quæ multis, atque inſignibus facinoribus notata erat. Si namque, quod interpres arguit ipſam feciſſe, eo animo, ac conſilio Helena feciſſet, in tenui re illa peccaſſet, nec ſatis juſtam cauſſam exclamandi Electra habuiſſet. Neque enim decet, eam valde mirari, quum uſitatum aliquid, quotidianumque fit; neç vocem eo tempore tollere oportet. Affinis enim tunc Helena illi culpæ fuiſſet, cui omnes mulieres vulgo obnoxiæ ſunt: cunctæ namque formæ ſuæ conſervandæ vehementer ſtudioſæ ſunt; caventque quicquam facere, quod gloriam illam ſuam imminuat. Ut autem hoc infirmum admodum argumentum ejus rei demonſtrandæ fuiſſet; ita, quod ipſe cogitavi, magni momenti eſſe ad id ſignificandum affirmavi: quod etiam inde perſpici poſſet, quia Terentius in Phormione, quum induceret ſervum, admirabilem quandam, ac novam pulchritudinem Virginis cujusdam commemorantem, facit illum his ſignis ipſam declarare: exponit enim eam inventam fuiſſe hujuſcemodi quodam habitu corporis, veſtituque, qui tamen ipſam maculare nullo pacto potuit: Comicus enim hic quoque eadem ratione inſitam a natura, & ingentem fuiſſe pulchritudinem illam ſignificare voluit: inquit igitur apud eum Geta, Virgo pulchra; & quo magis diceres, nihil aderat adjumenti ad pulchritudinem: capillus paſſus, nudus pes, ipſa horrida, lacrumæ, veſtitus turpis; ut ni vis boni in ipſa ineſſet forma, hæc formam extinguerent. Sed quid dico Terentium, ſtudeoque hoc teſtimonio etiam illius comprobare? Qui ſane non omnino eodem argumento utitur, quum vetus ipſius interpres Donatus tradat, Apollodorum, unde fabulam hanc vertit Terentius, feciſſe tonſorem ipſum nuntium, non adoleſcentem, qui forte in tonſtrinam veniſſet; qui tonſor apud eum diceret, ſe nuper puellæ comam ob luctum abſtuliſſe, totumque ſe effunderet, veriſimile eſt, in eam pulchritudinem celebrandam, quam facto illo, maxime inimico pulchritudini, non vidit immutatam. Addit autem

 idem

idem eruditus grammaticus, varietatis hujus rationem reddens, ſe ſcire, hoc Terentium mutaſſe, ne externis moribus ſpectatorem Romanum offenderet. Nam quod videtur huic meæ ſententiæ adverſari in græcis verbis, docui aliter capiendum eſſe, atque interpres ille græcus accepiſſet: intelligo, inquam, quod apud poetam eſt παρ' ἄκρας ὡς ἀπέθριζε τρίχας: valet enim παρ' ἄκρας, prope partem illam capillorum, quæ capiti hæret, tanquam Electra dixerit, ad cutem Helenam comam totondiſſe: quem magnum ornatum muliebris corporis quum penitus, pietati ſerviens, ſibi demſiſſet, non tamen ipſam inde turpem redditam. Nec exiſtimari debere, hoc inſolens eſſe, quod poeta vocarit ſummos capillos partem illam, quæ quaſi radix ipſorum eſt: qui enim tondere cæſariem incipiunt, ad eam partem poſtremo perveniunt; præcipueque in muliebri coma, quæ prolixa eſt valde, atque pendet e vertice, videtur ipſa recte ſumma appellari potuiſſe. Addidi etiam, me arbitrari, ſi poeta diverſa ratione ultimam partem capillorum intelligere voluiſſet, ipſam præpoſitionem παρὰ additurum non fuiſſe: quæ fortaſſe cauſſa fuerit auctori ejus ſcholii, ut erraret, qui hoc non animadvertiſſet, & magis communem, uſitatamque notionem ejus nominis ſecutus eſſet. Cumque moleſtum præterea ſit, quod ſequitur, ἐστὶ δ' ἡ παλαιγενής: qui enim quempiam eundem eſſe ait, qui olim fuerit, & naturam ipſius, moreſque, & formam, effigiemque corporis in eo conſervatam eſſe intelligere poteſt, graviſſimuſque ſcriptor, ac magnæ inter Græcos auctoritatis, contrariam in partem uſurpet hanc vocem: confeſſus ſum, hoc me magis perturbare: Plutarchus enim, ſolitus ſæpe locis illuſtribus Poetarum ſenſus ſuos explicare, in Alcibiadis vita, inſtitutiſque connumerandis, ubi narrat, quomodo ille Lacedæmone vixerit, ac quemadmodum ingenium ſuum ad tempus verſarit, quum oſtendiſſet, quid pronuntiari de ipſo potuerit, ſiquis tantum, quæ extra poſita in eo forent, quæque ille ſimularet, ſpectaſſet; addidit, ſiquis contra mentem adhibuiſſet ad veros ipſius animi motus, factaque, exclamari recte potuiſſe, ἐστὶν ἡ παλαιγενής. Quamvis enim ſumma arte celaſſet ſua vitia, eruperant tamen illa nonnullis in rebus; & idem, qui Athenis fuerat, improbiſſimus ſcilicet, ac flagitioſiſſimus juvenis, illic quoque eſſe Alcibiades intelligebatur. Hujuſcemodi tamen voces antiquorum poetarum, quæ ſermone omnium poſtea celebrabantur, ac vim proverbiorum obtinebant, diſtorqueri ſæpe, ac longe alio ſenſu, quam quo primum editæ forent, pronuntiari ſolitas eſſe, affirmavi; quod multis hujus ipſius auctoris exemplis nullo negotio poſſet comprobari. Id autem huic ipſi loco me arbitrari eveniſſe; nec ſane durum videri debere, a corporis aſpectu ad ani-

mi

mi vim indicandam hoc Plutarchum tranſtuliſſe, ut quod ab auctore de muliere prolatum fuerat, ipſe, iiſdem verbis retentis, manifeſto viro accommodavit: quare me putare poſſe, hanc quoque tanti viri auctoritatem ſuſtineri. Quod vero ſtatim Electra Helenam exſecratur, & in odium Deorum immortalium venire optat, ut principium maximorum malorum & ſibi ipſi, & fratri, & univerſæ Græciæ, videri quoque ſententiam meam adjuvare: ſpecie enim corporis, non pravitate animi Helena tanta exitia paraverat: ſimilemque locum hunc eſſe Homerico illi, quum graviſſimi ſenes, qui Priamo aſſidebant, laudata pulchritudine ejuſdem mulieris, atque in cœlum teſtimonio ſuo ſublata, intelligentes tamen, quanta incommoda ipſa Trojanis hominibus intuliſſet, utile rebus ſuis eſſe dixerunt, ut illa eo, unde venerat, rediret, nec apud ſe diutius, futura ſemper ipſis, filiiſque detrimento, maneret. Hæc mihi tunc, ut alia nonnulla hujuſcemodi occurrerunt, quibus ſententiam meam comprobarem, ut fit, quum ſemel aliquis opinionem aliquam ſuam de aliqua re amare cœpit: tuetur enim eam ſtudioſe, atque omnia undique ad eam confirmandam rapit. Expoſui tamen, me nulla alia re tantopere fretum ita aſſeverare, quantum elegantis illius, ac neceſſarii ſenſus opportunitate: quam φαντασίαν ſi Poeta reliquiſſet, putarem, non ſine cauſſa in hoc loco acumen ingenii ipſius deſiderari potuiſſe. Ecce autem poſtridie quidam ex iis, qui me audiunt, ad me veniunt, & cum tabellis quidem, ut Cicero ait, obſignatis, qui docent, tibi longe aliter de hac re videri; afferuntque epiſtolam quandam tuam verſibus ſcriptam, in qua manifeſto contra me ſtas. Cohorrui igitur ſubito, atque animo concidi, poſtquam vidi, mihi tecum rem futuram, quem nulla in re adverſarium me habiturum unquam putavi, & a cujus judicio, ſi id ſciſſem, nunquam diſcrepaſſem. Magna eſt autem auctoritas tua merito apud hos; atque id & ſua ſponte ipſi faciunt, ut probent, atque admirentur doctrinam, & elegantiam ingenii tui, & meis etiam aſſiduis vocibus ad hoc incitantur. Quare quomodo me geram in hac re, non facile mecum ſtatuere poſſum, atque id, quia veritatem hujus rei non perſpicio: neque enim metuerem opinionem meam condemnare, & palam me in errore verſatum confiteri. Decrevi igitur te hujus quæſtionis judicem ſumere, atque ita tibi omnem rem examinandam tradere, ut quum tu rurſus, ipſa diligenter ponderata, oſtendas te in illa tua vetere ſententia perdurare, pollicear, prorſus me ita quoque firmiter crediturum, & omnia, quæ contra facere videntur, argumenta nullius ponderis exiſtimaturum. Vale, & me, quod jampridem feciſti, ama. Florentia Idib. Decemb. MDLVI.

Digitized by Google

JOANNES CASA

ARCHIEP. BENEVENTANUS

PETRO VICTORIO S.

QUUM forte ad quotidianas occupationes meas podagra acceſſiſſet ſane moleſta, redditæ, mi Victori, mihi ſunt literæ tuæ. Eo factum eſt, ut ſerius ad eas tibi reſponderem, quam noſtra ſumma conjunctio poſtulabat. Sed eas tamen literas eruditionis, atque elegantiæ plenas, amore autem ſingulari illo in me tuo etiam redundantes, gratiſſimas, jucundiſſimaſque mihi accidiſſe ſcito. Quod enim vir omnium doctiſſimus, atque in judicando acerrimus, pedetentim, verecundeque diſſentire a nobis aggrediebare, in re præſertim aud magni apud me ponderis, veterem tuam erga me benevolentiam, amantiſſimique animi gratum obſequium agnoſcebam. Quod autem Electræ orationem alioſum, atque ego, aliique multi acceperamus, interpretabare, idque ſtilo illo tuo ſubtili, atque preſſo, qualis eruditorum hominum ſermo inter se de ſtudiis literarum diſputantium eſſe debet, declarabas; in eo ingenii, doctrinæque, & eloquentiæ tuæ vis, lumenque mihi jampridem cognitum, elucebat. Veruntamen, quod ad me attinet, omni ego te moleſtia libero: ſiquidem in eo expeditiſſima mea ratio eſt. Nos enim Poetarum more, uti se res dederit, ita vel populi, vel eruditorum hominum ſententiam noſtro quodam jure ſequimur, atque alias ſi ſit opus, aliter de eadem re dicimus. Quare, mi Victori, optimos adoleſcentes, mihique jure cariſſimos, qui apud te erudiuntur in literis poſthac, mea quidem cauſſa, ſententiam tuam ne celaveris: neque id amicitiæ tribues, quod ab amicitia plurimum diſcrepat, ut expurgare judicium noſtrum non audeas. Atque adeo ſic habeto, nihil mihi in literis tam plane eſſe exploratum, atque compertum, quam quod tu idem probes, atque confirmes: quamquam de his quidem Euripidis verſibus nonnulla mihi in mentem veniebant, cur in priſtina illa mea interpretatione propemodum perſeverarem. Primo enim vix mihi veriſimile fiebat, calamitoſiſſimæ virgini, in tanto capitis ſui, fratriſque ſui diſcrimine, otium ad contemplandam, ac prædicandam Helenæ pulchritudinem fuiſſe, præſertim quam odiſſet, quam etiam diris ſtatim proſequeretur, cuique Deos iratos, atque infenſos optaret, propterea quod ſe, fratremque ſuum, totamque Græciam evertiſſet. Nam ita Helenæ perſonam tractare Euripidem par fuit,

ut

ut Electræ perſonæ, quam in manibus habebat, ne obliviſceretur. Deinde Helenæ pulchritudinem, quæ nulla ei mulieri ſua culpa obtigerat, indigne ferentem Electram facere, fortaſſe nihil attinuit: at laſciviam, & formæ, cultuſque importunum illud ſtudium, in ſororis cæde, & luctu, in domus, familiæque ærumna, atque excidio reprehendere, ac deteſtari; id vero cum Electræ perſona congruere, niſi te aliter arbitrari viderem, plane putaſſem. Nam quod ait Electra, ſuæ hujuſce orationis initio, ad ingenium, naturamque referri mihi aptius videbatur, quam ad corpus, & pulchritudinem poſſe: ſic enim interpretamur. Quam magnæ ingenii ſunt, ac naturæ in utramque partem vires: ferimur enim natura alii ad perniciem, alii ad ſalutem, ut quique proclives ad virtutem, aut ad vitia ſumus: peſſundedit ergo Helenam non forma, ſed ingenium. Nam pulchritudo quidem multis ſæpe malo, multis ſæpe ſaluti fuit. Quod video idem præcepiſſe eos, qui de finibus bonorum diſſeruerunt, ut ea ſententia, quam duobus his verſibus complexus Euripides eſt, vix futura vera ſit, ſi hoc ſenſiſſe illum defendimus, qui pulchritudinis compotes ſint, ſalutare quiddam habere: at inverecundum, impudicumque animi ingenium qui poſſident, iis ea res ſemper calamitati eſt, nunquam ſaluti. Helenæ quidem certe non pulchritudo profuit, ſed ingenium obfuit. Id igitur mihi accuſare videbatur infelix Electra, panniſque obſita, torridaque; Helenam inclinata jam ætate meretricium animum illum priſtinum retinere, quum fugæ infamiam illam ſubiiſſet, propter quam in publicum etiam prodire non audere ipſa ſe fateretur. Caſtiſſima ſcilicet puella vehementer indignatur, queriturque, eam jam prope anum factam, ne malo quidem doctam, deterreri a laſcivia, ac petulantia poſſe. Ipſum quoque verbum Mulier, neſcio quid vituperationis præſeferre viſum olim mihi eſt, quum illud neſcio quid verſiculorum luſimus. Eſt eadem, quæ ſolet: non Helena, inquit, ſed mulier. Illud etiam interdum ſuſpicari mihi veniebat in mentem, ſi ad cutem totondiſſe Helenam capillum Euripides ſignificaret, dicturum illum fuiſſe potius ἐν χρῷ, aut ἐν βάθει, quam παρ' ἄκρας τρίχας: quod video doctis nonnullis idem placere. Sed hæc tu melius ſcilicet, vel longe potius omnium optime: nam nos quidem vehementer ſane occupati, non tam ut aliquid ſtatueremus, quam ut aliquid ad epiſtolam tuam reſcriberemus, curſim hæc ad te exaravimus. Quare ad illud redimus, quod initio ſcriptum a me eſt: pro ſexcentis mihi auctoritas, judiciumque tuum rationibus ſemper erit; eaque mihi loci hujus, aliorumque omnium interpretatio erit certiſſima, quam tibi maxime probatam eſſe intellexero. Vale XI. Calend. Febr. M.D.LVI.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNES CASA
DIONYSIO LAMBINO
S. D.

ACcepi literas tuas humaniſſime ſcriptas, eaſdemque puriſſimas, atque elegantiſſimas. Carmen autem & libentiſſime legi, & vehementer probavi: eſt enim cum dignitate ſententiarum grave, tum ſplendore verborum, & numerorum jucunditate illuſtre, atque concinnum. Sane intelligo, nihil fuiſſe, cur Calliope illa noſtra inops, quam tu tamen dilaudas, tantum ſuſciperet itineris, cum tu iſthic adeſſes, qui Cardinalis Turnonii, hominis omni laude cumulati, virtutem non modo exponere, id quod nos facere noſtris verſibus conati ſumus, ſed etiam abundanter ornare, & copioſe augere facile poſſes. Suppudet itaque me: in ſilvam enim ligna ſcilicet. Sed tamen nihilominus Blanketo meo, homini conglutinandarum amicitiarum ſtudioſiſſimo, magnam habeo gratiam, cujus opera factum eſſe intelligo, ut ego te iſta doctrina ornatum, iſta ſcribendi facultate præditum, non modo cognitum, ſed etiam amicum habeam. Ac doleo mehercule plurimum, cum vos Venetiis eſsetis, non frequentaſse me veſtram domum; quod ut facerem, coegerunt me reipublicæ tempora, & mea. Carui quidem certe uberibus fructibus, & magna jucunditate conſuetudinis tuæ. Cum enim tua hæc ipſa ſcripta admirans, ab iis, quibus te bene cognitum certo ſcirem, percunctatus diligentius eſsem de te, reperiebam id, quod mea ipſe ſponte animo jam antea ſtatueram, atque perſpexeram. Docuit enim me Naſius noſter, itemque alii multi, de perpolita, elegantique doctrina, deque ſingulari probitate, atque humanitate tua. Itaque ſic tibi perſuadeas velim, factum me tibi eſse amiciſſimum, vel Muſarum cauſſa, quas ego a puero amavi plurimum, atque colui, quibusque gratiſſimum te eſse intelligo; vel quod te Vir ampliſſimus, quem ego unum maxime omnium ſemper ſum admiratus, amat, atque in honore habet; vel quod amantiſſimis literis, graviſſimoque, ac dulciſſimo carmine amorem erga te excitaſti, atque inflammaſti meum. Illud etiam mihi a te gratiſſimum accidit, quod Horatii Farneſii miſerum caſum, atque horribilem verſibus præclariſſimis deplorans, egregium adoleſcentem, in quo Italiæ jamdudum jacentis ſpes nitebantur, divinis laudibus celebraſti. Præterquam enim quod

omnis

omnis noſtra natio hos lectiſſimos Farneſios fratres, maximo illorum merito, cariſſimos habet (nihil enim his præclariſſimis adoleſcentibus amabilius fieri, aut excogitari poteſt) mihi privatim quoque vetus cum clariſſima illorum familia amicitia intercedit, multis illorum in me beneficiis, perpetuaque mea erga illos obſervantia confirmata. Quapropter ſic habeto, me virtutem, doctrinam, humanitatem tuam, uti debeo, plurimi facere, ſemperque facturum eſſe; meamque voluntatem, meaque omnia tam tibi parata eſſe ſcito, quam quæ ſunt tua. Cardinali Turnonio, viro maxime illuſtri, quem ego & colo, & revereor plurimum, multam ſalutem meo nomine dicas, velim. Vale. Idib. Novemb. Venet. Anno M. D. LIV.

DIPLO-

DIPLOMATA
QUÆDAM PONTIFICIA
A JOANNE CASA

PAULLI PAPÆ IV. nomine ad Herculem Eſtenſem Ferrariæ Ducem conſcripta.

A tergo. Dilecto filio, nobili viro, Herculi Eſtenſi Ferrariæ Duci, Fœderis a nobis cum Henrico Francorum Rege initi Capitaneo Generali.

Intus. PAULLUS PP. IV. Dilecte fili, nobilis vir, ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Maximis, juſtiſque de cauſſis, quæ tibi quoque non ignotæ ſunt, inviti, ac mœrentes coacti ſumus, ut tandem aliquando de noſtra, atque hujus Sanctæ Sedis ſalute, & dignitate armis tuenda, Deo, ac Domino noſtro volente, cogitaremus; operamque daremus, ut quorundam inveteratam audaciam, atque licentiam, jam in nos quoque ipſos ingruentem, timore ſaltem, ac metu compeſcere valeremus; quando id conſequi noſtra auctoritate ita, uti æquum erat, nobis non licuit: ſperantes, eadem divina benignitate freti, fore, id quod ſæpe accidere ſolet, ut bello pacem pareremus, quæ obtineri propter eorundem immenſam ſuperbiam, & effrenatam cupiditatem nullis hactenus conditionibus potuit. Atque id, ut commodius efficere poſſemus cum cariſſimo nobis in Chriſto filio Henrico Francorum Rege ſuperioribus diebus certis legibus, & conditionibus fœdus inivimus: quo in fœdere tu quoque comprehenſus es. Cum autem tu ita noſter, & Sanctæ Sedis vaſallus ſis, ut idem maxime inſignis, maximeque nobilis Italiæ pars habitus ſemper fueris, cum propter eas, quas poſſides, urbes tuo labore, ac diligentia maximas, atque munitiſſimas, tum propter opes, copiaſque tuas a te tuo ſtudio, atque induſtria comparatas, atque auctas; tum in primis propter eam, quæ in te eſt, prudentiam, ſummamque rerum bellicarum ſcientiam, propterque animi robur, ac virtutem tuam, perpetuamque erga nos, atque hanc Sanctam Sedem obſervantiam, ac fidem: Nos ob has ipſas cauſ-

cauſſas in te plurimum in Domino confidentes, omniaque ſumma nobis de te pollicentes, te, quem ad hoc ipſum tam præclarum munus a divina benignitate confictum, & conformatum, atque nobis, & his Sanctæ Sedis Apoſtolicæ temporibus reſervatum exiſtimamus, ſupradicti fœderis Ducem, & Capitaneum Generalem, re cum dilecto nobis filio, nobili viro, Joanne Daventone prædicti Regis apud nos Oratore communicata, facimus, conſtituimus, & declaramus, cum omnibus honoribus, dignitatibus, privilegiis, titulis, inſignibus, quibus antehac cæterorum ſimilium fœderum Capitanei Generales uti, frui, & potiri de jure, vel de conſuetudine ſoliti ſunt, atque eo etiam amplioribus, quo tua quoque facile inſignior dignitas eſt; & cum eis ſtipendiis, & emolumentis, eiſque contra oneribus, & conditionibus, quæ in inſtrumento ſeorſum ad id faciendo plenius continebitur. Sperantes in Domino, te tali viro Duce omnia proſpera, ac felicia nobis, ſociis, fœderatiſque noſtris cum Deo eſſe eventura. Hortamurque te, ut Majorum tuorum, clariſſimorum, fortiſſimorumque hominum, virtutem reminiſcens, ita hoc munus ſuſcipias, ut cum illorum virtute tibi contendendum eſſe ſtatuas; atque illud etiam memineris, quod te oblivisci nullo modo poſſe arbitramur, tanta te habere ab hac Sancta Sede beneficia, ut omnia ſumma illi a te, atque a tua clariſſima familia debeantur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Anulo Piſcatoris die XXVI. Februarii 1556. Pontificatus noſtri anno primo.

Joannes Beneventanus.

Digitized by Google

A tergo. Dilecto filio, nobili viro, Herculi Eſtenſi Ferrariæ Duci, Fœderis a nobis cum Henrico Francorum Rege initi Capitaneo Generali.

Intus. PAULLUS Papa IV. Dilecte fili, nobilis vir, ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Die XXVI. præteriti menſis Februarii literas ad te dedimus, in quibus te Ducem, & Capitaneum Generalem ejus fœderis fecimus, quod cum cariſſimo nobis in Chriſto filio Henrico Francorum Rege, magno ſane cum dolore noſtro, facere coacti aud multo antea fueramus, propterea quod ſalutem, ac dignitatem noſtram, atque hujus Sanctæ Sedis retinere jam aliter nobis non licebat propter eas cauſſas, quas tu quoque, dilecte fili, minime ignoras; atque in ea voluntate noſtra, quam tibi iis literis declaravimus, perſeveramus, nos quidem vel augemus eam potius in dies, conſiliumque illud noſtrum de te Duce habendo in dies magis probamus. Etenim nota nobis præclara tua virtus eſt, & ſingularis prudentia, & perpetua in nos, atque in hanc Sanctam Sedem obſervantia, & fides; meminimuſque, Majores tuos, homines clariſſimos cum civitatum gubernandarum, tum regendorum exercituum* ſemper eſſe habitos peritiſſimos, cum quibus ita te contendere videmus, ut illorum laudes etiam ſuperes. Quibus rebus freti, maximam ſpem ſecundarum rerum noſtrarum, atque ejus, quem optamus, hujus fœderis eventus cum Deo in te reponimus. Quibus tamen proſperis rebus noſtris unum hoc quærimus, unumque hoc a Deo Optimo Maximo precibus contendimus, multorum licentia, & contumacia, quando coerceri aliter nequit, armis repreſſa, pacem ſine ullis inſidiis firmam, ac ſtabilem, incolumemque noſtram, atque hujus Sanctæ Sedis auctoritatem. Sed quoniam in iis noſtris ad te literis adſcriptum eſt de ſtipendio, atque emolumentis, cæteriſque conditionibus, & pactis, quæ adhiberi in ſimilibus muneribus mandandis ſolent, inſtrumentum ſeorſum faciendum eſſe, in quo ea nominatim continerentur; nunc cum id longius fieri propter locorum, perſonarumque diſtantiam videremus, faciendum nobis eſſe duximus, quo adminiſtrari res celerius poſſent, ut omnino eum locum, quem idem cariſſimus nobis in Chriſto filius Henricus Rex Francorum tibi in ſupradicto fœdere attribuit, attributuruſve eſt, eoſque honores, emolumenta, conditioneſque cæteras omnes, quibus te dignum eſſe decrevit, decreturuſve eſt, his noſtris literis ratas haberemus: id quod libenti animo fecimus, præſtantiſſimi Regis præclarum de-

ſe judicium probantes, cum nullum tam magnum, tamque inſignem etiam honorem, aut commodum ſtatuamus, quin tibi, virtuti, nobilitatique tuæ merito habeatur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Anulo Piſcatoris die XIV. Martii 1556. Pontificatus noſtri anno primo.

Joannes Beneventanus.

A tergo. Dilecto filio, nobili viro, Herculi Eſtenſi Ferrariæ Duci, Fœderis a nobis cum Henrico Francorum Rege initi Capitaneo Generali.

Intus. PAULLUS Papa IV. Dilecte fili, nobilis vir, ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Ingenti quodam dolore noſtro factum eſt, ut dum pacis auctores, effectoreſque totis viribus conaremur eſſe, graviſſimis quorundam in nos, atque in hanc Sanctam Sedem injuriis, eo coacti deduceremur, ut tandem aliquando de noſtra ſalute, ac dignitate armis tuenda, Deo, ac Domino noſtro volente, cogitaremus, ut eorum, qui nos quaſi parentes revereri, & colere debuerant, inveteratam audaciam, atque licentiam in nos quoque ipſos irruentem, timore ſaltem, ac viribus compeſcere valeremus, quando id noſtra aſſequi auctoritate ita, uti æquum erat, nobis non licuit; ſperantes, eadem divina benignitate freti, fore, id quod plerumque accidere ſolet, ut bello pacem pareremus, ut compoſitis tandem rebus, atque omni inſidiarum ſuſpicione remota, otium nobis, ſpatiumque ſit cæteris Chriſtianæ reipublicæ vulneribus ſanandis. Atque id ut commodius efficere poſſemus, cum cariſſimo nobis in Chriſto filio Henrico Francorum Rege, certis legibus, & conditionibus fœdus inivimus, memoria repetentes hujus Regis Majores, pientiſſimos homines, Regeſque illuſtriſſimos, perpetuos Sanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritatis defenſores, libertatiſque ſemper fuiſſe vindices. Sed quoniam, quamvis magnæ, firmæque copiæ, debiles ſunt ſine capite, ac duce, eoque perito, atque præſtan-

ſtanti, ea nos cogitatio ſane perquam ſollicitos habebat, cuinam potiſſimum hoc tantum, ac tam arduum munus committeremus: cum te, dilecte fili, ita eſſe animatum pro tuo in nos, atque in hanc Sanctam Sedem conſtanti ſtudio, ac pietate cognovimus, ut periculorum noſtrorum te propugnatorem, auctoritatis defenſorem profitereris. Quæ res cum gratiſſima nobis pro eo, ac debuit, fuit (quamvis omnia de tua virtute, ac fide jampridem in Deo ſperantibus) tum totam dubitationem noſtram ſuſtulit. Ut enim in omnes partes diſpiciamus, te a divina benignitate confictum, & conformatum, atque nobis, & his Sanctæ Sedis Apoſtolicæ temporibus reſervatum exiſtimamus, quem tanto muneri, tantiſque rebus præficeremus, quem a patre tuo, viro fortiſſimo, atque clariſſimo, in militiæ diſciplina a puero educatum, ſumma rerum bellicarum ſcientia ornatum eſſe ſcimus, in regendis civitatibus, quas multas, ac nobiles poſſides, cum maxima vigilantiæ, integritatis, juſtitiæ, prudentiæque laude verſatum videmus, tum per te, tuiſque ſeparatim viribus firmum, ac validum. Itaque cum te Italiæ ornamentum, atque hujus Sanctæ Sedis præcipuum adminiculum ſemper ſtatuerimus eſſe, ſine ulla dubitatione te Ducem prædicti fœderis, in quo tu etiam comprehenſus es, Capitaneumque Generalem, Sanctiſſimum Dei Omnipotentis nomen invocantes, deligimus, facimus, conſtituimus, & declaramus, tibique omnem ejus fœderis copiarum, peditum, equitum, fabrum, tormentorum, cæterarumque rerum ad id pertinentium omnium curam, atque imperium demandamus; univerſoque huic negotio te præficimus cum omnibus honoribus, dignitatibus, privilegiis, titulis, inſignibus, quibus antehac cæterorum ſimilium fœderum Generales Capitanei uti, frui, & potiri de jure, vel de conſuetudine ſoliti ſunt, atque eo etiam amplioribus, quo tua quoque facile inſignior dignitas eſt. Et præterea cum annuo ſtipendio, & ut dicitur, *pro Plato*, ducatorum duodecim millium cum in pace, tum in bello, cujus initium ex Calendis Septembris ſumatur 1556. ſtabileque permaneat non ſolum Pontificatus noſtri tempore, ſed etiam Sedis ipſius Apoſtolicæ. Itemque cum cuſtodia corporis tui quinquaginta peditum cujuſvis nationis tuo arbitrio deligendæ, tum etiam cum præſidio trecentorum quinquaginta peditum, equitumque centum quinquaginta, ad tuas civitates, tuoſque fines ab hoſtium incurſionibus tutandos. Hortamur autem te, ut Majorum tuorum, clariſſimorum, fortiſſimorumque hominum, virtutem reminiſcens, ita hoc munus ſuſcipias, ut cum illorum virtute tibi contendendum eſſe ſtatuas; atque illud etiam memineris, quod te nullo modo obliviſci poſſe arbitramur,

mur, tanta te habere ab hac Sancta Sede beneficia, ut omnia ſumma illi a te, atque a tua clariſſima familia debeantur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Anulo Piſcatoris die XVI Septembris 1556. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Joannes Beneventanus,

A tergo: Dilecto filio, nobili viro, Herculi Eſtenſi Ferrariæ Duci, Fœderis a nobis cum Henrico Francorum Rege initi Capitaneo Generali.

Intus. PAULLUS Papa IV. Dilecte fili, nobilis vir, ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Cum pro ſingulari tua prudentia, præclariſque virtutibus, te Ducem, Capitaneumque Generalem fœderis a nobis cum Henrico Francorum Rege initi delegerimus, ad graviſſimas eorum injurias propulſandas, atque coercendas, qui non modo occultis inſidiis, ſed nefariis etiam armis, atque aperto latrocinio dignitatem noſtram labefactare, atque hanc Sanctam Sedem, quam ſumma pietate revereri, & colere debuerant, pervertere adoriuntur; videamuſque ſalutis, auctoritatiſque noſtræ tuendæ gratia, te arma nobiſcum, & cum Rege Chriſtianiſſimo eodem fœdere conjunxiſſe, nullumque diſcrimen, nullas inimicitias, nullas denique vitæ dimicationes pro noſtra dignitate defugiendas exiſtimare: pietatem tuam erga nos, atque hanc Sanctam Sedem, omni laude, atque honore digniſſimam judicamus, tuamque cum Rege ſocietatem in Domino plurimum commendamus, quam ut conſerves, & in pacto jam fœdere cum Henrico Rege conſtanti animo perſeveres, ad repellendos improborum conatus contra Apoſtolicæ Sedis dignitatem, magnopere te hortamur, & pro noſtra paterna auctoritate etiam præcipimus. Quoniam vero Principes, tanta pietate præditi, conjuncti inter ſe plurimum Chriſtianæ reipublicæ prodeſſe queunt, tibi præterea permittimus, atque condonamus, pro ea poteſtate, quam a Deo, & Domino noſtro Jeſu Chriſto accepimus, ut

non

non modo in præſentia, ac pro defenſione, patrocinioque hujus Sanctæ Sedis, Francorum Regi deſervire valeas, ejuſque exercitui præeſſe, ſed in omni etiam alio bello, quod vobis ſine detrimento, aut præjudicio Apoſtolicæ Sedis gerendum eſſe ſtatueritis. Quod ſi feceris, ex mandato, atque auctoritate noſtra feceris, neque id ullo quiſquam tempore culpæ tibi vertere poterit. Statuimus enim, nequis in poſterum te, tanquam Sedis Apoſtolicæ vaſallum, hac de cauſſa criminari, aut accuſare audeat, non obſtantibus quibuſcunque aliis contrariis conſtitutionibus; atque has noſtras literas firmi, validique contractus vim habere decernimus, tuam in nos pietatem grato animo perſequentes. Tu vero cum Majorum tuorum præſtantiſſimorum Ducum virtute certabis, & a nobis omnia, quæ ad dignitatem tuam augendam, atque amplificandam pertinent, Deo favente, exſpectabis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Anulo Piſcatoris die xv. Septembris 1556. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Joannes Beneventanus.

DISSERTATIO
JOANNIS CASÆ
ARCHIEP. BENEVENTANI

ADVERSUS

PAULLUM VERGERIUM;

E T

QUÆSTIO LEPIDISSIMA,

An uxor ſit ducenda.

Digitized by Google



DISSERTATIO
JOANNIS CASÆ
ARCHIEP. BENEVENTANI
ADVERSUS
PAULLUM VERGERIUM.

QUOD Scribis, dictum tibi eſſe a neſcio quo, qui iſthac iter haberet, quoſdam, qui Romæ vivant, queri de tua petulantia, ac malevolentia ſolitos; ſcito, id totum falſum, ac nugatorium eſſe: nemo enim eſt, non dicam bonus, aut notus, ſed ſanus modo, qui te, tuaſque iſtas nugas flocci unquam fecerit. Neque id Romani modo de te, ſcriptiſque tuis ſentiunt, ſed idem totius Italiæ de tua ſtultitia judicium eſt. Quamobrem, quod de eo te purges, nihil eſt. Omni ego te, mi Vergeri, moleſtia libero: atque animadverti, duo omnino eſſe hominum in Italia genera; alterum eorum, quibus ignotus ſis; alterum eorum, quibus nimium etiam ſis bene cognitus. Ac

qui te, vitamque anteactam tuam norunt, ii te ex helluone impuriſſimo, perditiſſimoque, tam repente morum magiſtrum iſthic exſtitiſſe rident: tu dolere eos fortaſſe arbitrabare. At quibus ignotus es, ii, ſiquando in tua iſta tam præclara ſcripta inciderunt, quid credis? negligunt te, atque contemnunt. Nempe, inquis, quod ineptire me ſentiunt. Primum quidem iſthuc ipſum ſcilicet: deinde illud quoque accedit, quod uſque adeo palam mentiri te vident, ut nullum eſſe periculum ſtatuant, quemquam fore in Italia quidem, qui compos modo mentis ſit, qui compertum non habeat, impudentiſſimum te ita, uti es, eſſe, aut qui credi tibi quicquam oportere exiſtimet.

Et quoniam libere, ac fraterne agere tecum, pro noſtra mutua inter nos benevolentia, inſtitui; obſecro te, quid tu tibi voluiſti, aut quicunque ille fuit, qui de Paulli III. vita ſcripſit? Putaſtine, quemquam fore, qui tibi de tot, tantiſque criminibus, ac ſceleribus crederet? Qui tu iſthæc ſcire potuiſti? Præſertim cum tam multa ſint inteſtina, ac domeſtica, de quibus vix unus, aut alter ex intimis familiaribus, etiamſi maxime vera ſint, ſuſpicari aliquid ſignis quibusdam poſſit. Qui igitur tu hæc alienus, ac prope alienigena, tantopere affirmas? præſertim ſolus: quis ad te detulit? Qui teſtes affuerunt? Quæ proferuntur literæ? Ubi tu interfuiſti? Huc accedit illud etiam, quo vel caſtiſſimi, atque integerrimi viri, a quibus, ne dicam joco, nos longiſſime ſemper abſuimus, a teſtimonio dicendo removeri ſolent. Quidnam igitur id eſt? Inimicitiæ: ac vereor equidem, ne id non exiguum Paulli probitatis ſignum ſit, quod te, moreſque tuos oderit. Sed mitto hoc. Inimici tui vitam ſcribis: nemo tibi de ejus peccatis quicquam credit. Nam cum civibus, amicis, conſanguineis tuis, tam petulanter maledicere, atque adeo male etiam facere conſueveris, quid homines facturum inimico, atque hoſti putent? Nam cum Paullo interceſſiſſe tibi inimicitias, tute mihi millies narraſti: non has novas modo, propter quas iſthuc transfugiſti; ſed veteres illas quoque de tuo ſtipendio, cum tu magni operam tuam faceres, magnificiſque verbis extolleres, cum aſſiduas operas navaſſe te Sedi Apoſtolicæ prædicares, quam tu Sanctam illis temporibus ſingulo quoque verbo appellabas, quoad ſcilicet extorquere, & auferre aliquid te ab ea ſperaſti poſſe. Cum tu igitur magnam mercedem poſceres, ac flagitares, ille, utpote vir magnus, ac gravis, nebuloni tibi nihil neque crederet, quod tua nihil intererat; neque daret, quod tu iniquiſſimo animo patiebare: ortæ inter vos ſunt ob eam ipſam cauſſam (qua de cauſſa nunc quoque tantopere iraſceris Italiæ) graviſſimæ inimicitiæ, quippe ob famem, atque egeſtatem tuam. Ac

Ac ſi verum fateri volumus, magnam tu Germanis hominibus contumeliam facis, quod idoneos arbitreris eſſe, apud quos tam impudenter mentiare, quoſque uſque adeo contemnas, imperitoſque rerum putes, ut tibi de tuo inimico tam inepte, tamque aperte mentienti fidem habeant. Si literas, ſi teſtes, ſi tormenta, atque equuleum, ſi omnia probationum genera proferres, nemo tibi tamen venefico, atque uxoricidæ crederet, de tot, tantiſque præſertim rebus. Tu innuenti modo tibi fidem haberi exiſtimas: nihil agis, mihi crede, ne cum dejeras quidem, eum libellum nunquam te ſcripſiſſe: nihilo enim ſecius impudens es, cum illo uteris, cum illum venditas, cum in illo ſcripta convicia illa inania, ac nugatoria pro teſtimoniis recitas.

Nam quod ais, non ferre te quoſdam, qui in Germaniam invehi conati ſint, jocari te arbitror, cum te maximæ, clariſſimæque provinciæ patronum facis. Tu, furcifer, Germaniæ patrocinium ſuſcipis? Hoc nimirum uno ſemper valuiſti plurimum, ut nihil unquam quicquam uſquam te pudeat. Dic mihi, non tu Germaniam, cum tota illa gente humaniſſima, una cœna, ſi opus ſit, divendas? Verebere credo alienos deſtituere, ac deſerere, qui amicos, qui fratrem, qui conjugem, qui patriam, qui pietatem prodideris? Nonne tibi cum tui ſimillimo Joanne Baptiſta Polæ Epiſcopo, fratre tuo, diuturnæ, graves, aſperæque inimicitiæ interceſſerunt? Cum de hoc uno inter vos pugnaretis, ac digladiaremini, uter veſtrum impurior, uter nequior eſſet? Nam paterna res certe negotium vobis non faceſſebat. Pietatem ludibrio æque utrique habebatis, atque æque ab omni laude, atque ab omni honore utrique aberatis. Nonne hæc notiſſima iis, qui te, atque illum noverunt, ſunt? Quid Elium, amicum, affinemque tuum, nonne fruſtratus multos annos es penſione ea, quæ illi a te debebatur? Cum ille ſtipulatus a te eſſet, eæque exſtarent literæ publicæ, in quibus, juratum eam te illi penſionem repromiſiſſe, ſcriptum eſſet, tu ſanctiſſime dejerares, promiſiſſe te ei nihil? Quæ poſtquam prolatæ literæ ſunt, oblitusne es, quæ tua de eo querela fuerit? quam aſpera? quam diuturna? Quaſi ille, cum te ſibi jampridem debitam pecuniam flagitaret, injuriam magnam faceret: nam illud quidem tibi memoria excidiſſe video, quod, Elii moleſtiam, atque acerbitatem cauſſatus, mutuam a multis eam pecuniam ſumſiſti, nec Elio unquam perſolviſti, nec creditoribus reddidiſti; ſed hoc memoriæ tuæ vitio evenit, illud humanitatis, ac miſericordiæ ſpecimen eſt tuæ. Quotus enim quisque in tua civitate eſt, cui certum, atque compertum non ſit, Dianam uxorem tuam veneno a te eſſe ſublatam, quod obſtare illam honoribus, ſa-



Digitized by Google

cerdotiiſque, quæ tibi tu, homo vaniſſime, altero fratre tuo fretus, pollicebare, atque animo vorabas. Quid quod cives tuos conſentientes ad diſſidium, atque ad odium tua malevolentia compuliſti; diſciſſaque, ac diſſecta tua a te patria eſt in eas factiones, ut ne nunc quidem inter ſe poſt tot annos ea civitas bene dum congruat? Qui igitur fratrem, præſertim convenientibus moribus, odio habueris, deſtitueris, prodideris, uxori miſeræ, atque innocenti venenum dederis, affines fefelleris, patriam everteris, Italiam impotenti, impuroque ore tuo vexes; Germaniam, atque alienigenas trans Alpes uſque tuebere? Næ illis perire ſatius eſt, quam tuo iſto patrocinio ſalvos eſſe.

Memoriane tenes, cum paucis ante annis vir magnus, atque clarus, ſumma conſtantia, ſummaque fide præditus, Joannes Cardinalis Tornonius, per Helvetios iter in Galliam faceret, atque ad cauponem forte divertiſſet, e viculo quodam ignobili, quem tibi tu ad habitandum delegeras ſecundum viam, quo gulæ iſti voraciſſimæ tuæ ſtipe de viatoribus cogenda ſuppeditares, deſcendiſſe te ad eum, ſalutandi, ut tu dicebas, ut ego interpretor, cœnandi, atque peculiolæ auferendæ cauſſa; qui cum te ſqualidum, ſordidum, pannis obſitum conſpicatus, viſuſque ſibi videre lanionem aliquem eſſet, quæſivit de te, qui tu eſſes: atque ubi Vergerium eſſe dixiſti, multis, homo graviſſimus, te verbis male accepit: deinde, cum tibi facile oratione ſua excuſſiſſet lacrimas, te flentem ſeduxit ubi ſoli, oblitusne es, quæ tua fuerit oratio? quam miſera! quam demiſſa! cum magno fletu calamitatem tuam deplorares, levitatem confiterere, ſtultitiam accuſares. Aude hoc negare, non tu ad hominis pedes concidiſti? Non fracto animo ſupplicaſti? Precibuſque omnibus obteſtatus es, uti te in Galliam ſecum tolleret? Non ea te de Religione, de Helvetiis, de Germania ſenſurum, dicturumque recepiſti, quæ ille vellet, quæque præſcriberet tibi? Hem morum emendator! Hem pietatis columen! Hem fidei exemplum! At ille tibi Germaniæ defenſori, Religionis correctori, atque cuſtodi, ne in levitate quidem, atque perfidia, quibus rebus delectatum te ſemper ſciret eſſe plurimum, fidem habuit ullam; neque inquinari, polluique ſe, comitatumque ſuum puriſſimum, tam lutulentæ ſuis ſordibus, & cœno paſſus eſt. At ſunt qui aliquando Germaniam liberius appellent: jure tu quidem fere tuo ſtultitiam, levitatemque univerſæ noſtræ gentis uni tibi vendicas. Sed reliquimus, reliquimus, mihi crede, noſtri generis, atque ordinis in Italia homines paucos omnino, ſed tamen aliquot, neque omnem fatuitatem nobiſcum efferre potuimus, qui ſi aliquid aliquando temere effutiunt in Germanos,

nos, nolito illis, patrone magne, iraſci: noſtram enim illi cauſſam, ſi neſcis, agunt, cum vulgus ſtolidum irritant, quo convenire minus Germania cum Italia poſſit. Etenim ſi conveniat res, mihi, tibique, congerronibuſque noſtris, eo res redierit, ut periculum nobis famæ futurum ſit, quam ægre adhuc ſuſtentavimus. Quamquam video bonos quoque aliquot ſtudio, & contentione quadam elatos, paullo provectos longius, ſed eos perpaucos tamen, & ſi tecum, quod illi minime volunt, conferantur, moderatos.

In eo vero mihi verſari viſus es cum cauſſæ noſtræ ſummo periculo: nec ſatis mirari poſſum, qui iſtuc tibi tam ſtultum in mentem venire potuerit; quamquam ſtoliditate, atque ſtultitia es ſingulari, qui auſus ſis Reginaldo Polo Cardinali maledicere, quod te primum omnium hominum facere auſum eſſe certo ſcio. Quicquid enim de optimo illo, ac præclariſſimo viro a ſumma laude ſejunctum dicitur, totum id continuo ipſæ reſpuunt aures, ipſaque mens, atque animus abhorret. Quare videto, ne illi ipſi, quibuſcum ſentire te ſimulas, turpe ſibi eſſe exiſtiment a Polo diſſentire. Qua quidem in re non jam audaciam, atque impudentiam, quibus rebus excellere te gloriantem audire te ſoleo, ſed cæcitatem, ut dixi, atque imprudentiam tuam ſum admiratus. Quis enim non videt (præter te quidem, cui oculi præ inedia caligant) ſi vera ſint, quæ de pietate Chriſtiana Polus ſentit, eo magis Lutheranos nos veræ pietati, Chriſtianæque rei obeſſe, quam Turcas, quo aſperius, calamitoſiuſque inteſtinum bellum eſt, quam externum? Neque ille cum Lutheranos accuſat, Germaniæ maledicit, ſed Sectam redarguit. Quod vero hominem innocentiſſimum accuſas, quod ſecus de pietate ſentiat, ac tu de eo pollicitus es, dupliciter peccas: primum quod plane temere affirmare te de aliis eſſe ſolitum confiteris, ut ne de Paullo quidem Tertio, deque aliis, quos tu conviciis inſectaris, fidem facere poſſis: deinde quod eum, quem tu virum gravem, caſtum, ſanctumque prædicaveris, diſſentire a nobis demonſtras; cujus probitas, integritas, temperantia, caſtitas, ſanctitaſque, ſi eam de Religione ſententiam, quam ille defendit, nihil adjuvat, cur eorum, quibus tu maledicis, peccata, etiamſi maxime vera ſint, eam ipſam de Religione ſententiam coarguunt? Etenim, ſi quia boni, ita de Religione ſentiunt, nullum argumentum eſt, recte eos credere, ne quia quidem mali nonnulli in eadem ſunt ſententia, obeſſe perſonarum vitia cauſſæ debent. Quod autem miſeratus illum es in altera epiſtola tua, nonne intelligis, totidem verbis illum miſerari te contra, noſque omnes poſſe? Magnum credo negotium homini omnium eloquen-

quentiſſimo, deplorare calamitatem noſtram, noſtramque vicem dolere, atque in eo commorari, qui vetus iter a Sanctiſſimis Patribus inſtitutum, parentum, majorumque noſtrorum veſtigiis attritum, reliquerimus, unum Lutherum, levem, apoſtatam, malevolum, ſeditioſumque hominem ſecuti, atque illum ipſum ducem, vexilliferumque noſtrum, cœcum, atque improbum deſerentes, alio alii abierimus, diffiſi, diſciſſique innumerabilia in fragmina, ac potius fruſta ſimus; ut memoriæ mandare ſectarum, in quas miſere ipſi nos diſcerpſimus, nomina, aud facile ſit: qui Evangelii nomen modo latebram ſcelerum, flagitiorum, rapinarum, ſacrilegiorum noſtrorum habeamus; in ſententia vero ludificemur, atque cavillemur, perperamque interpretantes per pietatis ſimulationem, non libertatem, ſed licentiam conſectemur, cæteraque id genus ab omnibus jam decantata: qualia confirmata, comprobataque tandem cauſſa, in epilogo adhibere oratores magni illi, ac docti olim ſolebant, amplificandi, non confirmandi gratia. Nos autem rabulæ, ac clamatores, probris, atque conviciis cauſſas peragere conſueti, omiſſis probationibus, quas nullas plerumque habemus, hæc pro argumentis pronunciamus. Memini enim, te olim totas Venetiis peroraſſe cauſſas, ab exordio ad epilogum, maledictis; & contumeliis, & quaſi nullo commiſſo prælio, victoriam tamen conclamaſſe: a qua conſuetudine non diſceſſiſſe te video; quamquam Rhetoricæ dediſſe te aſſiduas operas, audiebamus, quo ad accuſandum Paullum hunc Tertium inſtructior accederes. Eæque exſtant literæ tuæ, in quibus comminatus es, meditari te jampridem, ac declamare, & ad perſequendas injurias, quas ab eo acceperis, te comparare. Cave igitur, ſi ſapis: jocari enim mihi tecum libet: quid enim tu ſapias? Ne poſthac Polum vexes, ac ne appelles quidem: neque tantum noſtræ cauſſæ vulnus attingas, potiuſque in libellis illis, qui in epiſtola altera tua appellantur a te, acumen illud tuum exerceto; in quibus ſiqua amphibologia exſtiterit, in peſſimam partem vertito: iis facile eluduntur ſellularii, opificeſque, & mulieres, atque anus. Siqua autem inventa erit allegoria, ita uti se res dederit, amplecti tibi licebit ſcriptum, aut ſententiam. Si in exornationem, aut amplificationem incideris, ſingulorum verborum fidem, non tanquam ab oratore, ſed tanquam a teſte exigito. Tum ſicui libro Papæ adſcriptæ literæ fuerint, quæ privilegia quædam continent, vulgaria illa, atque omnibus paſſim jam dari per ſcribas ſolita; totum illum librum, ſi paullo hilarior ſit, vel memoriæ mandaſſe Papam contendito. Si de gravibus, ſanctiſque rebus in eo ſcriptum fuerit, ne aſpexiſſe quidem Papam dejerato; ſed per

alios

alios eas literas adſcriptas ſuo nomine defendito.

Præterea, ſiqui ſunt paullo minus caſti libelli, per jocum aliquibus in adoleſcentia ſcripti, eos tu, cui tibi commodum fuerit, adſcribito: quæ dubia erunt, in peſſimam partem rapito: multa de tuo addito; quod de verſiculis illis, qui de *Furni* laudibus inſcripti jam olim ſunt, feciſſe te video: quamquam illos me annis abhinc quinque, & viginti editos, alterius cujuſdam nomine inſcriptos, legiſſe me memini. Tu Joanni Caſæ attribuis, quem tumet affirmare ſoles, ornate, politeque ſcribere, & verſibus poſſe, & ſoluta oratione. Id quod video Bembo quoque, & Flaminio idem viſum eſſe, aliiſque multis item bonis, doctiſque viris, qui de ejus hominis cum eloquentia, tum temperantia, integritate, humanitateque elogia quædam ſcripta reliquerunt. Sed ſi Joannis Caſæ ii verſiculi ſunt, ejus ego hominis gravitatem, & conſtantiam laudare poſſim; niſi tu illi iratus de judicio tantopere ſis, qui toties a te laceſſitus, reſpondit tibi nunquam, præſertim cum tribus verbis facere illi hoc licuerit, quicunque eos verſus ludens ſcripſit: nam ſi tu aliud, atque ille dicit, intelligis, tua iſthæc culpa eſt, qui non male dicta male interpreteris; quod ſi aliud dicitur, aliud ſignificatur, tamen tu in aliam partem accipis, ac cogitatum ab ejus carminis auctore ſit: feminæ enim illis verſibus plane, non mares laudantur, ſi modo quicquam præter Furnum ipſum laudatur. Neque tu ignoras, ſed vetere illo tuo uteris artificio oratorio, gratificari enim tibi cupio, quando tu te Principum Nuncium, Chriſti Legatum eſſe te jactare, ac prædicare ſolitus es. Quamobrem videto, ne hujuſcemodi viros cum vituperas, per tam apertam calumniam noſtræ obſtes cauſſæ: clariores enim ſunt, quam ut tu fucum facere in illorum poſſis nomine. Atque hic quidem, non modo cognitus Germanis etiam hominibus multis, atque magnis eſt, ſed etiam gratus, caruſque.

De Mutio vero affirmare tibi hoc poſſum, non tibi illum honorem, cum de te ſcripſit, habuiſſe, ſed patriæ veſtræ. Ejus igitur libri in luce, atque in oculis hominum ſunt, laudantur a doctis, emuntur a bonis, & quidem care: tui ab opificibus, ſellulariiſque leguntur, veneunt vili; quamquam illectas tu plebem, quo vendibiliores eos facias, etiam facetiis. Dii boni! Quam id parum te decet, præſertim & ſenem, & theologum: *Cum privilegio Papæ*, ais, *ad horæ momentum*. Quærerem hic de te, ecquid te pudeat tam inepti, tam ſcurrilis dicti? niſi ſcirem, pudorem te in omne jam olim puerum tempus amiſiſſe, vel abjeciſſe potius. Sed Mutium Italiæ Principes domi ſuæ jamdiu in magno honore habent, honeſte nu-

nutriunt, ſtipendium dant: nos miſeri, atque egentes eſurimus ſcilicet, & algemus. Quamquam te hominem illuſtrem naſtum audiebamus, qui te alere conetur. Is aliis in rebus magnis, variiſque, atque omnino ab his, quas tu tibi arrogas, abhorrentibus occupatus, parum adhuc te noſcere potuit, ubi te, moreſque tuos cognitos habebit: id quod propediem futurum eſt, non te feret, mihi crede. Quamobrem hortor te pro noſtra amicitia, uti memineris his paucis diebus exſaturare te quam maxime, etiam ad futuram famem, atque eſuritionem.

Nam de Petro Aloyſio Farneſio, quem tu inſectaris jam toties conviciis mortuum, quis eſt, qui fabulam illam non audierit? Quotus autem quiſque eſt, qui commentitium id totum eſſe, atque a malevolis confictum, ſcire te neget? A te autem requirunt Itali homines ſuperiora illa ſcilicet, quibus teſtibus, atque adeo quibus indiciis id compereris: cur id, quod tibi non magis, quam cæteris omnibus compertum ſit, ſolus affirmes? Cur hoc tibi ſumas, ut hominem vexes mortuum? Eloquentia te fretum dices: illi malevolentia, atque audacia, tum inimicitiis adductum putant: loquacem te, & maledicum, atque malevolum dicunt, eloquentem, aut diſertum negant. Quid, quod ſecum ipſa tua pugnat oratio, nec cohærere ullo modo poteſt? Fama eſt, inquis, veneno Epiſcopum illum periiſſe, ne facere tantum Petri Aloyſii facinus palam poſſet. Mitto, auſum te eſſe veneni mentionem facere: impudentiam enim profiteris: illud requiro, utrum datum iſtud venenum ſit, priuſquam reſciri facinus illud potuerit? quod tu, ſi affirmas, quæro abs te, qui ergo reſciſcere potuiſti? Sin poſtquam vulgata ea res eſt, ut ad te quoque famæ, ac nuncii pervenerint, quid attinuit venenum dari? Sed ego ſtultior, qui a te dicti ullius rationem poſtulem. Atque equidem ſic exiſtimo, ob unam hanc cauſſam orationem a natura beſtiis negatam eſſe, quod illæ iſto, quo tu loqueris, modo, ſi loqui potuiſſent, eſſent locuturæ. Eadem tibi de Julio III. reſpondeant, deque iis literis, quas tu de Conclavi miſſas, ad te delatas ais. Negant tibi quicquam credi oportere a quoquam, vanitatis, levitatis, mendacii te convictum, defendunt. Profer igitur eas literas: manum, ſignum proba. Fingi hæc a te, ab aliiſque tui, meique ſimilibus, dicunt: neque conviciorum, ſed criminum habendam eſſe rationem docent. Tum Germanorum humanitatem obteſtantur, fidem implorant, ne irritari a nobis imperitam, ignaramque rerum multitudinem in se pati velint per nos, perque noſtri ſimiles aliquot demonſtrant factum eſſe, ut a diſſenſione ad diſſidium, atque ad odium, inimicitiaſque ventum ſit.

Digitized by Google

ſit. Germaniæ gravitatis, humanitatis, prudentiæ fuiſſe, ita de religione diſceptare inter nos, ut jurgiis abſtineremus: nunc diſcedi a publica cauſſa, privata odia exerceri, me meo, te tuo maledicere inimico, quæ de cauſſa dicenda fuere prætermitti jam fere, ac tacita præteriri; dirimi rem jactandis viciſſim probris, impudicarum mulierculaum more, quæ a moderatione, probitate, caritateque chriſtiana longiſſime dicunt abhorrere. Tum illud addunt, quid tu tandem, Vergeri, es, qui tibi deligas clariſſimos homines, in quos tuo arbitratu declamites? Vin tu vitam tuam a pueritia recenſeri? minime vero, ne ea vitia, quæ tu falſo in ſingulis vituperas ſingula, univerſa vere in te uno appareant. Vin tu inopiam domi tuam, foris ſordes commemorari; an propter obſcuritatem tuam latere hæc mavis in tenebris? neque tu fortunæ culpa ſemper eguiſti, ſed gulæ, ſed cæterarum corporis tui partium vitio.

Quid ego de levitate tua dicam? qui, cum ab omnibus muſis ſemper abhorrueris, infelici illa laurea coronari caput iſtud tuum pleniſſimum vento tantopere expetiſti. Quis iſthuc moribus noſtris facit jam, niſi ſcurra? Fuit enim olim fortaſſe ea laurea virtutis, ac doctrinæ inſigne; nunc certe vanitatis, fatuitatiſque teſtimonium eſt. At hoc vetus, inquis, eſt: quid hoc novum, ac recens? nonne huic levitati, atque impudentiæ tuæ ſimile eſt, atque par? quod depingi te, ridiculumque iſtud ſenis lanionis caput tuum curaſti, atque iſtud os tuum fœtidum, quod occulere, atque obtegere omni induſtria tu, ſi quicquam te puderet, debebas, quaſi magni cujuſdam hominis, ac prope dicam numinis, ſimulacrum, non obeſæ ſuis rictum, odioſiſſimis titulis inſcriptum per Helvetios, perque Helvetiis finitimas gentes circumferri: id quod ne illi ipſi quidem, qui tibi favebant, perferre potuerunt. Tu Pontificum Nuncius, tu Chriſti Legatus, trifurcifer, ſis! Magnam omnino tu Italiæ ignominiam jam olim, cum natus es, inuſſiſti, quod in hac terra ortus ſis: verum id & caſu quodam, nulla tua culpa factum eſt. ubique enim gentium monſtra, & portenta naſcuntur aliquando, & Itali dolorem ſuum ulti ſunt, quod te diu fame, ſitique, rerumque omnium inopia torſerunt, quod expulerunt te denique, & tanquam maritimi fluctus cadaver quoddam fœtens ejecerunt, quam illi gratiam Joanni Caſæ hoſti tuo illi, cui tu tantopere infenſus es, habent maximam. Itaque ſat tu nobis pœnarum dediſti. Germani vero, quibus tu ultro, ſponteque tua tam inſignem contumeliam facis, qui non modo ad eos appuleris, & tanquam ad ſaxum adhæſeris, ſed clarum etiam, illuſtremque, & magni cujuſdam numinis inſtar haberi te apud talem, tantamque gentem poſtu-

Digitized by Google

poſtules, nullas a te pœnas poſcunt. Reperti ſunt etiam, qui te edaciſſimam, eandemque immaniſſimam belluam, domi ſuæ alant: id quod ne tu quidem tam ſtultus es, ut non modo perpetuum, ſed ne diuturnum quidem futurum ſperes: quippe qui diuturni habueris unquam nihil præter malevolentiam, & famem iſtam tuam. Itaque bonum nimium conſilium illud eſt de te ingurgitando, atque dum tibi per clariſſimi hominis occupationes, ac profuſam, diſſolutamque benignitatem licet, ad multos menſes, atque adeo ad totos annos inferciendo. Sed, ut ad levitatem tuam redeam, abiiſti (qui Dianam ſcilicet necaſſes) a Poetis: ad Juriſconſultos te contuliſti. Nec vero tibi Themis fuit æquior, quam Apollo fuerat: quamquam aptior natura tu litibus, quam verſibus es. Sed tamen quæ diuturno, ac magno labore ediſcenda tibi erant, ea tu didiciſſe te dicere maluiſti, quam ut ediſceres laborare. Itaque inaniſſimus doctrinarum omnium e gymnaſiis prodiiſti. Lingua, atque audacia fretus, cauſſas agere te velle dixiſti: ſed cum quoties diceres, toties malediceres, mentireris, pejerares, calumniareris, prævaricarere, neque litigatores tibi, jam neque corona, neque judices fidem habebant; nemoque ferre te, ac ne aſpicere quidem poterat. Itaque cum frigeres, atque adeo algeres, qui te uxoris illa moleſtia facile liberaſſes, abiiſti Romam ad Antonium fratrem tuum. Is Clementi VII. te commendavit, apud quem ille in magna erat gratia; neque bene te, quod perdiu domo abfuerat, noſſe poterat. Errore quodam miſſus in Germaniam es, cum plus fidei fratri de te prædicanti Pontifex ille, quam par erat, habuiſſet. Vix dum Roma profectus eras, cum delatæ ad Pontificem ſunt virtutes illæ tuæ præclaræ, atque inſignes: loquacitas, vanitas, perfidia, cæteræque id genus reliquæ, quæ ornare internuncium ſolent, præſertim de laureola illa tua. Sed jam ſtipendium dinumeratum tibi annuum, opinor, erat: tum lacrimæ fratris, quin te Pontifex revocaret iter ingreſſum, perfecerunt. In Germaniam veniſti. Ergo qui linguam, ac vocem venalem ſemper habuiſſes (quod enim venderes, aliud habebas nihil) poſtquam ſcripturæ, & calami merces oſtentari tibi cœpta eſt, non tu quæ habebas modo, ſed etiam quæ non habebas, proſcripſiſti, ac vendidiſti: id quod Germani aliquot, etiam nunc ſuperſtites, meminerunt. Revocavit te igitur Paullus Tertius. Hinc illæ lacrimæ ſcilicet. Atque ibi tu continuo Theologum eſſe te velle dixiſti; eodemque tempore eloquentiæ ajebas te dare operam. Non enim dicam, cur tu Epiſcopus, quave ratione factus ſis, ne aliorum quorundam ſcelus conjungam cum tuo: tametſi pœnas illi ſceleris, ſacrilegiique illius pertulerunt graviſſimas.

Sed

Sed proventus eccleſiæ tuæ præ furtis quidem illis tuis provincialibus tenues erant. Gula ſcilicet creverat, & luxus, atque ſuperbia, quæ quorundam hominum, qui male te noverant, benignitate ſuſtentata aliquandiu ſunt; ſed ubi exhauſta eſt (nec enim tu parvo contentus eſſe poteras) convertiſti te ad alium quæſtum. Homines quoſdam non nimium ſapientes, ſuperſtitioſos, ruſticanos, ſtultaſque aliquot mulieres locupletes aggreſſus es, ſevocaſti: docere eos te poſſe arcana quædam de religione dixiſti: nam quæ adhuc tradita illis eſſent ab aliis, perperam eſſe tradita: mutari ea oportere, atque corrigi perſuades imprudentibus, ac fatuis quibuſdam. Interea, merces magiſtri ſcilicet magna, peſſundati multi a te ſunt, atque ad ſummam inopiam redierunt. Meminiſtine quendam Patavii, quem appellari a me nihil neceſſe eſt, tametſi vulgata res eſt, qui cum a te magna pecunia eſſet emunctus, cum condemnatus impietatis eſſet, magna rerum ſuarum deſperatione, & ſcelerum conſcientia furere cœpit, quem tu virum ſanctum divino percitum ſpiritu diceres, prophetamque ſalutares? Cumque tu hoc magna contentione in cœtu magno hominum defenderes, oblitusne es, illum tibi repente maximum feciſſe convicium: cum te fruſtratorem, decoctorem, veneficum, hæreticum appellaret? Meminiſtine, ita fractam, ac debilitatam iſtam impudentiam tuam repente eſſe, ut pene concideres; verbum prophetæ illi tuo, vera quidem omnia de te canenti, reſpondere nullum auderes? Meminiſtine, facinora illa tua percrebuiſſe, palam facta eſſe, ad judiceſque delata, illos ipſos, quos tu clamoribus ad hoc uſque tempus, homo caritate Chriſtiana magna præditus, proſequeris? Meminiſtine, quam illi humaniter, quam benigne tecum egerint, ut ad ſanitatem redires? ut ſtultiloquium iſtud tuum compeſceres, ne te perditum ires? Sed tu, qui propter æs alienum, non Dei, ſed carceris metu, in religionis cauſſam, tanquam in aram confugiſſes, qui ſalvus eſſe nullo modo poſſes, multa ſalute creditoribus tuis dicta, abiiſti clam ex Italia, iratus judicibus, quorum culpa nulla erat, præter quam quod te ſolutum cauſſam dicere paſſi ſunt; iratus Venetis, quos antea jactare ſolitus eras te patronos habere, iiſque fretum, judicia, legeſque contemnere. Qui igitur talis ſis, qualem te eſſe tui affines, tuaque omnis civitas prædicat, qualemque te eſſe eam vehementer piget, pudetque; noli putare, exciri Germaniam poſſe tuo iſto impuriſſimo latratu. Tum hoc etiam addunt: Date, inquiunt, hoc, Germani, nobis pro veſtra priſtina illa humanitate, atque in nos benevolentia: multos ex omnibus civitatibus, pagiſque veſtris, Venetiis, Romæ, Mediolani, aliiſque in oppidis Italiæ habetis: nolite Vergerio de no-

bis credere : ac ne nobis quidem de Vergerio fidem habetote , ſed de civibus veſtris exquiritote , quæ de Vergerio jam olim , cum ille nobiſcum ſentire ſe de religione dicebat , fuerit fama, quæve hominum æſtimatio; quid contra de iis, quos Vergerius vituperat , judicet ea provincia univerſa : utros melius reperietis audire , eos probos, caſtoſque habetote , iis creditote . Si ab ineunte ætate Vergerium veſtri cives certiores vos facient ſe comperiſſe non levem modo , ac popularem , ſed libidinoſum , intemperantem , nepotem , aſotum , tum malevolum , perditum , audacem , perfidioſum ſemper eſſe habitum ; hos autem , qui ab eo vituperantur, cenſeri apud ſuos quemque probos , conſtantes , temperatoſque homines ; perſuaderi vobis ſinitote a veſtris civibus , conſanguineis , affinibus , hominem illum eſſe nequam, ac perditum . Hos amatote , qualiacunque ea ſint , quæ illi de religione ſibi ſtatuenda eſſe cenſuerint ; ac contaminatam belluam omnibus ſceleribus exterminatote ; nec aprum limo , atque adeo fimo turpiſſimorum vitiorum omnium coinquinatum , in lectiſſima veſtra juventute verſari , volutarique permittitote . Sed fac illud eſſe , quod fieri nullo modo poteſt , ut tu purus , mundus , caſtuſque ſis ; tamen appellare te Polum præterquam honoris cauſſa non oportuit , quem tu hominem omnium graviſſimum , aliud ſentire , ac loqui , de pietate præſertim , cujus ille colentiſſimus ſemper fuit , cum perſuadere Germanis conabare , non modo mentiebare , ſed etiam inſaniebas : id quod prudentem illam , fideique plenam nationem , nunquam tibi credidiſſe , certo ſcimus; pertuliſſe autem ea te dicentem , vehementer miramur . Polliceri de altero graves homines timide ſolent (occultas enim eſſe norunt hominum voluntates) reprehendere eos, quibuſcum inimicitias gerunt, nolunt: verentur enim , ne caſtigare , ſed maledicere videantur : tu utrumque temere , nulla neceſſitate coactus , facis. Ad hunc igitur modum multi de te , mi Vergeri , loquuntur . Statuendum tibi , Vergeri , eſt , ajunt , utrum te malis eſſe , cælibemne , an maritum ; ſacrumne hominem , an profanum ; Cauſſidicum , an Poetam , aut Theologum ; Epiſcopum , an Apoſtatam ; Italum , an Germanum ; Principumne Nuncium , an Chriſti Legatum . Atque hæc ubi ſtatuta tibi , confirmataque tandem erunt , ibi de tua levitate , atque inconſtantia te dicentem audiemus. Nam de fide , de probitate , de religione , de caſtitate ne tu quidem , opinamur , quamquam bene , ac naviter impudens es , audire te poſtulas. Ergo hæc de te.

De Germanis vero hominibus , hac una religionis , ac pietatis cauſſa , magna illa quidem , & gravi , ſed tamen una excepta , ita ſentiunt , gentem unam omnium illam eſſe humaniſſimam : nam ferita-

tem

tem illam ejus priſcam ita eſſe manſuefactam, ut virtus; atque animi robur duruerit etiam; immanitas autem, ſiqua antea fuerit, mollita ſit. Præſtare fide, excellere induſtria, florere ingenii gloria Germanos homines, non fatentur modo, ſed etiam prædicant. Itaque vehementer mihi eam nationem diligere videntur, & cum una illa modo religionis exceptione, etiam colere. Sic enim arbitrantur: ſi res ſpectetur bellica, Germanos aut ſolos, aut cum paucis in præliis locum tenere, & ordinem conſervare, & dicto parentes eſſe a pueris didiciſſe; proceris corporibus, firmis viribus, intrepidis animis eſſe; tormentorum, itinerum, caſtrametationum uſum habere maximum; multitudine, equis, armis, ducibus valere plurimum, ut Germanis; ſi inter ſe conſenſerint, ac conſpirarint, quod Vergerius (ajunt) diligentiſſime pro ſua parte prohibet, cum per pietatis ſimulationem diſcordias nutrit, ne orbis quidem terrarum obſiſtere, ac repugnare poſſit. Itaque omnem ſpem Turcarum impetus repellendi in una ea fortiſſima gente poſitam ſe dicunt habere. Quod ſi pacis artes quærantur, primum *liberales* illæ, quæ appellantur, ſingulas excoli nuſquam gentium majore ſtudio, majoreque fructu, quam in Germania, ſentiunt: id quod librorum indicat copia, quos illa gens de ſingulis diſciplinis plurimos, atque eruditiſſimos a ſe conſcriptos, his paucis annis edidit. Quanta vero ſolertia! qui labor! quæ patientia! quæ etiam intelligentia Germanorum hominum in iis elucet artibus, quæ ad vitam, cultumque pertinent! Hæc illi de Germania cum ſæpiſſime, tum etiam libentiſſime commemorant; vehementerque dolent, decipi eam a nobis nullius pretii hominibus gentem, atque deludi, & qui domi noſtræ conſiſtere nunquam potuerimus, plebem natura minime malitioſam, minimeque verſutam nactos, euſque exſultare, ut nobiles, atque inſignes etiam haberi nos poſtulemus, pictarumque imaginum, nominumque noſtrorum præſtigiis lenocinemur nobis, indigniſſime ferunt. Et quoniam rem, ita uti eſt, dicunt, ex animo ſe ſe id dicere, facile mihi perſuadent. Deus, ajunt, male quibuſdam faciat malevolis, invidis, deſperatis hominibus, qui partim inopia, atque ære alieno, partim ſuperbia, atque invidia adducti, ſuperſtitioſos ſe repente faciunt, perperam nos de pietate ſentire dicunt, atque ad Germanos transfugiunt: eo cum venerunt, aſperius de nobis loquendo, iis ſe ſe venditant, ac probris, conviciiſque in optimum quemque jactandis, eorum gratiam aucupantur, qui ſejungere a cauſſa perſonas non didicerunt, atque homines paullo magis natura credulos, quale proborum plerumque ingenium eſſe ſolet, nacti, eos deludunt, atque decipiunt. Sic enim illi arbitrantur, Vergerium puta,

ta,

ta, odio Italorum hominum, quod illius gentis vitia, & ſcelera nefaria homo ſanctus tolerare jam amplius non potuerit, relictis rebus, fortuniſque ſuis magnis, ac florentibus, in Germaniam uſque penetraſſe: præcipue illud ſecutum, ut de religione, quæ vellet, libere ſentire, ac dicere ſuo ſibi arbitratu liceret. Verum multo aliter, atque illi exiſtimant, res eſt: nam levitate, egeſtate, ſuperbia, & ſui oſtentatione Vergerius, non ſuo judicio, nec Italiæ, ſed creditorum odio coactus eſt, ut in Germaniam transfugeret.

Idemque Vergerii ſimilibus multis contigit, qui cum ſe, ingenium, induſtriam, doctrinamque ſuam plurimi æſtiment, ſeque plurimum, ſine rivali ſcilicet, ament; iniquiſſime ferunt, non evocari ſe continuo Romam, ſibi debitos ſummos honores indignis mandari dolent, illos aſpectari, ſeſe jacere, contemni, in tenebris eſſe anguntur: ubi uri acrius cœperunt homines leves, multa de ſe ſibi fruſtra polliciti, multa inaniter Pontifici minati, extemplo convicium bonis faciunt, clamoribus, libellis Pontificem maximum, Romanos homines, Italiam omnem conſcindunt: magnifice ſe apud Germanos, harum rerum ignaros, jactant, quot commoda, quas utilitates domi ſuæ reliquerint: quantos honores, tituloſque contemſerint, prædicant, pietatis, religioniſque cauſſa: maximis homines mendaciis onerant, atque in Papam, in Cardinales, in omnes probos invecti, ſibi, cauſſæque ſuæ velificantur. Adeone infelix Italia omnis eſt, tam ampla præſertim, tamque frequens provincia; ut laudari Italus nemo poſſit? quod ſi aliquot probi, honeſti, laude digni tamen Itali ſunt, cur non ii a transfugis illis, ac proditoribus laudantur potius, quam vituperantur univerſi? Cur ſaltem cum aliqua exceptione Italia non accuſatur? Nonne id Chriſtianæ æquitatis, caritatiſque erat magis, quam eos ipſos bonos ſeligere, quibus præcipue malediceretis? Quorſum vero pertinet Italiam nominare? de pietate diſceptamus. Itali inquinati multis ſceleribus ſunt. Quid Germania, caretne vitiis omnibus? Quid igitur attinet diſputare, utri probiores, utri praviores ſint? Seditioſum eſt igitur a cauſſa diſcedere, in homines invehi, convicia criminum loco habere, exclamationibus pro teſtimoniis uti, atque id in cauſſa omnium maxima, atque graviſſima. Quid quæris? Verum prope, mi Vergeri, mihi dicere videntur.

QUÆ-

QUÆSTIO
LEPIDISSIMA,
An uxor ſit ducenda.

REM plane ad inveſtigandum quidem ratione; atque oratione explicandum difficilem, ad deliberandum autem maxime etiam periculoſam quæritis, adoleſcentes: neque enim mediocris eſt ingenii, communisve cujuſdam prudentiæ ſtatuere, utrum cum ad vitæ commoditatem, jucunditatemve conducat, tum vero ad hominis officium pertineat, uxorem habere, necne: eam vero inire ſocietatem, quam noſtris quidem legibus unam mortem fas ſit dirimere, maximæ, ac periculoſiſſimæ deliberationis non eſſe inficiari quis poteſt? Quamobrem vos ſiquando aliquem nacti eritis, qui hæc acute perſpicere, prudenterque ſtatuere ſe ſe poſſe profiteatur, ab eo ſcilicet certius aliquid edocti, nihil errabitis; nos autem in præſentia quemadmodum quidem poſſumus, ſtudiis veſtris obſequemur. Poſſumus autem ingenio ſane parum, uſu autem, atque experientia fortaſſe non nihil. Nam & nos cum uxore fuimus, id quod non ignoratis, aliquot annos; ex qua ſcilicet filium hunc meum, æqualem veſtrum ſuſcepimus, & permultos ſane, qui uxorem haberent, amicos, neceſſarioſque habuimus. Atque equidem, ſi quicquam id ad rem pertinere exiſtimarem, indicarem ſane vobis, utra mihi melius, jucundiuſque eſſet acta vita, eane, quæ fuit, cum uxorem habebam, an hæc, quæ poſtea ſit conſecuta. Verum cum utrumlibet ad caſum, atque fortunam referri poſſit, nihil me exſpectetis de me ipſo eſſe dicturum. Nihil enim, opinor, prohibet incidiſſe me in aſperum quoddam, ac difficile mulieris ingenium, cui fuerim ipſe inviſus, eaque mihi moleſta, atque odioſa; aut contra in placidum, & lene; idque ita cecidiſſe, non quod ſic ferat natura, ſed quia ita caſus tulerit. Neque enim, ſi cives noſtri, qui modo navigarunt in Cyprum, ſecundiſſimo curſu uſi eſſe dicuntur, ex eo efficitur, per id anni tempus uti non incommodiſſime, periculoſiſſimeque navigetur. Itaque de re ipſa, quæ ſentio, ea vobis exponam, quam accuratiſſime potero; de me ipſe ſilebo. Neque vero exiſtimare vos velim, neceſſariam quandam rem eſſe, uti uxorem habeamus. Solet enim tradi id quidem, extinctum iri genus humanum, ſi matrimonia tollantur: quod ſi parentes, majoreſque noſtri a conjugi-

jugibus, atque a nuptiis abhorruiſſent, nulli ſcilicet hanc lucem aſpiceremus, nuſquam omnino eſſemus. Quamobrem ajunt, cum ea, quæ certo quodam modo agi neceſſe ſit, in deliberationem cadere nequaquam poſſint, quid eſt, cur de ducenda, atque habenda uxore, ſine qua ſcilicet diutius futuri non ſimus, quam quantum unius hominis ætas fert, diſputemus, atque quæramus? Impietatis eſt hoc quidem de perdendo, ac tollendo hominum genere cogitare: id quod evenire neceſſe ſit, ſublatis nuptiis, matrimoniiſque repudiatis. Verum hoc, quod neceſſaria fortaſſe nonnullis ratione concluſum, atque effectum videri poſſit, mendam habet, & quidem, ne erretis, duplicem. Neque enim, ſi vel maxime vetitum, interdictumque lege ſit, omninoque non liceat uxorem habere, continuo gignendi, procreandique facultas ſublata ſit, ac ne omnino quidem comminuta. Quid enim dubium eſſe poteſt, quin primis illis hominibus uxoris, legitimique conjugii ignotum fuerit, atque inauditum nomen? neque eo tamen pauciores pro numero quidem parentum nati ſunt. Quod ſi marem certum certæ feminæ deſtinatum habere, ad uberiorem feturam, frequentioreſque partus valere compertum eſſet, non euſque hebetes ſunt, rudeſque ii, qui pecuariam exercent, uti non eundem in grege, atque armentis inducerent morem, quem utilem eſſe in hominibus animadverterent. Atque equidem citius minorem nobis eſſe civium numerum, propter nuptiarum, uxorumque morem, quam matrimoniis inventis auctas, propagataſque eſſe civitates dixerim. Quis eſt enim, quem non varietas, novitaſque invitet; uxoris autem ſatietas, tædiumque teneat? Sic eſt profecto natura, hujuſcemodi præſertim in rebus, ut etiam eorum, quæ optima ſunt, diuturnus uſus, atque affluentia ſatietatem, faſtidiumque afferat. Videre licet in cibis, ac ſaporibus. Nam qui domi, atque apud nos cum ſumus, quam minimo ſæpe ſaturi ſoleamus fieri, iidem foris cum cœnamus, cumque opipare magna ferculorum, condimentorumque varietate accipimur, ſaturari, explerique non poſſumus. Idem in his formis ſentimus, quibus oculi ſuaviter moveri ſolent. Idem in cantibus: malumus enim deteriorem, quam ſemper eundem, vel optimum. Valet igitur, ut ad guſtatum reficiendum, ſic ad jacentes reliquos ſenſus excitandos, varietas plurimum; uxoris autem diuturna conſuetudo, & copia obeſt. Ad hæc accedit, quod ceſſare coguntur viduæ, in otio eſſe multoties jam grandes natu virgines, quæ vel propter parentum tenuitatem, vel propter propinquorum negligentiam, ſerius pleræque collocantur, quæque ad explendam civitatem, niſi more prohiberentur, utiles eſſe poſſent. At Plato quidem (quo quis locupletiorem, quis ſanctiorem

teſtem

Digitized by Google

teſtem requirat?) civitatem exiſtimat cum initio inſtitui nullis certis uxoribus poſſe commodius, tum conſervari, durareque diutius. Quamobrem, quod ajunt, ſine matrimoniis, ac nuptiis extinctum iri genus humanum, id contra eſt. Augebitur enim potius magis, quam nunc, propter eas, quæ a me ſunt expoſitæ, rationes. Quod cum ita ſe ſe habeat, ſitque natura quidem non modo non neceſſaria quædam res matrimonium, ſed ne utilis quidem; tamen quoniam iis legibus, eoque more utimur, uti qui famæ, atque exiſtimationi conſultum velint (velle autem omnes debent) eos fere, cum uxorem duxerint, nunquam filios fateri ſe ſe ſuſcepiſſe ſuppudeat: faciamus ita eſſe, ut ajunt, oportere, aut etiam neceſſe eſſe vigere, & coli omni in recte inſtituta civitate matrimonia, neque omnino ſine nuptiis ſtare, atque hærere rempublicam poſſe; efficieturne ex eo, uti omnino ducenda uxor ſit? Atqui ita quidem videtur: quod enim ad conſtituendam, conſervandamque, atque ad augendam civitatem pertinet, id a ſe ſe rejicere, ac recuſare æquum eſſe videri non debet. Suſcipiendæ igitur nuptiæ, atque amplexandæ. Quamobrem præjudicatum jam de tota re, cauſſaque fuerit, niſi, adoleſcentes, ad hæc habetis fortaſſe aliquid. Quæ cum dixiſſem, paucaque illi inter se collocuti eſſent, videri ſibi rem, ajebant, ſecundum Thalaſſium, ſecundumque Hymenæum judicatum iri. Atque ego, religionem vos mihi quidem, inquam, injicitis: quominus mihi liberum eſt de nuptiis proferre quid ſentiam. Quapropter ea a me temperatio, eaque cautio adhibenda eſt, ut neque iſtos Deos retinere ipſe videar, neque, quod Ariſtophanes egiſſe in fabula dicitur, cum Sabarium, alienum, ac peregrinum quendam Deum e civitate ejicerent, expellere. Exponam igitur vobis commodorum, atque incommodorum in utramque partem rationes, quæque in mariti domum introduci, in eodemque conclavi, lectuloque una cum uxoribus pene collocari, manereque neceſſe ſit. Utra autem plus habeant ponderis, vobis dijudicare permittam, atque expendere. Ac video, in unaquaque re verum quod maxime ſit inveſtigantem, omni ejecto fuco, omnibus phaleris, alienisque detractis ornamentis, puram in primis, nudamque eam rem ipſam inſpicere oportere; ne ſcilicet inanium quarundam rerum, atque alienarum ſplendore præſtricta mentis, ingeniique, ac retenta acies ad ſolidum pervenire, penetrareque non valeat. Vereor autem, ne hoc vobis conjugii, matrimonii, fœderis, nuptiarum officiat, obſitque nomen. Quamobrem faceſſant paulliſper ſpecioſa iſta vocabula; totumque hoc, quod quale, quantumque ſit, quærimus, re, non verbis æſtimemus, ponderemuſque; ſitque id, quod iſti matrimonium tam digno, tam-

Digitized by Google

que gravi nomine appellant, perpetua omnium non bonorum modo, ſed commodorum etiam, atque incommodorum corporis, atque animi, omniſque omnino vitæ, fortunæque hominis cum femina ſocietas: quam nos ſocietatem utrum coiiſſe expediat, utrum ad officium pertineat necne, quærimus, adoleſcentes. In amicitia autem jungenda, ſive nos ad aliorum conferamus conſuetudinem, ſive alios ipſi in neceſſitudinem, atque amicitiam recipiamus, quam diligentes, quam ſolliciti, quam pene curioſi ſumus, qui paullo accuratius vivimus! anteactam enim omnem vitam eorum, quibuscum conjungi nos cogitamus, fortunas, mores quam accuratiſſime perquirimus, famam denique auſcultamus; atque integras mehercule nationes, quas arbitramur male audire, neque dignas eſſe, quas habere quisquam amicas velit, reſpuimus, atque recuſamus. Neque vero injuria id quidem: maxima enim res agitur, maximeque periculoſa, cum hominem unum, aut alterum, e tam magno ſcilicet numero, deligimus, quicum ſuaviter vivere, cui nos, noſtraque omnia concredere, & communicare tuto poſſimus. Quæ tamen res tam attente, prudenterque proviſa mirum quam paucis, quam pene nullis ex ſententia cadere, proſpereque evenire conſueverit. Mitto enim, quod magna eſt in quibusdam perfidia, ut nihil ſancti, nihil ſinceri, nihil omnino habeant religioſi, qui omnia ſuis commodis, ſuiſque cupiditatibus metiantur: quorum iniquitate, atque injuria efficitur, ut querelarum plena ſint omnia, amicos accuſantium, cum ſe deceptos, inductos, ſpoliatos, proditos queruntur ab iis, quibuscum multos annos conjunctiſſime vixerint, quosque ipſi plurimum dilexerint, se ſeque ab iis diligi magnopere exiſtimarint. Itaque quam exiguus in omni memoria numerus ſit eorum, qui vere, atque ex animo amici fuiſſe dicantur, tenetis. Quamquam non id requirimus nunc quidem, ſumme ut in amicitia legi obtemperetur, nihilo plus ut nosmetipſos amemus, nullaque omnino in re melius nobis eſſe, quam amico velimus; ſed ut hæc, quæ ad juſtitiam, fidemque pertinent, quæque maxima ſunt, taciti in præſentia prætereamus; quid quod tam eſt multorum difficilis, moroſa, aſpera, agreſtis, inepta natura, ut ferri, tolerarique non poſſit! Itaque diſſolvuntur hominum ſæpe non malorum conſuetudines, cum diſſimiles, contrariæque naturæ cohærere, & tanquam coaleſcere nequeunt. Loquacitate offendor ego vel maxime; diſputationes vero præſertim via, ac ratione ſuſceptæ, productæque me plurimum delectant; acutos, ingenioſos, alacres amo plurimum, idemque exagitandis, irridendiſque putidis quibuſdam, aut hebetibus hominibus, ipſe me putidiorem eſſe intelligo. Itaque ſunt, qui animadverſo hoc meo vitio

vitio (quo enim alio nomine appellem?) per tarditatis ſimulationem diu me ſæpe fruſtrentur. Effuſæ vero lætitiæ, cachinni, clamores ita odio mihi ſunt, ut ſtomachum plerumque faciant, meque in cubiculum intimum abdere multoties cogant. Quid quæritis? ſæpe me vicinorum aut latrans canis, aut major aliquis ſtrepitus domo ejicere ſolet. Atqui hæc, quæ me male mediusfidius interdum habent, alii ne ſentiunt quidem, ſunt qui delectentur etiam: eaque ipſa contra odio habeant, quibus ego oblector. Ita autem cogitare vos velim, ſic iſta eſſe levia, ut ea, cum præmeditati, contentoque animo ſumus, non maxima cum animi moleſtia ſemel, atque iterum ferre poſſimus; diuturna vero, familiarique, ac domeſtica in conſuetudine, atque animorum laxatione, & remiſſione uſque eo gravia, intolerabiliaque exſiſtunt, ut ferri nequeant. Multos ego novi, quibus nihil magis odioſum videatur, quam malitia, quam ſimulatum, quam multiplex, quam tortuoſum ingenium, ne ſi erga ſe quidem apertum, ac ſimplex idem, minimeque tectum, atque occultum fuerit: natura enim ipſa non probatur. At contra ſunt, qui hujuſmodi homines amplexentur, callidos, verſutos, frugi denique, ac prudentes appellent: ſimplices vero illos, minimeque perplexos, nulli rei, hebetes, ſtolidoſque dicant. Suſpicioſum autem amicum quis paullo diutius retinere poteſt, ne dicam, an mavult? Mollia itidem, teneraque ita quorundam ſunt ingenia, ut leviſſimo quoque ictu offendantur plurimum; quibus ſemper aliquid eſt, cur amico ſuccenſeant. Horum conſuetudines expoſtulationum, querelarumque ſunt plenæ, hoc eſt injucunditatis, atque triſtitiæ; itaque ſtabiles eſſe nullo modo poſſunt. Quid iracundi? nonne, ſimul atque excanduerunt, omnia in neceſſarios convicia intorquere eo liberius ſolent, quo tolerabilius ſe ſe ab amicis ferri intellexerunt? ſatiſque ſe ſe purgatos eſſe exiſtimant, ubi ajunt, cum jam deferbuerunt, iratus dixi, dictum hercle nolim; cumque ipſi minimam quamque ob rem tam furenter ſtomachari conſueverint, æquum ſe poſtulare exiſtimant, cum ferri ſuam præcipitem, contumelioſamque, ac furentem naturam, tolerarique petunt: cum iis placide, tranquilleque vivi penitus non poteſt. Sæpe evenit etiam, ut in amicos incidamus, qui commiſſa retinere nulla ratione poſſint: non malitia illi quidem, ſed vanitate quadam, temereque omnia effutiendi conſuetudine, quod ſane genus periculoſiſſimum eſſe ſolet. Quis eſt enim, qui non aliquando habeat aliquid, quod proferri, palamque fieri non expediat? Sed quid ego de prava familiarium, neceſſariorumque natura, aut more loquor? ſæpe mediusfidius ignoti nobis hominis ita inviſa, odioſaque occurrit facies ipſa, atque figura, no-

ſtrum ut animum ab illius natura refugere, atque abhorrere ſentiamus: ejus itaque non conſuetudinem modo, ſed etiam congreſſum, atque aſpectum, tanquam nocentium rerum tractationem, reformidare ſolemus; cumque iis ſi agenda nobis vita ſit, acerbiſſimam eam nobis fore putemus. Quorſum igitur hæc? ut intelligatis, omni adhibita cura, ſtudio, ac diligentia, addite etiam, ſi libet, prudentia, optabile tamen eſſe, uti ſtabilem, firmamque, ac diuturnam, eandemque jucundam, & ſuavem conjunctionem, neceſſitudinemque amicitiæ comparare nobis valeamus: tanta enim in varietate, diverſitateque animorum, ingeniorum, judiciorumque vota mihi potius facienda videntur, quam conſilio fidendum. Qua quidem in re illud tamen eſt commodi, quod liberæ ſunt hujuſmodi neceſſitudines. Quamobrem, ſimul atque tanquam urere nos conjunctionis vincula cœperint, relaxari noſtra eſt in voluntate poſitum; a quibus cum diſceſſeris, explicatuſque fueris, rurſus alia obſtringere, atque alia licet. Quæ cum ita ſe ſe habeant, videamus nunc ea, quæ arctiſſima, eademque perpetua, cum muliere ſancitur amicitia, in qua quamdiu quidem in vita uterque permaneat, tandiu velis nolis permanere cogaris, cujuſmodi eſſe poſſit. Nam primum quidem res genere ipſo, ac natura deterior, magis etiam temere ſuſcipitur: quas enim cautiones in facienda, atque ineunda cum viris amicitia adhibere ſolemus, eas in hujuſmodi ſocietate conjungenda, atque contrahenda neque magnopere attendimus, neque mehercule, ſi maxime cupiamus, licet: nulla enim in re tantum ſtudii, tantumque curæ poni a matribus videmus, quantum in eo adhibent, uti nuſquam adultæ jam virgines prodeant, nuſquam appareant, nuſquam ab alieno quoque conſpici poſſint. Itaque eam plerumque ducimus, quæ ne de facie quidem nobis nota eſt, quæque alba, atrane ſit, ut dicitur, ignoramus; præclareque nobiſcum agi putamus, ſi forte ea de re verbum unum, aut alterum exprimere de ſervo, ancillave potuimus, ſæpe multumque a ſocru ſubornata, atque inſtructa. Stultum ſane negotium, tantam rem, tamque periculoſam, tam negligenter, tam temere, tam nullo conſilio agi. At ædes quidem ſi forte mercamur, quam cauti, quam ſolliciti, quam attenti, ac pene putidi ſumus: neque enim ſatis habemus, ſi ſemel, atque iterum inſpectæ nobis fuerint: ſæpius accedimus, magiſtros, fabroſque adhibemus, amicos conſulimus, tempus, ſpatiumque ad deliberandum poſcimus. Atqui domo quidem incommode ſi forte habites, migrare licet, ab uxore non licet: ædes proſcribere nulla lege prohibemur, uxorem vero fas non putant extrudere: atque utinam id quidem: permulum enim eſſet de re, ut videtur, mala detractum incommodi;

modi; qua quidem in re (dicendum eſt enim quod ſentio) ſæpe equidem legis prudentiam requirere ſoleo, quæ eadem quam pene eſt anxia frivolis quibuſque in rebus! mancipium ubi venit, nominatim vitia dicenda ſunt, atque exponenda: niſi dicta ſint, præſtari oportet, redhibere jus eſt; uti ſcilicet ne propter te, fidemve tuam captus, fraudatusve ſim. Atqui ſervulum illum paullo minoris divendere, aut eo plane carere aud magno cum damno poſſumus; uxorem autem extrudere nullo modo licet: habenda mihi eſt, qualis, quantaque ſit, velim nolim: hærebit enim uſque invito: nulla mihi exceptio præſto erit, nulla in integrum reſtitutio, redhibitio nulla, quin ubi ſemel habuerim, habeam quamdiu vivam; neque quisquam eſt, quod legum, quod magiſtratuum, quod Deorum denique, atque hominum fidem implorem, neque quod inductum, ac deceptum per ætatem, atque imprudentiam in fraudem incidiſſe me clamitem: nihil eſt; tua eſt; tibi tuam, ajunt, habeas oportet. Itaque in negotio, omnium ſane maxime lubrico, ac periculoſo, cautio, quemadmodum ajebam, adhiberi omnino nulla neque ſolet, neque mehercule licet. Tum vero nihil eſt, quod legis auxilium, remediumve ullum exſpectare poſſis, quæ eadem parvula quaque in re captionis ſemper aliquid veretur, diligentiſſime cavet, ac providet. Quod igitur in viris perrarum eſſe oſtendimus, uti conſentientes, convenienteſque natura, ſtudiiſque, ac moribus congruentes amicos nacti, jucundi una in omni vita, libenterque cum iis eſſe poſſimus, neque in diuturna conſuetudine, atque convictu quicquam eveniat, cur conjunctionem inter nos diſtractam, & diremtam velimus; idque, cum multa, & clara habeamus veſtigia, quibus inhærentes eo pervenire nobis liceat, unde facile proſpiciamus, quo quiſque ingenio ſit; neque enim intra domorum parietes, aut in matrum gremio, ſed in foro, in curia, in publico denique vitam homines agimus: id, inquam, quod tam rarum, atque difficile inter homines inventu eſt, ubi ea tamen indicia, & ſigna ſint, quæ dico; in feminis ſua ſe ſe ſponte nobis oblatum iri putare, optantis mihi videtur eſſe potius, quam deliberantis. Quapropter hanc quidem, adoleſcentes, rationem audire, ſequique ſi volumus, quo ea nos deducat, quidve hortetur, videtis. Etenim ſi congruentem amici animum, ubi diu, multumque ſcrutatus fueris, ſingulaque perpenderis, difficillimum eſt inveniſſe; uxorem non pleriſque in rebus a nobis diſcrepantem nanciſci, ne ſperandum quidem ſit. Nihil eſt autem, adoleſcentes, mihi credite, difficilius, nihil acerbius, nihil omnino miſerius, quam dies, noctesque cogi una eſſe, atque habitare cum ea, quam aut non probes, aut non diligas, aut

etiam

etiam odio proſequaris, quamque tibi infenſam, inimicamque eſſe intelligas. Quid enim eſſe homini intolerabilius poteſt, quam eum locum (domum dico, lareſque) quem tanquam profugium, portumque a moleſtiarum, negotiorumque veluti fluctibus comparatum habeat, quoque ad animi, corporiſque neceſſariam, quotidiananque relaxationem, ac requiem recipere ſe ſe ſoleat, infeſtum, turbulentum, rixarum, querelarum, jurgii, atque tumultus plenum, refertumque offendere; neque tanti mali finem, auxiliumve ullum, præter unam, tanquam venenum ebiberit, mortem exſpectare? Quæ ſi in mentem venirent, aut ſi cogitare, audireque vellemus, non tam inconſiderate, tamque temere rueremus. Sed eo plerique fallimur, id quod ancipiti, periculoſaque in re perſæpe uſuvenire ſolet, quod ea nobis proponimus, eaque animo ſpectamus, atque intuemur ſolum, quæ utilitatis, oblectationis, jucunditatiſque ſpeciem habeant: quod vero tetrum, aſperum, perniciosum, anxium, difficileve ſit, quomodo experiendo reformidamus, ita cogitando verſari in eo animus non vult, mensque ipſa refugit. Quotum enim quemque exiſtimatis in prælium, in ipſamque aciem, manuumque conſertionem, alacritatem illam allaturum, quam in pleriſque videmus, ſi vulnera, ſi cruores, ſi membrorum diminutionem, ſi captivitatem, ſi ſervitutem, ſi mortem denique ante oculos animo, ac cogitatione propoſitam haberent? Sed ita fere natura comparatum eſt, ut quæ intemperanter concupimus, eadem ſperemus temere. Itaque dum victoriam, dum prædam, dum hoſtium ſpolia, manubiaſque animo verſant, & mente, maxima, certiſſimaque pericula, neque extimeſcunt, neque omnino reſpiciunt. Summo loco natam, eandemque forma, & ſpecie quam maxime liberali, optimeque inſtitutam, atque educatam ingenuis moribus virginem, quæ iisdem, quibus nos, rebus moveatur, quæque de noſtra voluntate, noſtroque de nutu pendeat, quemadmodum uxorem obtingere nobis concupivimus, ita quaſi certo futurum ſit, etiam cogitamus; quæ quidem res maxime nos adoleſcentes in fraudem inducere ſolet. Quod niſi cupiditate cæci, conniventeſque duceremur, ſed rerum naturam aſpicere, intuerique vellemus, facile cuivis eſſet intelligere, cum pauci admodum ſint, atque aud ſcio an nulli, quos non aliquando uxoris, ut leniſſime dicam, pœniteat ſuæ, cujus ſit ſtultitiæ ſperare, præcipua quadam nos ſolos fortunæ, deorumque benignitate uſuros. Quamobrem, adoleſcentes, maximum periculum eſt, uti nihil tam longe ab omni vitæ tranquillitate, atque animi quiete disjunctum ſit, quam iſta conjunctio, ſocietaſque, quod nos matrimonium appellamus. Nam primum quidem nobilitatem, amplitudinemque

que familiæ (id enim maxime in matrimoniis ſpectare, atque in primis expetere ſolemus, in quo quidem falli, errareque non poſſumus) aut cum viris commune mulieres habent, aut cum maxima virorum, intolerabilique cum moleſtia, tum etiam damno, ac jactura proprium. Cavete enim quicquam cum in ſermone elatius, tum in ſumtibus effuſius, tum vero in conſuetudine, atque convictu moroſius, aut contumacius eſſe exiſtimetis ea femina, quæ ex clara ipſa familia, atque illuſtri in obſcuram, ignobilemque domum nupſerit: omnibus enim horis majorum ſuorum res geſtas jactant, atque habent in ore, de quorum honoribus, laudibus, magnificentia, gloria nunquam intermittunt prædicare, ac loqui; maritos vero aſpernari, contemnere, dignos negare, a quibus ſui ſimilis mulier ne tangatur quidem; fortunas ſuas deplorare, ſe ſe miſeras, infeliceſque dicere, quæ in plebejam domum e tam clara, tamque nobili migrare coactæ ſint; tenuem, ſordidum, humilem mariti victum, cultumque accuſare, affines omnes nihili facere, invite accedere, ægre ſalutare, nunquam vocare, nunquam reſpicere; cum interea maritus miſer intra domus ſuæ parietes, ſuperbiſſimæ dominæ ſerviens, nihil obſequio, nihil indulgentia, nihil patientia, nihil, cum ſe denique intolerabili ſumtu inanierit, proficere poteſt, cumque omnis familia, omniſque cognatio, propinqui omnes, omnibus relictis rebus, in eam curam, uti mulieri ſatisfiat, incumbant, fruſtra ſe ſe operam, ſtudiumque poſuiſſe, quotidie magis intelligunt. Omnia enim illa cum animo aſpernatur, tum ſermone contemnit, tum vultu, nutuque ſuperbiſſime deſpicit; quo quid poteſt eſſe miſerius? Etenim ſi in libera civitate aliquem exſiſtere, qui cum pari, æquabilique jure uti debeat, ita ſe ſe tamen comparet, uti parere illi, atque obtemperare reliqui cives cogantur, ferri non poteſt; quanto in ædibus quiſque ſuis intra domeſticos parietes, paternoſque lares ferat acerbius eam, quam natura ad parendum homini procreavit, mores inſtituerint, leges coegerint, imperium, regnumque, atque adeo tyrannidem occupaſſe? Mihi credite, non poteſt inter hæc incommoda, interque iſtas turbationes, moleſtiaſque vita placide, tranquilleque degi. Quamobrem id, in quo falli non poſſumus, cum iſtam conjunctionem inimus, cujuſmodi ſit, ſane videtis. Age vero formæ ſpeciem, quam animo, & cogitatione conceptam habent, quæque in hac cauſſa, & deliberatione imperitam, cupidamque ætatem veſtram ſæpe hortari, atque impellere ſolet, quanti denique faciendam eſſe exiſtimatis? Mitto, quod temere in eam ſpem veniunt, uti formoſam ſe ſe ducturos confidunt: quid enim ſperent? cum natura ita certe tulerit, ut deformium fere infinitus ſit numerus, for-

formoſarum vero ſane perexiguus. Itaque ſingulis in civitatibus eximia quadam pulchritudine mulieres vix ſingulæ dicuntur oſtendi. Sed fingamus nos fortunatos, faciamus felices, quibus procera mulier, aptiſque, ac conformatis lineamentis, concinna quadam, ac præſtanti membrorum compoſitione, nullo noſtro labore, aut diligentia, ac ne conſilio quidem uxor obtingat; quid putatis? primis mehercule ſex menſibus ad faſtidium ſatiati, expletique erimus. Fui ego in adoleſcentia natura quidem mulierum amator (indicare enim vobis optimis adoleſcentibus volo) neque ulli omnino cupiditatis generi difficilius reſtiti, quam huic; vere tamen dicam, nunquam memini, me tam cupidum, atque alacrem ad eam, quam amarem, acceſſiſſe, quin multo cupidius, multoque libentius diſceſſerim: cumque noctu, ita uti fit, interdum admitterer, poſt primos illos congreſſus, ubi ſumma cupiditas, ardorque reſtinctus eſſet, memini, mihi longiſſimum fieri ſolere, ut luceſceret. Quod ſi pluſculæ deinceps noctes caſu aliquo concedi mihi contigerat, maximam animo moleſtiam capiebam; verum ne ea deſpici ſe ſe putaret, invitiſſime tamen adibam: itaque nihil frigidius, nihil languidius, inſipidiusve illis noctibus. Quamobrem ita, adoleſcentes, habetote, nullam rem eſſe, quæ tam celerem habeat ſatietatem, quam mulier, præſertim ſine varietate: occurrit enim omnino faſtidio novitas; copia autem ſemper eadem ſatietatis eſt mater. Quid enim nonne hic meus vicinus (neque enim obſcura res eſt) cujus uxore quid poteſt eſſe aut aſpectu pulchrius, aut cultu, moribuſque elegantius? ſed hic tamen ita eſt ſatietate propter hujuſce diuturnam copiam affectus, ut ne una quidem cubare jam poſſit: atqui idem vulgatiſſimum quodque ſcortum dicitur conſectari. Quæ quidem conſuetudo (ne forte erretis) maritorum eſt omnium, ut uxoribus, vel formoſiſſimis, ancillulam quamque præferant. Ejus igitur voluptatis cauſſa, quæ vel ſaturitate ipſa quam celerrime moritura ſit, quæque audquaquam magno labore aliunde æque magna ſumi poſſit, quam ſtultum ſit omnes vitæ rationes pervertere, atque conturbare, nemo eſt, qui non videat. Huc accedit, quod audquaquam diu oblectare ipſa nos uxor poteſt, ne ſi maxime quidem ejus nos formæ, ac pulchritudinis cupidi permaneamus, neque ulla ſatietate, aut faſtidio teneamur. Nihil eſt enim, quod defloreſcat ocyus, quam vigor ille, & tanquam ætatis viriditas in feminis: quæ enim ſemel, atque iterum peperit, eam jam aſpicitis nulli. Excreſcunt enim mammæ, fluuntque; membra vero, in quibus mollitudo vigens, & ſolida quædam inerat lentitudo, ad omnem jam attrectationem ſine ſucco langueſcunt; coloris autem ſuavitas, oculorumque flagrantia

tenc-

tenebris neſcio quibus offunditur. Itaque fuco, & pigmentis illitæ ſæpe riſum, nonnunquam etiam ſtomachum movent. Omitto proprios quoſdam mulierum morbos, certaſque, & tanquam ſolennes ægrotationes, quibus neque aſpectu quicquam, neque odore gravius, aut tetrius eſſe poteſt. Fœtet (inquit ille) anima uxoris meæ: atqui complectare tamen, deoſculeriſque eam neceſſe eſt cum illo ſuo fœtore, cum ea habites, cum ea pernoctes; aut certe ejicieris cum iſtis faſtidioſis ſenſibus foras. Quamobrem nihil eſt, quod formæ moveamur dignitate, aut potius ejus rei non tam ſpe, quam nullam habere deberemus, quam cupiditate; tum quod faſtidio, & tanquam ſaturitate ab ea quam celerrime abalienamur. In deſiderio enim eſt jucunditas omnis, non in ſaturitate poſita; tum quod caduca ipſa per ſe, minimeque diuturna. Qua enim ætate viri maxime vigent, ac florent, ea mulieres jam exoletæ putantur: imbecillum enim, ac molle, & delicatum corpus, plurimis, maximiſque incommodis gravatum, & pariendi doloribus quaſſatum, cito ſeneſcentis ſpeciem habet. Quapropter magnopere vobis, adoleſcentes, cavendum videtur, ne quam leviſſimæ, quamque maxime facilis, communiſque, ejuſdemque breviſſimæ voluptatis illecebris capti omnium incommodorum, omniumque moleſtiarum genere irretiri vos patiamini; idque cum ex iis evolvi, explicarique laqueis in omni ætate fas non ſit. Quæ cum dixiſſem, ſentiebam equidem, paullo me vehementius agere, quam diſſerendi ratio, ac diſputandi modus, ac lenitas poſtularet; ſed mos Critoni gerendus erat neceſſario meo veteri, quique horum, qui aderant, adoleſcentulorum patruus, idemque nepotum eſſet curator, unus omnium amantiſſimus, ac diligentiſſimus, qui cum pridie ejus diei ad me veniſſet, impenſe oraverat, uti eorum animos a ducenda uxore deterrerem, quam maxime poſſem: ſic enim ajebat, certas quaſdam ob cauſſas, eorum rationibus adhuc quidem vel plurimum conducere. Itaque cum commoveri eos animadvertiſſem, orationis meæ curſum, paullo ſane concitatiorem, non cenſebam retardandum; atque inquam: formæ igitur dignitas, pulchritudoque ipſa fragilis quædam res eſt, atque infirma, & caduca; quæque, ut floſculi ad omnem auræ flatum decidunt, ſic leviſſimo quoque incommodo intercidere ſoleat. Si paullo, quam conſueverint, ſerius cubitum ierint, ſi tempeſtivius ſurrexerint, dici non poteſt quanto ſint inſuaviores, ingratioreſque; ſimul vero atque caput condoluit, nullis oculis aſpici poſſunt: exſiſtit enim in genis livor quidam teterrimus, facies macie decolorata omnem dignitatem, omnemque venuſtatem amiſit. Sunt autem ad ægrotandum multo mulieres, quam nos, procliviores non propter eam modo, quam dixi, cauſ-

ſam, quod natura imbecilliores exſiſtunt; ſed etiam quod pleræque cibi, eiſque nocentium maxime rerum appetentes, exercitatione utuntur nulla: morboſa autem femina, cujus integra valetudine multa tamen male olere neceſſe ſit, quid poteſt eſſe terrius, aut fædius? Quid enim? Egone vobis, adoleſcentes, ea in hoc genere exponam, atque commemorem, quæ ſine nauſea ne taciti quidem cogitare poſſumus? cum præſertim ita aperta ſint, ut ea ignorare nemini liceat. Etenim quam multas quotidie videmus, quarum attrectatione, tanquam fædæ, lutulentæque rei contactu, inquinari te putes? quibuſcum dormire, pernoctareque ut velis, nulla mercede, nulla omnino conditione adduci poſſis. Harum ego vos aliquam, adoleſcentes, vobis uxorem obtigiſſe parumper fingatis animo velim: qui enim ſcire poſſumus, non ejuſmodi, aut etiam magis turpem eventuram, e tam magno præſertim numero? cum noſtro quidem more eam ducimus, cujus aſpiciendæ facultas tum demum datur, cum non jam integrum eſt recuſare. Cogitate, per deos immortales, quo tandem animo futuri ſitis, cum a foro, atque a laboribus, feſſis vobis, domumque ad quietem abeuntibus, cadaveroſa oris macie, dentibus putridis, impura anima, eminentibus, perverſiſque oculis mulier, inſigni quadam totius corporis pravitate prædita occurrit ad januam, in cujus ſcilicet jucunditate, ac ſuavitate omnem deponere languorem, omnem liceat moleſtiam abjicere. Cubitum autem ire cum cogemini, nonne ad ſupplicium trahi vos ducetis? Quid vero amplexari vos, deoſcularique cum volet, nonne in cœno vos, atque in cloaca convolvi, convolutarique exiſtimabitis? Cum oboluerint autem alæ, reliquæque corporis partes, multo cum aſpectu fædiores, tum odoratu plane intolerabiles, qui poteritis non modo voluptatem, ſed ne ſomnum quidem totis illis noctibus capere? Quamobrem ſic habetote, primum nihil eſſe, cur ſperemus, in tanta deformium mulierum celebritate, ac frequentia, formoſam nobis nullo noſtro conſilio eventuram, neque ſi maxime evenerit, diuturnam tamen eam fore voluptatem, tum quod reſtinguitur ſatietate cupiditas, tum quod fragilis res pulchritudo eſt, & caduca; deinde ſi in deformem incidamus uxorem (idque maxime eſt in proclivi) in ſummo nos tanquam cruciatu, ac ſupplicio ætatem eſſe acturos; poſtremo ut nobis uxor uſquequaque (id quod eſſe non poteſt) ſatisfaciat, ſemperque nos illius deſiderio, cupiditate, amoreque teneamur incenſi, ne ſic quidem placide, jucundeque ea frui licebit: neque enim ſine querela, & litibus, ſineque diſſidio ulla conjunctio eſſe poteſt, quæ non mutua ſit, ac voluntaria. Quamobrem non magni faciendum eſt, ad vitam quidem placide, jucun-

cundeque degendam, quod ex animi noſtri ſententia conjugem habeamus, quam toto (ut dicitur) pectore diligamus, atque amemus, niſi nos quoque mutuo illi probatos, caroſque in primis eſſe ſentiamus. Quæ enim poteſt eſſe in ea ſocietate, & vitæ communitate ſuavitas, in qua alter invitus, nolensque contineatur? quæ porro voluptas ullo in congreſſu, quæ non par exſiſtat, mutuoque reſpondeat? Poetæ quidem; quorum ego vix jam memoriam retineo, hæc animadvertere, niſi fallor, ſolent: *Te tenet, abſentes*, inquit, *illos ſuſpirat amores*. Non ſatis ſcilicet exiſtimat illum habere debere, quod eam teneat, quod amplexetur, quod fruatur, niſi illa quoque eadem in voluptate ſit. Itaque idem tum ſe atrociſſime exſecrari exiſtimat æmulumne, an maritum? neque enim ſatis in memoria habeo, vos vero decet, propter ætatem ſcilicet, & mehercule quemadmodum de patruo audire ſoleo, etiam propter ſtudium, ſed exſecrari tum ſe velle maxime ille putat, cum ait: *Tecum interpoſita languida veſte cubet*. Quod cum ita ſe ſe habeat, ſitque fatuitatis, ſtultitiæque vel ſummæ in tantis maritorum querelis, uxores, ipſumque matrimonium accuſantibus, ſperare ſe ſe uſque eo deos amicos, propitioſque habiturum, ut quod ſingulis in civitatibus vix ſingulis obtingere ſoleat, ut uxoris eos non pœniteat ſuæ, id ſibi facile eveniat. Tum vero illud eſt hominis ſtultiſſime arrogantis, eum ſe ſe eſſe arbitrari, quem mulier unum omnium, non maxime modo, ſed etiam ſolum in omni vita ſibi velit, ſibi optet, ſibi expetat, varium natura animal, mutabile, idemque faſtidioſiſſimum: commovetur enim mulier leviſſima quaque offenſiuncula, & commutatur. Itaque ipſa mediusfidius cum matre, cujus in liberos quid amore ardentius, quid indulgentia lenius excogitari poteſt? quam ægre tamen, ac difficulter vivimus! cum qua tamen nullæ ſuſpicionis, nullæ diſſenſionis, nullæ poſſunt eſſe diſſidii, nullæ omnino altercationis cauſſæ: ſed ita ſua ſponte ſunt mulieres concitabiles, ita ad omnem indignationem pronæ, ac proclives, ut nulla illis obſervantia, nullis omnino obſequiis ſatisfieri plane poſſit. Videtisne igitur, adoleſcentes, in quam æſtuoſum, ac turbulentum mare ſe ſe dedant ii, qui ſpreta, ac relicta cælibe, ac quieta, liberaque vita uxorem ducunt? in quo recto, ac tranquillo curſu ſiqui ſunt, qui utantur, aut ſi quisquam unquam uſus eſt, magnam ille Fortunæ, ac Neptuno gratiam habere debet. Nam quod conſilium quidem, artemque ille ſuam, ac gubernationem jactet, jure eſſe (mihi credite) nihil poteſt. Sed heus, vos, inquam, neque enim ignorare vos arbitror, hunc filium meum paucis diebus in Britanniam cum triremibus navigaturum; neque enim, opinor, celatos vos ha-
 buit,
Digitized by Google

buit, amicos ſcilicet ſummos, atque æquales ſuos, eo ſe ſe a patruo ſuo, fratre meo, maximopere accerſiri: huic ego, pro meo paterno ſcilicet amore, tam longæ, atque incommodæ navigationis ſocium, comitemque jamdudum quærito, atque ea me res admodum ſollicitum habet, unicum, quem habeam, in tam periculoſum iter committi; ſed fratri negare tantopere poſtulanti neque audeo, neque mehercule decet. Ille enim ſuis opibus, ſuaque benignitate ſemper noſtram ſuſtentavit inopiam: nam nos quidem clementem hanc, quod vos non ignoratis, atque otioſam vitam ſecuti, ætatem in otio, atque in literis egimus domi; neque reipublicæ, neque vero privatæ ullam præcipuam dedimus operam, præterquam ſi lege, aut neceſſitate cogeremur aliqua. Hunc ille filium accerſit, quem ſcilicet opum, copiarumque ſuarum, quas multas ſane, atque uberes, cura, ac labore ſuo partas, habere dicitur, rationes edoceat, quemque heredem unicum tantarum faciat fortunarum: qua quidem in re tametſi perbenigne illum agere nobiſcum intelligo, planeque fraterne, injuriam pene mihi fieri tamen exiſtimo, cum cariſſimus mihi, jucundiſſimuſque eripitur filius, quem ſolitudinis, ſenectutiſque ego meæ ſocium, profugiumque unicum haberem. Veruntamen, quando fratri ſic de nobis merito gerendus eſt mos, neque omnino negari illi quicquam poteſt, in eam, quemadmodum ajebam, nunc curam incumbo, uti comitem illi unum, aut alterum in iſtam navigationem dem: multi autem in mentem veniunt, quos libenti animo hoc iter una ſuſcepturos certo ſciam; deliberare autem adhuc quidem, quem potiſſimum deligam, nequeo. Quamobrem ſuſcipite vos quæſo mecum hanc, adoleſcentes, parumper cogitationem: nam mihi quidem homini iſtarum rerum ſcilicet imperito, quippe qui non ſæpe domo, urbe quidem certe nunquam abfuerim longius, id occurrit in primis, uti e vobis affinibus, neceſſariiſque noſtris, atque hujus æqualibus, extorrem aliquem, eumque ex eorum potiſſimum numero, quibuſcum hic, dum fuerit, libentiſſime victitarit, quoſque dilexerit plurimum; puto enim fore, uti navigandi labor, patriæque, ac noſtri deſiderium jucunda ea conſuetudine quam maxime leniatur, ac ſubleveturː qua quidem de re quid vos ſentiatis, adoleſcentes, libenter equidem audierim. Quæ cum a me dicta eſſent, nonnulla illi inter ſe collocuti ſunt, quos equidem ad aurem inſuſurrantes audire non poſſem, ſed eorum, qui major eſſet natu, tametſi, inquit, nihil nos aliter ſentire decet, atque tu iſta ætate, iſtaque prudentia judicas; tamen exiſtimabamus nos quidem, non tam egere natum tuum in iſto itinere, atque labore, ſolatio, aut oblectamento aliquo, quam eo, qui moni-

tor

tor in periculis, atque adjutor eſſe poſſet. Quapropter multo ſe illi proſpecturum melius arbitrabamur, ſi non unum aliquem e nobis, qui ex iis lacunis nunquam enatavimus, itineris, mariſque inſolitum, comitem adjunxeris; ſed eum maxime uti deligas, auctores nos quidem tibi ſumus, qui firmus ipſe, multoque rerum uſu, nationum, orarum, locorum, navigandique peritia infirmam, atque imperitam filii tui regat, ac tueatur ætatem. Nam ad militiam, inquam, ſi proficiſcatur, non tironi eum cuipiam credo commendarim, cujus utatur contubernio; ſed firmato jam potius uſu, atque exercitationibus militi veterano, qui, ubi opus ſit, conſilio illi, manuque præſto eſſe poſſit. Iſto modo prorſus, inquit: atque ego, quid reliquis, inquam, in conjunctionibus nonne id maxime ſpectare ſolemus, ut quem nobis adjungimus ſocium, is non ſemper noſtræ egens ſit opis, ſed mutuam contra nobis ipſe operam navare pariter poſſit? ſane, inquit. Sed quid iſtuc tandem eſt? aut quid ad ea, de quibus agimus pertinet? nihildum, inquam; verum quid vitæ hic humanæ curſus, nonne vobis longæ cuidam, variæque, ac turbulentæ navigationi ſimilis eſſe videtur? Etenim cum e magiſtri, aut parentum cuſtodia exceſſimus, noſtrique juris eſſe cœpimus, tum quaſi navim conſcendimus, mox portu ſolvimus: alius alia leniori utitur ventorum aura: navigamus certe omnes: qui patrimonium ſumtibus exhauriunt, atque offundunt, ii navim evertunt; qui vero ambitioni, & gloriæ ſe ſe dediderunt, qui ſimultatibus, & litibus jactantur impliciti, ii mare infeſtum habent, & vento utuntur vehementiori; qui vero ludis, atque amoribus, laſciviaque tanquam ſirenarum cantu deliniti, ad reliqua omnia pene obſurduerunt, ii ad ſcopulos adhæreſcunt, neque avelli poſſunt. Sunt quorum bonitati, atque ſimplicitati ab improbis, & callidis, maleficiſque hominibus tendantur inſidiæ, qui omnibus fortunis, per imprudentiam, perque animi imbecillitatem quandam ſpoliati, in piratas incidiſſe putandi ſunt: illi vero a portu diverſiſſimi in vadis retinentur, e quibus emergunt nunquam, quorum animus inexplebili avaritiæ cupiditate oppreſſus, atque anxius extolli non poteſt, neque enatare e fundo, prætervehique ullo modo valet. Quid, qui omnium generum facinoribus, ſceleribuſque contaminati, atque imbuti agitantur? nonne inter ſyrtes, excuſſo e manibus clavo, incerto feruntur curſu, neque conſiſtere poſſunt? Quorum vero amici, neceſſariique moriuntur, ii jacturam facere videri debent, aut privari vectorum conſuetudine, naviculariorumque opera, atque uſu neceſſario. Quid quæritis? pauci admodum, atque aud ſcio an nulli, velis paſſis ita in portum pervehuntur, ut non aliquando tempeſtatem, mariſque

Digitized by Google

riſque æſtum experiantur, & reſtantibus rejiciantur ventis. Atque ille, ſane, inquit, iſto modo ſe res habet; tametſi nos quidem propius adhuc abſumus a portu, atque terra, necdum altum tenemus; ſed tamen hinc jam proſpicere nobis licet, per quæ, quantaque pericula prætervehendi ſimus. Itaque tibi concedimus (ut pro iis etiam reſpondeam) perſimile videri, quod a te de vita hominum, & navigatione dictum ſit; verum, quorſum iſthæc pertineant, equidem perſpicere nullo modo poſſum. Quoniam, inquam, ſi in eam navigationem, quam ſuſcipere filius hic meus cogitur, eum ſocium comitemque exquirimus, qui ipſe, quemadmodum a vobis amantiſſime ſum admonitus, natura valens, robuſtuſque, uſu vero, atque exercitationibus confirmatus ſit, quique omnes nationes, omnes portus, omnes oras notas habeat, qui tempeſtatum ſigna, qui ventorum, mariſque naturam teneat, eoque quam exploratiſſime, quamque tutiſſime naviget; in iſtam alteram tam ſcopuloſam, tamque infeſtam, minimeque portuoſam vitæ navigationem, multo nobis ſcilicet impenſius agendum, curandumque eſt, uti eos nobis ſocios adjungamus, qui regere nos, ubi tempeſtas inciderit, valeant, qui ſcopulorum, qui prædonum, locorumque rationem percipere, qui venientem longe proſpicere tempeſtatem, declinareque una nobiſcum tum velint, tum etiam norint. Quod cum ita ſe ſe habeat, videamus, hæc, de qua jamdudum agimus, comes, ſociaque uxor vitæ ecquas opportunitates ad ſecundum, rectumque curſum habere poſſit. Primum debilis ipſa per ſe, atque ad omnem ſuſcipiendum, ſuſtinendumque laborem cum imbecilla, tum etiam ignava, obque id ipſum in ſumma feſtinatione, ſummoque verſantes nos in periculo cunctari, ac tardare cogens; deinde omnium rerum, actionumque non imperita modo, & inſolens (quod tamen maximum in hujuſmodi ſocietate incommodum haberi debet) ſed etiam indocilis, magnæque ipſa opis, conſiliique egens; poſtremo quæ ad ea, quæ ſua ſponte, innumerabilia vita habet incommoda, multo graviora, longeque plura ipſa communem in domum, tanquam in navim conſcendens, importare, atque imponere ſolcat. Grave eſt enim omnino onus paupertatis, iis præſertim, qui locupletes, opulentique cum fuerint, in egeſtatem inciderunt nec opinatam: quo quidem in onere ferendo tantum abeſt, uti ab uxoribus allevemur, ut non maxima nos calamitate affectos eſſe exiſtimaturi ſimus, ſi ſine uxore eadem utamur fortuna: aggravat enim egeſtatem, ærumnoſamque, & ſpecie ipſa miſerabiliorem efficit flens, se ſeque noctes, & dies afflictans mulier: liberos vero cum aſpicimus, qui noſtra ſæpe cauſſa tolerabiliter eam calamitatem laturi

fue-

fuerimus, lacrimas non tenemus. Quo fit etiam, ut quibus uxor, liberique ſint, nullum paullo fortius ſuſcipere facinus audeant. Magna eſt enim parentum, ac plane immoderata in liberos caritas, amorque nimius; quibus dum bene uti ſit, ſtudent, fortitudinis, juſtitiæ, officii, in patriam etiam caritatis obliviſcuntur. Poſſum equidem quamplurimos cives noſtros commemorare, quorum in omni anteacta vita vigens animus, fortiſque cum fuerit, ubi uxorem duxerint, liberoſque procrearint, ita ſint molliti ea, quam dico, caritate, atque amore, ut nihil poſtea viro dignum ne cogitarint quidem; verum cum res ipſa palam ſit, quemquam nominari nihil attinet. Eſt M. Bruti, ejus qui Cæſari occidendo interfuit, ad T. Pomponium Atticum epiſtola, in qua vana quædam illum de republica ſperantem, ait, ſe ſe non reprehendere quem cum ætas, tum vero liberi ſegnem efficiant. Sic eſt profecto, adoleſcentes, ut quiſque ſe, ſuoſque maxime diligit, ita reliquas plurimum res, rationeſque contemnit. Nemo eſt enim, qui non jure ſe ſe rei, pecuniæque avidiorem eſſe exiſtimet, cui liberi ſint: eorum enim cauſſa, non ſua, rem ſi paullo attentius faciant, agere ſe ſe dictitant; legitimum autem militiæ, itineris, legationis, periculi munus cum ſubterfugere conantur, eadem liberorum utuntur excuſatione. Enervat itaque virtutis matrimonium vires, animoſque hominum languefactos, & mulieris longa conſuetudine, tanquam contagione quadam, effeminatos emollit. Nihil enim tam ad mutandas, depravandaſque hominum mentes, moreſque, quam conſuetudo, & convictus valet. Exilii autem tempeſtas quanto nobis turbulentior, aſperiorque propter hanc ipſam cauſſam fieri ſolet, quod liberis, conjugibus aut caremus, aut quos beatos, feliceſque eſſe maxime cupimus, eos propter nos miſeros, calamitoſoſque videmus eſſe? Quam autem nobis aut in egeſtate opem, aut in exilio ferat ſolatium, auxiliumve mulier, lacrimarum, ejulationis, doloris, ſqualoriſque primum plena, deinde fracto, abjectoque animo? ut & conſilio ipſa, & auxilio una omnium maxime egeat. Conſilium autem qui a feminis aut exſpectant, aut poſtulant, irridendi, adoleſcentes, ſunt. Id enim exſpectant, quod neque uſquam eſt, neque omnino eſſe poteſt. Neque vero in bello utile genus eſt mulierum: ita enim eſt natura fictum, & conformatum muliebre primum corpus, ut appareat, earum operam ad pacem, atque ad otium accommodatam, cum inter amicos maxime vigere poſſit, nullum habere inter hoſtes, interque arma locum: qui enim ferant ore tam delicato, tamque molli cervice non galeam modo, ſed ne pulverem quidem, & ſolem? mammarum autem eminentiam, alvumque turgentem, & tumidum

quam

quam in loricam concludere poſſint ? ne in equis quidem ſedere (tametſi de Amazonibus multa dici ſolent, ſed fabulis poetarum apta magis, quam vero ſimilia) ullo modo propter eum, quem dixi, alvi tumorem, propterque totius corporis mollitudinem, imbecillitatemque poſſunt. Deinde ut ſint quantumvis robuſta mulierum corpora, habiliaque; ita tamen eſt in illis ab eadem natura tener, molliſque, atque infirmus inditus animus, ut ad omnem paullo aſperiorem horreſcant aſpectum, ad omnemque ſtrepitum contremiſcant, & concidant. Vulnera vero, cædemque, & cruorem aſpicere omnino non poſſint. Ita cum ſanguinem Medici mittunt, aut abire, aut avertere ſe ſe mulieres ſolent. Quamobrem ab omni bellorum cum tractatione, tum etiam adminiſtratione removendæ mulieres ſunt. Tametſi non me præterit, hoc quidem de feminis ſecus a nonnullis ſolere præcipi, qui quidem quam ſint rationem ſecuti, ipſi viderint: nos mores, naturamque noſtrarum, certe ab omni bellorum tumultu abhorrentem, videmus. Age vero, miſſam faciamus militiam, vacareque eas præſtanti hoc, præcipuoque in republica munere permittamus. Quid domi, quanam potiſſimum in re muliebre ingenium, aut induſtriam pollere dicimus ? quis in judicium advocatam unquam adhibuit feminam, qui ſanus modo ipſe, mentiſque compos eſſet ? in curiam vero ne leges quidem ſinunt, cum cogitur ſenatus, venire eas, atque adeſſe; quippe quarum mens nullam capere poſſit prudentiam, omniſque omnino ordinis, rationis, conſiliique ſit expers. Eſt enim noſtrum inter genus, atque pecudum vim, omnino mulierum media, atque interjecta natura, ſed ſpatio audquaquam pari: multo enim propius ad belluarum ruditatem, quam ad virorum abſolutionem, perfectionemque accedunt. Ac ne in operoſis quidem, ſordidiſque artibus mulierum uſus eſt ullus. Itaque eas intra domorum parietes in otio videmus ſeneſcere, quarum ſe ſe interea viri omnibus excrucient corporis, atque animi laboribus. Quare cum una modo opera ſit, quam dare nobis feminæ præcipuam poſſint, ea ipſa longe ingratior, inſuaviorque eſſe ſolet, cum ab uxore, quam cum ab aliena præbetur. Qui igitur vitæ ſibi ſociam mulierem adjungunt, quam prudenter faciant, jam puto intelligitis, adoleſcentes. Ii ſi in alto fluitant, ſi tempeſtatibus agitantur, neque habent, unde ſibi auxilium aut ſperent, aut poſtulent, non tam fortunam accuſare, quam ſe ſe, ſuamque ſtultitiam debent. Natura enim, non caſu mare æſtuoſum eſt, ac turbulentum; quod cum tranſire cogereris, quid erat, cur tanti periculi, tamque magni laboris tute debilem, imbecillamque mulierculam comitem tibi deligeres ? Atque utinam id tantum haberet incommo-

commodi uxor: præclare enim nobiſcum ageretur, ſi nulla in re illius opera, aut conſilio uteremur, modo ne ipſa tam crebras, tamque intolerabiles nobis moleſtias, ſollicitudines, detrimenta, damna, dedecora excitaret. Plenum eſt mulieris ingenium fallaciarum, plenum fraudis, plenum malitiæ: ubi enim virtutis minimum, ibi fraudis, dolique mali plurimum. Itaque nihil unquam ſincere, nihil vere, nihil bona, ut dicitur, fide feminæ agunt: quo enim modo coloris ſuavitatem, capillique nitorem, ac corporis proceritatem quibusdam tanquam præſtigiis ementiuntur; ita animi perplexitatem, ſimplicitatis ſimulatione tectam, atque obvolutam habent. Nunquam adeo imparatæ, impræmeditatæque ſunt, uti non mentiri, nec opinatis quibuſcunque de rebus, quam appoſitiſſime ad fallendum poſſint. Quemadmodum enim Jovis illius nunciæ aquilæ proprium eſt, uti adverſum ſolem oculis quam maxime intueatur intentus; ita mulieris eſt proprium adverſum veritatis tanquam radium, atque lucem pertinaciſſime conſiſtere. Itaque ſæpe cum manifeſto deprehenduntur, manibuſque teneri ſe ſe vident; tamen impudentiſſime pernegant. Quid quod, ſimul atque libitum fuerit, vim lacrimarum profundunt? quas quidem unde tam ſubito, tamque multas, atque inexhauſtas depromant, equidem ſuſpicari nequeo. Ac fuit tempus, cum exiſtimarem, nullum eſſe commoti animi certius ſignum, quam lacrimas, & fletum: vultum enim, atque orationem fingi, ſimularique ad tempus poſſe intelligebam. Lacrimæ vero niſi ſponte ſua fluerent, atque erumperent, quanam potiſſimum ratione hauriri, undeque in oculos derivari valerent, neque tum videbam, neque mehercule adhuc perſpicere poſſum; ſed re tamen edoctus, ita ſtatutum, exploratumque habeo, tam facile mulieri eſſe, ubi velit, quamdiu velit, uti lacrimet, quam manum vertere. Artificii enim, non doloris eſt in muliere fletus. Ac videtur quidem, quemadmodum reliquas natura animantes partim cornibus, dentibus alias, unguliſque armavit; ita mulieri arma quædam comparaſſe propria, mendacium ſcilicet, & lacrimas, quibus illa, reliquiſque malitiæ, tanquam telis, tum ſe ſe tueri ſolet, tum in homines impetum facere, in virum præſertim, quem uti fallat, tanquam id unum operis ut efficiat, propoſitum habeat, diligentiſſime curat. Ac ſunt omnino formoſarum mulierum blandimenta, illecebræque voluptatis, oſculumque ipſum venenata tanquam tela; ſed ea cum ab alienis jacta, atque emiſſa in nos ſunt, in viſceribus, in ipſoque corde ſolent hærere: a noſtris autem cum mittuntur, ictum, mihi credite, fere non habent: efficitur enim diuturna conſuetudine, & copia, uti non multum ad voluptatem interſit, ma-

tremne, an uxorem deoſculemur. Sed eo redeat, unde digreſſa eſt, oratio; ad mulierum ſcilicet fallacem, artificioque ſimulationis eruditam naturam, falſamque, & fictam, atque ementitam benevolentiam, ſimulatamque amoris ſpeciem, quam ne rudis quidem ille, ſilveſterque ſatyrus, quemadmodum in apologo eſt, tuliſſe dicitur: nam cum in denſam, aſperamque ſilvam abditus vitam in ſpeluncis ageret, eo vicinorum agreſtium venandi ſtudio quosdam penetraſſe ferunt; quos ubi e latibulis ille ſuis conſpicatus ſit, rei primum novitate perterritus, in fugam ſe ſe dare, cogitaſſe dicitur: forma deinde, atque humana ſpecie illectus, venationiſque, & plagarum artificio delectatus, cum ſe ſe confirmaſſet, acceſſiſſe ad eos, humaneque invitaſſe. Qui cum noctem illam apud eum divertiſſent, poſtridie primo ſane diluculo ſurrexerunt, atque educto una hoſpite in venationem ire perrexerunt. Cumque eſſet hiemis vis ſane ſumma, congelabant ſcilicet venatoribus, atque conglaciabant ſummi manuum digiti. Itaque illi admotis, ita ut fit, ad os manibus, animæ calore rigorem frigoris mitigare conabantur. Id quod cum crebro factitarent, quæſiſſe de illis ſatyrus dicitur, quid tandem id eſſet; atque edoctus, ita illos frigori, atque rigori occurrere, ac mederi, eorum ſcilicet prudentiam eſt admiratus: ſed iidem cum poſt matutinam venationem accubuiſſent, toſtæque ex ipſa præda paullo ferventiores appoſitæ carnes linguam, palatumque urerent, frigidi ſpiritus flatu, ut eſt ruſticorum hominum mos, refrigerare eas cœperunt. Quod cum ſatyrus admiraretur, indicaverunt, immoderatum carnium fervorem frigidi ſpiritus flatu mitigari. Tum vero ille paucorum dierum maxime quidem jucundam, admirabilemque conſuetudinem dirimere dicitur voluiſſe, eorumque amicitiam habuiſſe ſuſpectam, qui ex uno, eodemque ore frigus edere, & calorem poſſent. Facile autem eſt mulieri, id unum præſertim agenti, maritum fallere, plurimis, maximiſque diſtrictum, implicatumque curis, negotiis, occupationibus. Obſervare enim noſtram naturam, mores, inſtituta, conſuetudinem, atque omnem mentis inclinationem, omnemque affectionem animi, omniaque momenta aucupari, in tam longa, tamque arcta, atque aſſidua familiaritate, & convictu, uxoribus facile licet. Itaque in manu plerique, in poteſtateque illarum ſumus, minime nos quidem id ſentientes, ſed tamen ſumus in uxorum poteſtate. Quid enim refert, id, quod illæ a nobis concupierint, imprudentibusne de manibus ſubtrahant, an recuſantibus, invitiſque eripiant, atque extorqueant? Nulla mediusfidius, adoleſcentes, tam abſurda res eſt, quam ſi a viro concupierit uxor, non aliqua ratione auferat. Nam primum quidem

omnes

Digitized by Google

omnes aditus, & quemadmodum eſt apud poetam ſane optimum, quæ mollissima fandi tempora ſint, diuturno uſu notata habet, & cognita. Quod ſi hac non procedit, ac ne blanditiis quidem, lectique lenocinio fallunt, neque propria illa lacrimarum arte quicquam proficere poſſunt, ad occultiorem ſe ſe convertunt aliam aliquam fraudem, ſervos ſollicitant, ancillas conjuratas habent, nunquam acquieſcunt, nunquam deſiſtunt, quin aliqua ratione optata perficiant, clamoribus denique, ac querelis, diſſidioque, & odio nos adigunt, ut victi tædio manus dare cogamur. Quod ſi nos aut amore, ac voluptate delinitos habent, aut rixarum, diſſidiique fuga, ac metu fractos, cedenteſque animadvertant, quam illæ nos, dii boni, contemnunt, quam irrident, quam ludibrio habent! Etenim quæ per diuturnam conſuetudinem noſtros mores facile animadverterint, ac notarint, animi mehercule cauſſa, ſtudiis ſe ſe noſtris opponunt, voluntatique tanquam de induſtria adverſantur. Itaque quem tu plurimum liberorum, aut ſervorum diligas, eum illæ inſectantur maxime, oderunt, aſpicere non poſſunt. *Pergin' mulier odioſa eſſe? Ullamne ego rem unquam in vita mea volui, quin tu in ea re mihi fueris adverſatrix, Soſtrata?* Nihil eſt omnino a Terentio unquam magis perite dictum: eſt enim e vita ſumtum, e moribuſque mulierum depromtum, atque expreſſum. Ac mihi quidem cum homine optimo, ſuaviſſimiſque moribus prædito, eodemque omnium noſtræ civitatis eruditiſſimo, neceſſitudo, familiaritaſque ſumma jam uſque a pueritia ſuſcepta. Is ſæpe ad me venit queſtum, domo ſe ſe ejici uxoris odio, ac moleſtia: ea enim obſervavit, id quod pleriſque eorum uſuvenire ſolet, qui ſe literarum, & ſcientiæ ſtudio tradiderunt, ægre illum pati ſolere interturbari tacitas cogitationes ſuas. Itaque dedita quidem opera miſerum obtundit perquirendo, qui triſtis ſit: qui præter conſuetudinem aut tam cœnet modice, aut tacitus ſiet: nunquid evenerit ſecius, & quid heſternorum eum ſaporum, ferculorumque non delectarit: tum hominem in bibliothecam abditum, ſubtiliſſimiſque, ac difficillimis in rebus occupatum, meditantemque, meris de nugis ſexcenties interpellat, atque interrogat. *I nunc, & verſus tecum meditare canoros*. Quid quod in omni ſermone a te diſſentiunt, & quidem pertinaciſſime! Quid quod cum ſerio nos, ſevereque agamus, mandemusve aliquid, aut moneamus, argutulæ ipſæ facetiis, jociſque ſermonem excipiunt noſtrum, luduntque nos eo libentius, quo major aliorum adeſt frequentia! ita enim imperium in nos ſe ſe maxime ſuum oſtentare exiſtimant: tum vero iis, qui adſunt, ludi te, urique, oculis, nutuque ſignificant, lætæque, atque alacres efferuntur, & geſtiunt.

ſtiunt. Siquid autem erratum a te, offenſumve aliqua in re ſit, cujus pudere te plurimum intelligant (quis eſt enim, qui non aliquando aliquid fallat? aut quis lapſus, deceptuſque non aut erubeſcit, aut certe dolet?) ſed illæ in primis narrant quam libentiſſime quidem omnibus, coram exprobrant, atque objiciunt: ſed apud eos præcipue, quos vereri te te ſciunt, quibusque probari te teneant cupere. An ignoratis, inquiunt, quam belle hic egerit? Villici hanc mei uxorem noſtisne? in eam hic invadere conatus eſt: quam gravis vero paterfamilias, cui magiſtratus civitas mandarit ſummos, quem conſulunt, quem arbitrum dant, cui clientes, cui liberi, cui ego denique uxor ſim. Sed ego id jampridem fueram odorata, multoque proſpexeram antea. Itaque ea hominem rejecit fortiſſime; neque vero tangi ſe, ne minimo quidem digito, potuit pati. Quæ quidem, adoleſcentes, tametſi experiendo graviora, acerbioraque ſunt, quam ut ferri æquo animo poſſint; tamen multo, quæ ſuperſunt, aſperiora, intolerabilioraque eſſe neceſſe eſt. Supereſt enim, ut de mulierum dicamus libidine, non nos quidem, quæ dici poſſunt, aut omnia, aut pleraque (infinitum enim id eſſet) verum, quæ ad eam, qua de agimus, cauſſam, deliberationemque maxime videbuntur pertinere, ea vobis, ſi pauca prius noſtris de moribus dixero, quam breviſſime fieri poterit explicabo. Eſt igitur noſtris, credo itidem urbium reliquarum, perſuaſum, adoleſcentes, civibus, mulierum pudicitiam, caſtimoniamque ad parentum, ac virorum famam, atque exiſtimationem, unam omnium rem, quam maxime pertinere; eaque opinio uſque adeo inveterata in animis hominum inſedit, ut nemo fere ſit, quin exiſtimet, meliori eſſe conditione eum, qui avaritiæ, libidinis, crudelitatis culpa, quam ii ſunt, quorum uxores male audiant. Refugit omnis civitas ab hominis congreſſu, omnes vitant, omnes oderunt, neque, ſi temperatus ipſe, bonuſque alioqui vir, fortiſque ſit, quicquam ad rem ducunt pertinere: officere enim hanc unam offenſionem reliquis omnibus virtutibus, & tanquam noctem perſuaſum habent offundere. Itaque in jurgio nihil ad contumeliam efficacius eſſe, nullumque atrocius intorqueri maledictum putant, quam cum uxoris, vel falſo, objecta eſt turpitudo. Atque eam labem, quam muliebri culpa, vel natura potius mulierum, nullo certe noſtro errato contraximus, mirari licet, quanam potiſſimum ratione elui, & tanquam expiari autument poſſe. Sic eſt enim in cenſoria tanquam lege: Qui uxorem, inquiunt, mœcham, atque impudicam habet, neque de medio eam tollit, is inteſtabilis ſcilicet, & ſacer eſto. Quod autem tolli eam præcipiunt, id duplicem quendam habet modum, & viam, quarum alte-

altera eſt ferri, & cædis, eaque maxime ſpecioſa in vulgus eſt, ac popularis; proxima vero eſt veneni, quæ cautionis ſcilicet, & prudentiæ ſibi laudem vendicat: quaſi vero non multo ſit deteſtabilius domeſtica cæde, muliebrique ſanguine quenquam cruentari, aut atrociſſimo, & teterrimo veneficii crimine inquinari, fædarique, quam vel non acutiſſime uxoris flagitium perſpicere, vel ubi animadverteris, etiam ferre. Quid enim affertis, cur ex aliena vel imbecillitate, vel culpa tam multum in nos dedecoris æquum ſit redundare? An nos, quæſo, mulierum, ipſa invita, repugnanteque natura, caſtimoniam præſtare cogimur? qui ne noſtram quidem coercere libidinem facile ſoleamus, neque vero mehercule magnopere laboremus. Quotus eſt enim quisque, qui non alienæ infectus ſæpe fuerit, qui non per omnem occaſionem ſollicitarit, pretio egerit, in omne ſe capitis periculum commiſerit, omnem maritorum cuſtodiam, diligentiam, curam, cautionem vicerit, fefelleritque? in quo neminem tamen magnopere accuſare ſolemus, præſertim ſi modus adhibeatur, neque aliena fiat ætate: quod autem in te ne leviſſima quidem animadverſione dignum cenſeas, id infirmiori in feminarum natura tam ſevere, tam atrociter, tam crudeliter vindicare, intelligitis ſane cujus ſit inhumanitatis, atque barbariei. Neque vero hoc dico, adoleſcentes, quod non vel omnium maxime virtutum continentiam conſervandam, retinendam, laudandam cenſeam, qua ſublata, omnem inter homines ſocietatem, communionemque tolli neceſſe ſit. Etenim ſi, ſimul atque nobis quicquam collibitum, concupitumque ſit, belluarum more rueremus unuſquiſque, appetituſque ferremur impetu, omnem hominum hanc congregationem, convictumque ſeditionis agitari, atque omnino diſſolvi neceſſe eſſet. Quamobrem ſint ſane continentiæ leges ſanctæ, inviolatæque, modo communes, atque æquales, neque alienæ libidinis graviſſimam, niſi fallor, infamiæ pœnam illi irrogent, in quo nullum omnino peccatum hæreat. Sed hæc quidem accuſare nobis fortaſſe liceat, mutare certe non poſſumus: ſunt enim in multitudinis opinione poſita, eoque uſquam inſederunt in hominum mentibus, ut non modo convelli, exſtirparique non poſſint, ſed ne labefactari quidem valeant. Quamobrem, adoleſcentes, ad civium nos judicium, opinionemque, cujuſmodi ea tandem ſit, conformari oportet, quando commutandi jus, ac poteſtas, quemadmodum ajebam, penes nos eſſe non poteſt: quid enim refert, rectene, an perperam civitas ſentiat, cum in eo ipſo, quod ita ſentiat, pœna ſit infamiæ graviſſima? neque enim, mea quidem ſententia, homini calamitoſius accidere quicquam poteſt, quam eo apud ſuos cives infamiæ, probrique

que genere notari, quod turpiſſimum, etiamſi non ſit, habeatur; in quo qui male audiat, hoc uno, ut reliquæ omnes adſint virtutes, nomine omnium animos, voluntateſque civium a ſe ſe alienatas, atque abhorrentes habeat. Etenim ſi tam multos ſæpe labores, tot vigilias, ſollicitudines, curas, hanc ipſam ob rem, ut in ore, atque oculis civium noſtrorum ſimus, ſuſcipere, ſi gravia ſponte noſtra in re familiari damna facere, atque accipere detrimenta ſolemus, ſi maxima, certiſſimaque pericula ultro ſubire, quo civium bene de nobis exiſtimantium benevolentiam comparatam, & caritatem habeamus; fieri profecto non poteſt, quin eorundem abalienationem a nobis, odiumque non acerbiſſimum, ærumnoſiſſimumque eſſe putemus. Quæ cum ita ſe ſe habeant, videamus nunc, quam in proclivi futurum ſit, uxorem ubi duxerimus, ut propter hanc ipſam ſuſpicionem in hominum voces, atque odia incurramus. Ac mihi quidem ſæpe iis de rebus, multumque cogitanti permirum videri ſolet, naturam, cum reliquis animantibus eandem tum animi, tum corporis vim, membrorumque æque robuſtum, validumque uſum feminæ tribuerit, atque mari, unis mulieribus tam fuiſſe iniquam. Etenim canis ſæpe feminæ cum velocitatem mari præferimus, tum etiam ferocitatem magis laudamus; nihil in equabus id ſecius evenit, idemque in leæna, lupaque, reliquiſque feris, atque immanibus, in nonnullis etiam longe feruntur imbecilliores mares, inutilioreſque feminis. Unius itaque mulieris tam eſſe genus deterius, humiliuſque, atque infirmius, quam noſtrum, ſæpe equidem, adoleſcentes, mirari ſoleo. Ita eſt enim muliebre primum corpus partim molle, ac delicatum, partim vero imbecillum, ac debile, ut ad parietum umbracula, ad lectuli otium, ad voluptatem, ad quietem fictum appareat eſſe, & conformatum; tum vero oris figura, & lineamenta, ex quibus animi fere cujusquam natura intelligi ſolet, laſciviam, mollitiemque præſeferre videtur. Oculorum vero flagrantiæ, membrorumque motus, inceſſuſque cum lenis, tum dulcis, aptuſque, quam potiſſimum ad rem mulier nata ſit, quiſque ejus poſſit uſus eſſe unus, indicant. Quid corporis lentitudo, vociſque claritas, ſuavitaſque, ſermoque mollitudine quadam, ac venuſtate præditus, cultuſque elegantia, ac mundities, anne parum ſignificant, quodnam ſit mulierum opus præcipuum, ac proprium? Bovis enim ut proceritatem cervicis, humerorum latitudinem cum aſpicimus, etiamſi maxime ignoraremus, cujus rei id animal nobis uſum præbere ſoleat; tamen aptum eum ad plauſtrum, ad aratrum, ad ſummos labores facile conjiceremus: ita ex mulieris habitu, & figura corporis, quodnam ejus munus natura, officiumque exſiſtat, ac vigeat,

gear,

Digitized by Google

geat, intelligere facile licet. Neque vero tam delicato, atque infirmo corpori diſſimilem admodum dari animum æquum fuit. Itaque nihil cum tenerius, invalidius, flexibiliusve muliebri excogitari poteſt ingenio, tum ad omnem quidem ludum, oblectationemque proclivius, ac projectius; ad eam tamen ipſam, quam dudum ſignifico, veneream voluptatem, nihil eſt, quod natura ipſa feratur ardentius: ſunt enim ne in nobis quidem ejus cupiditatis impetus lenes. Itaque pauci admodum frenatos eos, repreſſoſque, ac rationi parentes habere ſolemus. Neque enim vos præterit, quæ Julii illius Cæſaris dictatoris, quæ M. Antonii ejus, qui in triumviris fuit, quæ reliquorum ſummorum quidem hominum in hoc genere dicantur exſtitiſſe flagitia; qui cum ad omnia ſumma natos ſe ſe eſſe intelligerent, cumque exercerentur tum maximis, graviſſimiſque bellis, mari, terraque adminiſtrandis, obeundiſque magiſtratibus, totaque republica regenda, ac ſuſtinenda, tum vero privatis, publiciſque ſimultatibus, inimicitiiſque agitarentur, continere ſe ſe tamen ne in tot quidem, tantiſque occupationibus, ac periculis potuerunt. Atque hujus ſane cupiditatis faces, ut dico, incendere nos ſæpe ſolent: ſed ea in nobis aut laboribus, curis, occupationibuſque oppreſſa coercetur, aut ratione ſedatur, aut certe ſatietate reſtinguitur; in muliere vero perpetuum flagrat incendium. Viget enim, atque effertur in feminis ea, quæ rationis expers eſt, animæ pars; mens vero, & conſilium quemadmodum ad cogitationem, deliberationemque retuſa eſt, atque hebes, ita ad cohibendam, comprimendamque cupiditatem, tanquam ſopita languet: tum vero ſemper eſt vacans, ſemper otioſa mulier. Huc accedit id, quod dictum a me eſt, quod eo conſtant feminæ corpore, eoque ſunt animo præditæ, ut cum ad reliqua omnia vitæ munera pene ſint inutiles, ad hanc ipſam rem unam factæ videantur eſſe, & conformatæ. Id quod ne ipſæ quidem ignorant. Itaque quam ſuo quiſque in ſtudio, atque artificio curam, laborem, diligentiamque ponere maximam ſolet, hanc in ſe ſe ad hanc ipſam voluptatem comparandam, atque inſtruendam, aptandamque mulier inſumit, atque adhibet. Sentit enim, hoc se uno eſſe aliquid, obque id unum, quæ reliquarum omnium rerum cauſſa negligantur, plurimi fieri. Quo fit, ut ad naturæ, animique propenſionem, atque inclinationem voluntas etiam accedat, & tanquam conſilium; eoque ipſa otio, quo abundant ſemper mulieres, plurimo nutrita, & veluti fota, ita augentur, & corroborantur, ut obſiſti jam nulla ratione poſſit: ſimul vero atque calefacta efferveſcere, & tanquam ebullire libido cœpit, eo uſque inflammata erumpit, ut non modo pudorem jam nullum retineant, eoſque, quos vereri debeant,

aſper-

aſpernentur; ſed ne capitis quidem periculo, mortiſque metu coerceri, aut omnino retardari queant. Cavete enim exiſtimetis, incendiis Ætnam flagrare impenſius, quam libidine mulieris ardeat animus; cui quidem incendio aut reſtinguendo, aut mitigando tantum abeſt maritus, uti ſatis eſſe poſſit, ut ſua illud opera, tanquam vis ignis modica injecta aqua augeri ſolet, ſic excitari etiam conſueverit. Eoque irridendi ſunt nonnulli, qui magnis quibusdam nituntur conatibus: nihil eſt enim, cur tantopere in eo inſudent: namque ii, ne ſi dirumpantur quidem, ei rei ſatis futuri ſunt, & ipſa ſua cura, ac diligentia uxor deeſſe ſibi nihil patitur, utpote quæ cupiditate incenſa, & concitata, una hac in re animo dies, noctesque verſetur, atque occupata ſit. Dies me deficiat, ſi commemorare vobis velim, quæ in hoc genere vetus habeat memoria, mulierum flagitia, & ſcelera: ſed quid vetera, atque aliena attinet perſequi nos? qui utinam ne nimium multa haberemus noſtra, eaque recentia, ac pene quotidiana: neque enim quiſquam eſt tam ſua in re occupatus, quin de nonnullarum, ac nobilium quidem feminarum adulteriis, ſtupriſque multoties audierit, atque adeo pene certo ſciat. Injuſta eſt autem nonnullorum ſententia, ſtultaque opinio, qui cum univerſum mulierum genus, hoc crimine omnibus tabellis convictum, condemnatumque habeant, ſuas modo excipiant, neque ſolum defendant, verum etiam abſolvant: quibus ſane exiſtimandum eſt egregie uxores impoſuiſſe. Solent enim vel in primis operam dare, uti de ſe, pudicitiaque, ac pudore ſuo maritos habeant exiſtimantes; id quod eodem, de quo dictum a me eſt, malitiæ artificio, calliditateque conantur efficere, cum invitas operam ſe ſe nobis dare ſimulant, cum incenſos nos cupiditate rejiciunt, admonentque, uti valetudinis habeamus rationem: ſatis jam ſuperque nobis eſſe, pro fortunarum quidem tenuitate, liberorum: tum rei turpitudinem, obſcænitatemque deteſtantur, in qua ullum voluptatis ſenſum eſſe pernegent. Audire velis, cum ajunt: An nondum, mi vir, ſatiatus, expletuſque es, ne in tam longo quidem temporis ſpatio? amabo te, quieſce modo, ac ne dormitanti mihi moleſtus ſis. Quibus quidem dolis ſæpe improvidos, creduloſque nactæ virorum animos, ita eos delinitos habent, eaſque oculis offuderunt tenebras, ut aſpicere miſeri omnino nihil poſſint. Itaque cujus ſæpe mulieris ſcelera, libidines, adulteria, dedecora, tota urbe notiſſima, omnium ſermonibus celebrentur, eam maritus tam probam, tamque pudicam eſſe, quam Lucretiam illam Tricipitini filiam, pro comperto habet: cujus etiam laudes infelix prædicat, ſe ſeque maximam diis habere ait gratiam, quorum benignitate tam proba, tamque pudens ſibi

ſibi uxor evenerit. Neque vero hæ nobis modo tenduntur inſidiæ, ſed multiplex eſt, & varia fallendi ratio; propterea quod maxime hoc in genere fecundum, feraxque eſt mulieris ingenium. Sunt enim, quæ ſuperſtitione imbutæ, religioni ſe ſe totas tradiderint, qua pietatis, ſanctimoniæque ſimulatione ad explendas cupiditates ſuas ſibi iter aperiant, atque communiant, deoſque immortales libidinis ſuæ tanquam ſequeſtros, atque adminiſtros habent; quas cum in templis projectas, proſtrataſque aſpexeris, nihil ab omni intemperantia abhorrere magis dixeris. Itaque ſæpe etiam a viris caſtigandæ ſunt, ne tam multa de nocte ſacrorum cauſſa vigilent, neve inedia, & jejuniis ſe ſe enecent, ut ſibi parcant. Quæ cum illæ audiunt, lateque irretitos, & captos habere nos ſibi fidem intelligunt, tanti nos facere, adoleſcentes, ſolent, quam ſi nulli ſimus. Itaque non jam ſecreto adulteris operam dare, per exſpectatam aliquam, diuque obſervatam occaſionem cogitant, ſed palam de die; non intra tectum modo mariti recipere eos audent, ſed commune in cubiculum, ac pene ipſum genialem in lectum introducere ſolent. Quin etiam parare potionibus, ac medicamentis marito ſomnum conſueverunt, quibus vehementioribus interdum epotis, evenit, ut expergiſcantur nunquam, crudeliſſimeque intereant. Illud etiam fraudis genus efficaciſſimum eſt, cum amare ſe ſe perdite maritum ſimulant; ſicque animum inducunt, ut omnibus præſtandis officiis, omnique obſervantia, ſermonibus, blanditiis, lacrimis denique immenſam quandam in nos amoris vim præſeferre videantur, ut neque abeſſe nos tantiſper ferre poſſint, ac de collo nobis ſemper pendeant, ſemperque ſe ſe in ſinu, atque gremio collocent noſtro; atque ſimul aliam aſpexiſſe nos reſcierint, illico querelarum, rixarum, fletus plena ſint omnia, non cibum ſumere, non ſomnum capere, vivere denique nolle: quibus quidem rebus omnem ſane nobis ex animo ſuſpicionem paullatim abſtergunt, ac delent. Nemo eſt enim, qui eos, a quibus amari ſe ſe magnopere, obſervarique exiſtimet, cuſtodiendos eſſe arbitretur. Per ſummam itaque illæ licentiam animo obſequuntur ſuo, atque in omni libidine, magno quidem cum nominis, familiæ, cognationiſque dedecore volutantur. Ac ne me fortaſſe exiſtimetis acerbius in eas invehi, quam res ipſa ferat, ſic cogitare, atque ad hunc modum rationes vos ducere, adoleſcentes, velim, ſummam eſſe hujus, de qua jamdudum agimus, cupiditatis vim, eamque in mulierum genere infirmo, ac debili plurimum ſuapte ſponte concitari ſolere, ſæpe ut furore, niſi remedium præſto ſit, percitæ a mente deferantur; ſæpe etiam, cum ob hanc ipſam rem in graviſſimos inciderint morbos, intereant; ſæpe libidine iſta in-

 cen-

cenſæ contabeſcant, & tanquam liqueſcant ardore: id quod animadvertere medici ſolent, eamque ipſam medicinam vel conductis operis facere jubere, quæ ſola ſcilicet ad hoc ægrotationis genus valeat plurimum. Tam vehementi itaque cupiditate concitatus animus omnem noſtram curam, omnem diligentiam, vigilantiam, cuſtodiam fruſtratur, ac ſuperat; præſertim cum natura mulier fallax, malitioſaque exercitatione etiam id unum, ſolumque calleat; didiceritque, uti clam viro, quæ facit, ea agere poſſit. Huc accedit totius juventutis mirificum, ſummumque ſtudium, ſumma diligentia, ac ſedulitas, in hoc uno dies, noctesque occupatæ, atque intentæ: neque enim in adipiſcendis, petendiſque magiſtratibus, honoribusque ſummis tanto nititur quisquam conatu, neque vero in expugnandis hoſtium urbibus, neque cum de fama, de fortunis omnibus, de capiteque ipſo decernitur, tam accurate, tam ſolerter, tam ſollicite, anxieque agitur, atque contenditur, quam in expugnanda, evertendaque matronarum, mulierumque omnium pudicitia a veſtra ætate agi, contendique ſolet. Eximia enim primum forma, adoleſcentes, principum civitatis filii, ipſo in ætatis flore, unguentis, pretioſarum, aptiſſimarumque veſtium ſplendore, reliquoque omni corporis cultu nitentes, ruentem ſua ſponte muliebrem animum pellicitis. At quibus artibus, dii immortales, quamque lubricis! Quam blanda enim, quam molli, quam demiſſa, ubi colloquendi datur facultas, oratione appellatis! cum præ illis omnia vobis contemtui eſſe oſtenditis; cum ſummis, conquiſitiſſimiſque laudibus ad cœlum earum formam, pulchritudinemque extollitis; cum pendere vos, vitamque veſtram de earum voluntate, ac nutu; cum cogi, tum etiam non recuſare maxima cum animi affectione, ſermoniſque affeveratione affirmatis! Deinde ſollicitantur ancillæ, ſervi tentantur, omnis corrumpitur familia: quoquo ſe mulier vertit, quoties reſpicit, quicquid ad aures pervenit, vos eſtis, veſtræ ſunt laudes, veſtri in eam immenſi cujusdam amoris, ſummæque obſervantiæ ſigna ſunt, ac veſtigia. Adeſtis pulcherrimis, ornatiſſimiſque in equis, eamque ipſam, in qua illa habitat, plateam ſexcenties obitis. Noctu vero adeſſe vos ad januam, vigilareque, ac pernoctare ſummis ſæpe ſuſpiriis, ſæpe etiam ſymphoniis, cantuque ſignificatis, cum interea maritus prope cubans, jamdudum ſatiatus, expletuſque ſtertit, atque eam ne reſpicit quidem. Poſtridie vero mane, ubi ſurrexit mulier, præſto adeſt ancilla, rogitans ecquid amantis miſeri vocem agnoverit: ecquid cantu, modulationeque ſit delectata: num canora ſatis vox, num carmen ipſum placuerit: addit de veſtris laudibus multa, de veſtro autem in illam amore, obſervantiaque, ac deſiderio

ſane

ſane plurima. Tum epiſtolam promit amatoria quadam facultate luculentiſſimis verbis conſcriptam, quam ſimul ac mulier perlegit, jam rem ad deditionem ſpectare illa intelligit. Quamobrem labentem animum, inclinatumque ipſa impellit in tempore, cum occupatus eſt vir, cum abeſt, cum ægrotat, cum iras eſſe inter eos intelligit; oſtenditque, quam nullo negotio res confici clam, tutoque poſſit; operamque ſuam pollicetur. Atque iis ſane blanditiis, aſſentationibusque, tanquam machinis admotis, tanquam tormentis percuſſi, oppugnatique mulierum animi, pauci admodum, atque aud ſcio an ulli ita ſunt aut ſua virtute, aut maritorum cuſtodiis, ac propugnatione muniti, ut tutari ſe ſe poſſint, quin capti, expugnatique ſuccumbant. Quod ſiquæ tamen reſtiterint, eæ vero pecuniæ tanquam proditione, adoleſcentes, ſæpiſſime capiuntur, atque evertuntur. Viget enim avaritia in feminis plurimum: nam ut anguſtiſſimo quiſque eſt animo, ita pecuniæ maxime cupidus, appetenſque eſſe conſuevit. Quare ſiquæ ſunt (qui quidem numerus ſane perexiguus eſt) quæ neque libidinis ipſæ ſuæ ſtimulis agitatæ, matrimonii jus violent, neque amatorum illecebris captæ, inductæque caſtitatem deſerant, eæ pretio, pecuniaque redemtæ ſe ſe, omnemque familiam probris, flagitiiſque fædant. Fit autem neſcio quomodo, uti nemo tam reliquis in rebus ſit parcus, & tenax, quin ſimul atque libidine, atque amore exarſit, non profuſus largitor exſiſtat. At mulier quidem, cum id, quod nihil ipſa eſſe intelligit, quodque admiretur inveniri quenquam, qui recipere utique ne gratis quidem velit, tanti venire docetur poſſe, frugi etiam ſe ſe exiſtimat eſſe, cum tantum lucri, tantumque prædæ e manibus non amittat. Neque vero faciendum eſſe mihi, adoleſcentes, puto id, quod hujuſmodi in diſputationibus a pleriſque uſurpari ſolere animadverti, ut conquirendis, promendiſque famoſarum mulierum flagitiis illuſtribus tanquam epilogum addam. Neque enim, adverſum mulieres uti dicam, propoſitum mihi eſſe arbitror. Quamobrem fuerint illæ, quæ ſane commemorantur plurimæ, non tam mulierum natura in hoc genere effrenatæ, efferatæque, quam ſua: neque ſit ſane nobis metuendum, ne in Clytemneſtræ ſimilem incidamus uxorem, modo ne Penelopæ quidem parem noſtram fore pro comperto habeamus; ſtetque illud, totum mulierum genus cum natura hac in re projectum, fervenſque eſſe, tum conſilium etiam, & rationem adhibere ſolere, ſtudioque, & diligentia, verſutiaque, atque exercitatione diuturna patrandi facultatem perfacile comparare; tum vero nunquam deeſſe, qui id, quod ipſæ dare nobis avent, ac geſtiunt, quodque ſi nemo recipiat, inculcaturæ tamen omnibus ſint, non maximo-

ximopere modo rogent, efflagitentque; ſed etiam tanti, quanti illis in mentem venerit poſtulare, præſenti pecunia parati ſint emere. Quæ cogitare qui volunt, quo in diſcrimine ſua ſit exiſtimatio, famaque poſita, facile intelligunt: quo fit, uti metu, ſuſpicioneque imbuti, cum ſe ſe excrucient, affliƈtentque, tum uxorem, omnemque domum, totamque familiam male habeant, cuſtodias imponant, ipſaſque domo pedem efferre, neve ad januam accedere, neve alienum, neque liberum, neque ſervum intromittere in ædes, neque vicinorum, æqualiumque ullum alloqui, neque vero per feneſtram deſpicere in plateam permittant: quæ cum fiunt, ſollicitudinis, anxietatis, triſtitiæ, querelarum omnis repletur non modo familia, domuſque, ſed tota etiam vita, cujus curſus maxime fluƈtuoſus, atque infeſtus redditur. Nam ſimul, atque animum hæc invaſit formido, diffidereque cœptum eſt, nunquam vacuus, ſolutuſque cura vir eſſe poteſt. Itaque aut quaſi claudus ſutor domi ſedet totos dies; aut ipſe cum abſit, animus tamen domi eſt. Etenim æmulum, rivalemque, cum amicam habemus, ferre ſi nulla ratione poſſumus, eaque res eo nos ſæpe adigit, ut ſomnum capere omnino nequeamus, ac quaſi ſevera quædam res, magnaque agatur, mærore, & lacrimis conficiamur; quid in iſto vos faƈturos eſſe cenſetis graviori aliquanto, juſtioreque metu? Neque enim mulieris modo unius voluntas, amorque mutuus, fideſque in dubium vobis veniet, ſed veſtram etiam æſtimationem, famamque, liberoſque veſtros in diſcrimine poſitos eſſe exiſtimabitis. Mitto, quod ne amicis quidem uti libere, tutoque licebit: ſæpe enim, aſſimulata cum maritis familiaritate, domeſticam eorum ad fraudem, corruptelamque aditus patefaƈtos eſſe cum audietis, ne idem vobis quoque uſuveniat, metuetis, cavendumque exiſtimabitis; ac ne ab affinibus quidem, cognatiſque tutam eſſe conjugem veſtram multorum exemplo, injuriiſque docebimini: fratres mediusfidius ipſos veſtros ſuſpeƈtos habeatis neceſſe erit, quando eam in hoc genere nonnullorum intemperantiam, libidinemque eſſe, atque eo uſque efferri intelligetis, ut nihil ſanƈti, nihil omnino habeant religioſi. Itaque ſic ſtatuetis, mulieri in ſe ſe probrum admittere uti ne liceat, id vobis magnopere eſſe providendum: nam ut non concupiſcat quidem, fieri omnino non poſſe conſtituetis. Quare repellendi vobis erunt affines, cognatique omnes, vicini, tribuleſque vitandi, omnis metuenda juventus, tota civitas formidanda; tum obſervandæ ancillæ, nutrices, omnes ſervi cuſtodiendi, ſæpe etiam multandi. Quæ cum foras efferuntur, ſermoque de ſummo hoc virorum metu, cuſtodiaque increbreſcit (neque vero contineri, reticerique diu poſſunt) præterquam labem etiam fami-

Digitized by Google

familiæ, nominique aſpergimus; commiſſum enim exiſtimant ab ea; quam tantopere cuſtodias, aliquid, cur in poſterum cautius metuendam, diligentiuſque cuſtodiendam tibi cenſeas eſſe: quod ſi eveniat, uti uxoris flagitium compererint, manifeſtoque deprehendant, cavete, adoleſcentes, exiſtimetis quicquam accidere homini calamitoſius, ullumve majus, gravius, acerbiusve vulnus infligi, inurique poſſe. Quas enim res homines omnium cariſſimas, ſuaviſſimaſque habere merito ſolent, liberos, atque hominum exiſtimationem, famamque, addant etiam (ſiqui ſunt, qui ita exiſtiment) conjugem, iis temporis puncto privari, ſpoliarique acerbiſſimum, ærumnoſiſſimum, miſerrimumque non eſſe qui poteſt? Etenim quos ſuſceperis, inſtitueris, educaris, quos pro tuis amaris, ſummeque caros habueris, quibus unice oblecteris, in quibus acquieſcere ſolitus antehac fueris liberis, eos nunc demum alienos eſſe, nothoſque adigi te, ut verearе, non ſine ſummo animi dolore, ſummoque cruciatu accidere, adoleſcentes, poteſt: ab uxore autem, quam cum pudicam, probamque exiſtimaris, tum tui cupidam, atque amantem habere te non dubitaris, quamque omnium commodorum, incommodorumque ſociam, ac participem, cum re ipſa, tum vero animo, & voluntate jampridem feceris; deſertum ubi te, proditumque per ſummum dedecus, nefariumque ſcelus intelligis, turpiſſimeque, ac flagitioſiſſime violatam conjunctionem veſtram animadvertis, quam integram, inviolatamque, ac ſinceram perpetuo fore animo, ac mente propoſueris, id vero ea nos animi ægritudine afficere ſolet, cui mederi ratione queamus nulla: ſumit enim vires, ſerpitque in dies latius dolor, cum præteritorum recordatione, præſentiſque, atque angentis mali cogitatione, tum vero futurorum metu. Tanquam enim depulſæ ab oculis tenebræ, caligoque remota nunc tandem ſit, ſero nos quidem, ſed tamen præterita etiam mulieris flagitia reſpicimus; ingemiſcentesque quibus rationibus, quotque modis data a præclara nobis conjuge verba ſint, recognoſcimus; quantopereque metuere ab ea oporteat, facile perſpicimus. Idque vel inprimis nos angit, quod exiſtimamus, quæ uxor antehac clam nos habuit, ea nota, claraque in vulgus eſſe. Itaque vix jam prodire audemus, fractoque, ac demiſſo animo, ſummo in mærore, cum ob oculos verſetur nobis noſtrum dedecus, atque opprobrium, ac cruciatu vitam agimus.

Hæc habui, adoleſcentes, quæ vobis de mulierum natura, moribusque in præſentia exponerem; quæ (niſi fallor) vitæ, animorumque quieti, quam equidem expetendam, comparandamque unam omnium rem maximi ſemper duxi, penitus adverſatur. Sed nos conſuetudinis

tan-

tanquam æſtu ferimur, atque abſorbemur, anteaque uxorem ducimus, quam cogitare hæc, quæ a me vobis expoſita ſunt, exiſtimareque per ætatem, perque rerum imperitiam liceat. Sæpe etiam parentum voluntati, atque imperio dum paremus, atque obſequimur, tranquillitati, atque quieti parum proſpicimus. Nam præter ea, quæ a me dicta ſunt, nulla res homines tam ad egeſtatem redigere ſolet, quam uxorem cum habent. Cum enim ipſa mulier ali, veſtiri, ornarique maximo ſine impendio non poteſt, tum in nutriendis, educandiſque liberis, filiabuſque in matrimonium collocandis ampliſſima ſæpe exhauſta eſſe patrimonia videmus: tum nulla res tam eſt uni ampla, atque opulenta, quin plures inter liberos diſpertita, ac diviſa, non anguſta, tenuiſque videri poſſit. Hinc illa exoritur domeſtica tanquam ſeditio, conjuratioque liberorum adverſus parentes, cum parciſſimi ſenes, tenaceſque adoleſcentulorum obſiſtere ſtudiis, ac voluntatibus repugnare propter paupertatis metum cogantur; ob idque ipſum, a quibus amari plurimum, colique æquum erat, iis ſe ſe odioſos eſſe intelligant, atque inviſos. Id quod Terentianus ille Mitio, quam diligentiſſime providere ſe ſe ait;

Do, prætermitto, non neceſſe habeo omnia pro meo jure agere.

Amari enim ſe a ſuis vult; qui idem fortunatum exiſtimari ſe ſe dicit, quod uxorem n..uerit nunquam. Verum huic quidem unicus fuit, & erat unde illa, quemadmodum ipſe dicit, fierent. Quod ſi plures ſuſcepiſſet liberos, ſane aud multum a fratre diſſentiret, homine parco, ac duro: metueret enim idem, quod ille, cum ait: *Videre videor jam diem illum, cum hinc egens profugiet aliquo militatum.* Quibus ſane verbis, adoleſcentes, efficitur, uti cum tot annorum itinere confecto, defeſſi, laſſique requiem, ac pauſam quæramus, tum in ſalebras incidamus maximas, laboriſque plurimi plena utamur via; ac poſteaquam ipſi ægre, ac difficulter eos labores, eaque, quæ vita habet, pericula exantlaverimus, rurſum tanquam regredi a principio cogamur, comiteſque nos adoleſcentium præbere ætati cum lubricæ, atque infirmæ, tum feroci, ac tanquam ferventi. Quaſi enim vinolenta naturæ fervore quodam adoleſcentia bacchatur, & furit; tametſi vos quidem ſicci, temperatique, ac plane ſobrii eſtis: ſed id veſtra potius evenit propria, quam communi adoleſcentium natura; nos autem de genere loquimur. Ac ne longius abeam, quam ſollicitus eſt idem, idem ille Mitio magnum, credo, certumque ob aliquod periculum, cum ait: *Ego, quia non rediit filius, quæ cogito! quibus nunc ſollicitor rebus!* Sed hunc formidoloſum ſenem, nimiumque indulgentem miſſum faciamus. Quid ille alter attentus, atque aſper? nonne

tri-

triſtis, atque exanimatus fratrem quæritat? nonne præ iracundia inſanit? fores effregit, atque in ædes irruit alienas. Atqui hæc tum levia ſunt, tum quotidiana. Non eſt flagitium, mihi crede, adoleſcentulum ſcortari, non eſt, neque fores effringere: exhalet enim naturæ fervor oportet; quamquam non eſt hæc ſenum oratio, aut ſententia, ſed Mitionis. Verum ut hæc ſint levia, quid illa? cum miſero, atque ætate confecto parenti repentino renunciatur, aut in cæde affuiſſe filium, aut trucidatum ipſum eſſe, in carceremve conjectum; quid cum æris alieni magnitudine premi, ireque in exilium cogi, niſi id pater, parcus ipſe, ſæpe etiam egens, diſſolvat? Quid quod ſolliciti, ſuſpenſique metu ſint oportet, anxiique in cuſtodiendis filiabus, æque atque in uxoribus viri? Hæc fere ſunt, adoleſcentes, quæ matrimonium, ſocietaſque hæc, quam viri cum mulieribus, tam cupide tamen facere ſolent, habet incommoda, tametſi oratione mea rei ſatisfactum eſſe audquaquam arbitror. Sed hæc, & multa ſane videri poſſunt; & experiendo graviora, acerbioraque ſunt, quam audiendo fortaſſe videantur. Quæ cum a me dicta eſſent, cumque me ad eam, quæ ſupererat, ſermonis in alteram partem compararem rationem, renunciatum nobis eſt, jam jam in curia, quæ ad Marci ædes eſt, ſenatum cogi. Itaque cum paullo ab eo loco abeſſemus longius, continuo cum iis, qui una aderant, adoleſcentibus in cymbulam conſcendimus; cumque celerrime ſane remigio veheremur, is, qui antea quoque verba fecerat adoleſcens, ſane inquit: Niſi tantopere feſtinandum tibi eſſe intelligerem, exegiſſem equidem a te, ut quoniam in altero nobis cumulatiſſime ſatisfeceris (probaviſti enim, mihi quidem non modo ad vitæ commoditatem, tranquillitatemque matrimonium non conducere, ſed etiam plurimum adverſari, atque obſtare) alterum diutius non deberes: pollicitus enim es, te diſputaturum, non utrum modo expediat homini uxorem ducere, verum etiam utrum neceſſe ſit, ad officiumque pertineat. Atque alterum præſtitiſti tu quidem copioſiſſime, ut equidem hinc jam indicta cauſſa nuptias tollendas cenſeam, alterum vero a te nobis deberi intelligis. Atque ego: præclare, inquam, admones, idque ipſum perſolvam jam nunc vobis, quemadmodum quidem hoc noſtro in curſu fieri poterit: ſtatuimus enim, & quidem diſſentiente ſummo philoſopho, civeque optimo Socrate, ſine certis, legitimiſque nuptiis cohærere civitatem non poſſe. Quid autem ſine fabris quidem, reliquiſque ſordidarum artium magiſtris ſtare civitas poteſt? eo ne auctor futurus ſim vobis ſummo loco natis adoleſcentibus, uti piſtrinum exerceatis, aut aperiatis in civitate ſutrinam? Quis eſt autem, qui quoniam niſi ſint,

qui

qui agros colant, civitatem paucis menſibus diſſolvi neceſſe ſit, ipſe ſua manu aut arare, aut metere, aut fodere ſoleat? Quamobrem, ut ſine nuptiis contineri civitas nequeat; non neceſſe tamen habemus uxorem ducere, non magis quam aut molere, aut ſuere. Neque enim, ut quodque ad rempublicam pertinet, continuo id unumquemque ſuſcipere æquum eſt, aut militemus omnes, ſingulique mercaturæ operam demus, quando utrumque ad reipublicæ conſervationem, præſidiumque pertinet. Quare comparemus nos, adoleſcentes, uti reipublicæ maximis omnibus in rebus adjumento, ornamentoque eſſe poſſimus; uxorem autem ne habeamus, præſertim cum periculum nullum ſit, quin magnus eorum numerus exſiſtat, qui ad cætera reipublicæ munera inutiles, ineptique, hanc unam operam præſtare civitati cum poſſint, tum etiam percupiant.

F I N I S.

A01 146610

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google